P. Fr. H. BUONPENSIERE, O. Fr. P.
COLLEGII S. THOMAE DE URBE REGENS

COMMENTARIA

IN I. P. SUMMAE THEOLOGICAE

S. THOMAE AQUINATIS, O. P.

A Q. XXVII ad Q. XLIII

(DE DEO TRINO)

Property of
CLgA
Please return to
Graduate Theological
Union Library

ALMA COLLEGE
231.3
LIBRARY
B889
Alma, California

VERGARAE
Typ. Ephem. «El Santísimo Rosario»
MCMXXX

26299

EDITOR SIBI VINDICAT JURA PROPRIETATIS

«EL SANTÍSIMO ROSARIO», Vergara (Guipúzcoa). - España.

DEI MATRI

IMMACULATAE VIRGINI MARÍAE

SS. ROSARII REGINAE

OBLATUM DICATUM

APPROBATIONES

NIHIL OBSTAT

Fr. Albertus Colunga, O. P.
Sacr Theol. Mag.

Fr. Em. Cuervo
Sacr. Theol. Lect.

IMPRIMATUR

Fr. Josephus Cuervo
Pr. Prov. Provinciae Hispaniae.

Infrascripti legimus et approbamus librum P. Henrici de Buonpensiere *De Trinitate,* ut typis mandetur.

Collegio Angélico, 25 Febr. 1930.

Fr. R. Garrigou Lagrange, O. P.
Magister in S. Theologia.

Fr. Marianus J. Cordovani, O. P.
Magister in S. Theologia.

IMPRIMATUR

Fr. M. S. Gillet, O. P.
Magister Generalis Ordinis.

IMPRIMATUR

† J. Palica
Arch. Philippen., Vicesgerens.

INDEX

In QQ. XXVII-XLIII Prim. Part. Sum. Theol. S. Thom. Aq. Pag. 1

QUAESTIO XXVII. — **De Processionibus divinis.**

Prologus . . . . . » 26
Art. I. — Utrum Processio sit in divinis . . . . . » 26
» II. — Utrum aliqua Processio in divinis Generatio dici possit . . . . . » 77
» III. — Utrum in divinis sit alia Processio a Generatione Verbi . . . . . » 90
» IV. — Utrum Processio Amoris in divinis sit Generatio » 103
» V. — Utrum sint plures Processiones in divinis quam duae . . . . . » 126

QUAESTIO XXVIII. — **De Relationibus divinis.**

Prologus . . . . . » 132
Art. I — Utrum in Deo sint aliquae Relationes reales . » 133
» II. — Utrum Relatio in Deo sit idem quod sua essentia » 149
» III. — Utrum Relationes quae sunt in Deo, realiter ad invicem distinguantur . . . . . » 162
» IV. — Utrum in Deo sint tantum quatuor Relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio et Processio . . . . . » 167

QUAESTIO XXIX. — **De Personis divinis.**

Prologus . . . . . » 173
Art. I. — De Definitione Personae . . . . . » 174
» II. — Utrum Persona sit idem quod Hypostasis, Subsistentia, et Essentia . . . . . » 180
» III. — Utrum nomen Personae sit ponendum in divinis » 185
» IV. — Utrum hoc nomen Persona significet Relationem » 190

QUAESTIO XXX. — **De pluralitate Personarum in divinis.**

Prologus . . . . . » 202
Art. I. — Utrum sit ponere plures Personas in divinis . » 202

ART. II. — Utrum in Deo sint plures Personae quam tres » 209
» III. — Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis » 222
» IV. — Utrum hoc nomen *Persona* possit esse communis tribus Personis . . . . . » 228

QUAESTIO XXXI. — De his quae ad unitatem vel pluritatem pertinent in divinis.

PROLOGUS . . . . . » 235
ART. I. - Utrum sit Trinitas in divinis . . . . . » 235
» II. — Utrum Filius sit alius a Patre . . . . . » 241
» III. — Utrum dictio exclusiva *solus* sit addenda termino essentiali in divinis . . . . . » 247
» IV. — Utrum dictio exclusiva possit adjungi termino personali . . . . . » 251

QUAESTIO XXXII. — De divinarum Personarum cognitione.

PROLOGUS . . . . . » 253
ART. I. — Utrum Trinitas Divinarum Personarum possit per naturalem rationem cognosci. 253
» II. — Utrum sint ponendae Notiones in divinis . , » 273
» III. — Utrum sint quinque Notiones . . . . . » 280
» IV. — Utrum liceat contrarie opinari de Notionibus . » 285

QUAESTIO XXXIII. — De persona Patris.

PROLOGUS . . . . . » 289
ART. I. — Utrum competat Patri esse principium . . » 290
» II. — Utrum hoc nomen *Pater* sit nomen proprium divinae Personae . . . . . » 297
» III. — Utrum hoc nomen *Pater* dicatur in divinis *per prius* secundum quod *personaliter* sumitur . . » 301
» IV. — Utrum esse ingenitum sit Patri proprium . . » 303

QUAESTIO XXXIV. — De persona Filii.

PROLOGUS . . . . . » 311
ART. I. — Utrum Verbum in divinis sit nomen personale » 313
» II. — Utrum Verbum sit proprium nomen Filii . . » 322
» III. — Utrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturas 326

QUAESTIO XXXV. — De imagine.

PROLOGUS . . . . . » 337
ART. I — Utrum Imago in divinis dicatur personaliter . » 337
» II. — Utrum nomen Imaginis sit proprium Filio. . » 341

QUAESTIO XXXVI. — De Persona Spiritus Sancti.

PROLOGUS . . . . . » 349
ART. I. — Utrum hoc nomen *Spiritussanctus* sit proprium nomen alicuius divinae Personae . . . . » 352
» II. — Utrum Spiritus Sanctus procedat a Filio . . » 358
» III. — Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium . . . . . » 382
» IV. — Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti . . . . . » 390

QUAESTIO XXXVII. — De nomine Spiritus Sancti quod est Amor.

PROLOGUS . . . . . » 401
ART. I. — Utrum «Amor» sit proprium nomen Spiritus Sancti . . . . . » 401
» II. — Utrum Pater et Filius diligant se mutuo Spiritu Sancto . . . . . » 406

QUAESTIO XXXVIII. — De nomine Spiritus Sancti quod est Donum.

PROLOGUS . . . . . » 414
ART. I. — Utrum Donum sit nomen personale . . . » 414
» II. — Utrum Donum sit proprium nomen Spiritus Sancti » 422

QAESTIO XXXIX. — De Personis ad Essentiam relatis

PROLOGUS . . . . . » 427
ART. I. — Utrum in divinis essentia sit idem quod persona » 428
» II. — Utrum sit dicendum Tres Personas esse unius essentiae . . . . . » 434
» III. — Utrum nomina essentialia praedicentur singulariter de tribus Personis . . . . . » 442
» IV. — Utrum nomina essentialia concreta possint supponere pro Persona . . . . . » 452
» V. — Utrum nomina essentialia, in abstracto significata, possint supponere pro Persona . . . . » 458
» VI. — Utrum Personae possint praedicari de nominibus essentialibus . . . . . » 464
» VII. — Utrum nomina essentialia sint approprianda Personis . . . . . » 468
» VIII. — Utrum convenienter a Sacris Doctoribus sint essentialia Personis attributa . . . . . » 472

QUAESTIO XL. — De Personis in comparatione ad Relationes sive proprietates.

PROLOGUS . . . . . » 480
ART. I. — Utrum Relatio sit idem quod Persona . . . » 481
» II. — Utrum Personae distinguantur per Relationes . » 486
» III. — Utrum, abstractis per intellectum Relationibus a Personis, adhuc remaneant Hypostases . . » 503
» IV. — Utrum Actus Notionales praeintelligantur proprietatibus . . . . . » 511

QUAESTIO XLI. — De Personis in comparatione ad Actus Notionales.

PROLOGUS . . . . . » 516
ART. I. — Utrum Actus Notionales sint atribuendi Personis » 517
» II. — Utrum Notionales Actus sint voluntarii . . » 522
» III. — Utrum Actus Notionales sint de aliquo . . . » 530
» IV. — Utrum in divinis sit Potentia respectu Actuum Notionalium 538
» V. — Utrum Potentia Generandi significet relationem et non essentiam . . . . . » 544
» VI. — Utrum Actus Notionalis ad plures Personas terminari possit . . . . . » 552

QUAESTIO XLII. — De aequalitate, et similitudine divinarum Personarum ad invicem . . » 560

QUAESTIO XLIII. — De missione divinarum Personarum . . . . . » 564

INDEX SYNOPTICUS . . . . . » 569

IN QQ. XXVII-XLIII PRIM. PART. SUM. THEOL.

S. THOMAE AQUINATIS

1. Unaquaeque societas religiosa proprium possidet in hac vita « *credo* », synthesim videlicet brevem veritatum aut errorum Deum principaliter respicientium. Ita ex. gr. proprium « *credo* » ethnicorum circa Deum est polytheismus, systema scilicet asserens Deum *pluralem* esse tam in natura quam in personis. Iudaeorum vero recentium perfidia Deum *unum* praedicat tam in natura quam in personis. Religio christiana ex adverso *medium* inter oppositos Gentilium atque Israëlitarum errores, ideoque *veritatem,* observans, Deum confitetur *unum* in substantia Deitatis, et *trinum* in Personis : ita ut *Dei una trinitas* vel *trina unitas,* sive *Dei S.ma Trinitas* sit sincera thessera seu « *credo* » Christianam religionem profitentium.

2. Admonemus vero diligenter, quod, quum affirmamus theologiam christianam medium tenere locum inter ethnicam superstitionem et recentium israëlitarum perfidiam, non eo sensu hoc dicimus, quasi scilicet mysterium S.mae Trinitatis fuerit in christianismum ex libris Aryanis et Avesticis aut ex graeca fonte Platonis et Neoplatonicorum insertum per Evangelistam Ioannem aut Apostolum Paulum, aut per S. Iustinum Martyrem († 167) qui insignis fuit philosophus; quemadmodum post Celsum philosophum (Cfr. Origenem Lib. IV. *Cont. Celsum,* n. 81 ; et ibid. Lib. V, n. 65), Socinianos, Ioan. Le Clerc (1657-1734) in sua *Ars Critica,* Sect. II, cap. 2 ; Laurentium Moshemium († 1755) ; Strauss, Renan, Havet (Cfr. ejus opus *Le Christianisme et ses origines,* tom. I. P. I, cap. 7) et alios rationalistas affirmant magis minusve explicite Alfredus Loisy (Cfr. ejus opus *L' Evangile et l' Eglise* [Paris 1903] pp. 141-143) Ernestus Buonaiuti (Cfr. eius opus *Storia del Cristianesimo,* Roma. Ann.

1916-1917, quod fuit damnatum a C. S. O. die 1 Augusti 1917) et alii Modernistae (Cfr. Denzinger [edit. 1913] *Enchir.* nn. 2022,2059 et 2060) : sed illa nostra affirmatio significat quod divina et supernaturalis revelatio, cuius depositum est apud catholicam ecclesiam, sit primum et commune centrum a quo inde per saeculorum seriem aberrarunt superstitiones ethnicae et recentium israëlitarum. Quare non est mirandum, si fragmina quaedam primitivae revelationis permixta maneant cum mythis gentilitatis inter acatholicos. Sicut enim nullum dari potest falsum quod non aliquid veri habeat, ita et nulla falsa datur religio quae aliquid leviter commune non retineat cum Fide Christiana. Simul cum captivitate populi Iudaici lumen divinae revelationis ab Iudaea descendit in Aegyptum, et ab Aegyptiis per Pythagoram potuit ad Platonem ejusque scholam pervenire ; atque ita explicatur qualiter dogma S.mae Trinitatis permixtum et deturpatum inveniatur in sententiis et aphorismatibus Scholae Graecae. Praeclare Minutius Felix (flor. saec. III) per *Octavium* christianum ad Caecilium ethnicum, similia obiicientem, respondit : «Animadver-« tis, philosophos eadem disputare quae dicimus ; non quod nos si-« mus eorum vestigia secuti sed quod illi de divinis praedictionibus « Prophetarum umbram interpolatae veritatis imitati sunt » (Cfr. A. Nicolas, *Etudes phil. sur le Christianisme,* t. III). Inferius vero (QQ. XXX et XXXI) adducemus testimonia tam V. quam N. T., in quibus fit expressa mentio *Dei-unius-trini,* quem fide catholica profitemur.

3. Quae etiam S. Scriptura *nomina* et *ordinem* nobis indicat qui inter tres divinas Personas viget. Harum Personarum prima *ordine,* quaeque propterea a Ss. Patribus (Cfr. S. Augustinus Lib. IV. *De Trinit.* cap. 20) dicitur *fons totius Trinitatis,* est *Deus Pater;* secunda *ordine* nominatur *Deus Filius,* sive *Dei Verbum,* a solo Deo Patre procedens ; tertia *ordine* Persona S.mae Trinitatis vocatur *Spiritus-Sanctus,* a Patre Filioque procedens. Harum Personarum nomina expresse indicantur a Christo, quando Apostolis iussit (Matth. XXVIII, 19) quemque hominem, evangelii Fidem suscipientem, fore baptizandum in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti.

4. Atqui theologi officium est exponere, declarare, et, quatenus opus est, defendere ab heterodoxorum obiectionibus veritates quas de Deo rebusque divinis Fides Catholica jubet esse credendas. Hinc S. Thomas, postquam in hoc egregio opere, P. I. QQ. II-XXVI, ex-

posuit omnia quae tum ad Dei naturam tum ad Eius operationes attinebant, eadem methodo prosequitur nunc a Q. XXII ad Q. XLIII exponere illa quae Personas S.mae Trinitatis respiciunt.

5. Procedit vero ista expositio valde subtiliter, analysi, ut ita dicam, microscopica atque naturalem metaphysicam transcendente. Idque peregit Aquinas non ex proprii ingenii lubitu ; sed necessitate mysteriosae veritatis, quae commensurate ad exiguitatem humani intellectus exponenda erat ut capi posset. Etenim

Dico 1°. *Dogma S.mae Trinitatis est veritas* **omnino** *singularis,* cuius videlicet **adaequata** realitas in *solo* Deo invenitur.

Prob. Argumento a *posteriori*. Revera dogma S.mae Trinitatis continet hanc veritatem: *Tres* realiter distinctae *Personae divinae* subsistunt **simultanee** in *una eademque deitate ;* seu, sermonem invertendo, exprimit hanc veritatem, videlicet : *Una individua simplicissima Deitas* terminatur **simultanee** *a tribus* aequalibus et invicem *realiter distinctis subsistentiis Personalibus.* — Atqui in nulla categoria rerum finitarum invenitur, quod *eadem una individua substantia* actuetur **simultanee** a tribus *realiter* distinctis et aequalibus subsistentiis personalibus. Imo hoc prima fronte *videtur* philosophice repugnare, quod scilicet subsistentia actuans *formaliter* naturam unam individuam, sive *reddens hanc individuam naturam* sui iuris quoad *esse* et *agere,* relinquat in tali natura *capacitatem* ut **simultanee** actuetur a duabus aliis *realiter* distinctis subsistentiis. — Ergo reipsa veritas **omnino** singularis, uni soli Deo propria, est Trinitas divinarum Personarum catholice exposita. Legesis pseudo Dionysium Lib. *De Divin. Nom.* cap. 13 ; nec non *Rosminianarum Propositionum etc. Trutina Theologica* (Romae 1892), n. 176 et seqq.

6. **Dico 2°.** *Dogma S.mae Trinitatis est* **vertex** *omnium mysteriorum Fidei.*

Prob. *Ratione theologica*. Etenim in praesenti vita obiectum, connaturaliter cognoscibile a nostro intellectu, sunt quidditates rerum sensibilium. Et haec est causa propter quam in praesenti vita quanto magis aliqua res *elongatur* a conditione rei sensibilis, tanto imperfectius et magis difficiliter *capitur* a nostro intellectu. Unde Aristoteles dicit quod *humanus intellectus se habet ad manifestissima naturae,* videlicet ad axiomata transcendentalia, *sicut oculus noctuae ad lumen solis.* — Atqui essentia divina est realitas summo modo *remota* a materia. — Et ideo illa, quae pertinent ad *intimam* naturam

divinitatis, transcendunt omnes categorias nec non axiomata universa nostrae ontologiae naturalis ; et consequenter non sunt proportionata naturali lumini nostri intellectus, sed constituunt *vera et* propie *dicta mysteria* in ordine ad naturalem intellectum hominis viatoris.

Nihil autem propinquius, pertinet ad naturam intimam Dei quam physica eius constitutio in tribus realiter distinctis Personis, seu catholicum dogma Ss. Trinitatis. Et ideo hoc vere est vertex omnium mysteriorum Fidei Christianae.

« Imo, ut recte, monet D. Thomas (P. I. Q. XXXII, art. 1, ad « 3m), est veluti fundamentum coeterorum mysteriorum; siquidem eius « notitia necessaria est ad recte sentiendum de Incarnatione Verbi « et de animarum sanctificatione quae per appropriationem tribuitur « Spiritui Sancto ; atque ipsum creationis dogma ab eo mysterio ple« niorem lucem mutuatur » (Cfr. cit. *Trutina theolog.* n. 173 et n. 176; item Encycl. Leonis PP. XIII *Divinum illud,* 9 Maii, 1897).

7. Atqui mysteria proprie dicta Fidei Christianae, hoc ipso quod transcendunt axiomata philosophiae *naturalis,* eius sunt conditionis, ut non possint per argumenta pure philosophica nec rigorose demonstrari, neque rigorose impugnari. Quapropter insaniunt tum theologi qui catholicum dogma S.mae Trinitatis per sola ontologiae principia demonstrare contra incredulos nituntur, tum philosophistae naturales qui syllogizando ex creatura mundi sibi suadent demonstrari posse falsitatem eius quod de S.ma Trinitate Catholica profitetur Ecclesia (Cfr. inf. Q. XXXII, art. 1, o). Praeclare Conc. Vat. Sess. III, cap. 4 docet, ut sequitur : « Verum etsi Fides sit supra ra« tionem, nulla tamen unquam inter Fidem et Rationem vera dissen« sio esse potest : cum idem Deus, qui mysteria revelat et Fidem « infundit, animo humano rationis lumen indiderit ; Deus autem ne« gare seipsum non possit nec verum vero umquam contradicere ». Legi possunt quae docte in cit. *Trutina* scripta sunt nn. 175-177.

8. Licet autem per argumenta pure philosophica dogma S.mae Trinitatis nequeat rigorose demonstrari, potest tamen theologus illud exponere atque declarare *analogice* per similitudines quasdam acceptas a rebus sensibilibus ; secundum quod scilicet « videmus nunc « *(divina)* per speculum in aenigmate » (I. Cor. XIII, 12) : quemadmodum universim de Fidei mysteriis docet loc. cit. Conc. Vaticanum. Lege quae in cit. *Trutina* habentur nn. 174 et 181-182.

9. Iamvero inter omnes creaturas sensibiles illa, quae perfectius coeteris aliis divina repraesentat, est Homo: is quippe factus est (Gen. 1, 26) *ad imaginem et similitudinem* **Elohim,** videlicet Dei unius trini (Cfr. inferius Q. XXX, art. 1, o). Et ideo sapienti consilio Ss. Patres, Angelicus et coeteri Doctores catholici veritates, contentas in dogmate S.mae Trinitatis, declarant analogice argumentando ex iis quae apparent in parte superiori animae humanae (intellectu scilicet et voluntate): secundum quam partem homo specialiter assimilatur cum Deo.

10. Quae analogiae tamen ex homine aut aliis creaturis desumptae, non sunt nimis urgendae contra incredulos, quasi totidem essent demonstratiónes pro dogmate S.mae Trinitatis:

1° quidem « quia inter Creatorem et Creaturam non potest tanta « similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda » (Conc. Lat. IV, cap. *Damnamus*). Videlicet analogia inter Deum et unamquamlibet creaturam est tam *tenuis* et *modica,* ut cum omnimoda veritate dici possit, quod Deus sit *potius* dissimilis *quam* similis homini aut cuivis alteri creaturae. Quoties autem duae res *parum similes* sunt inter se, argumentatio de una in alteram non uno sed utroque claudicat pede.

2° eaedem analogiae, ex creaturis acceptae ad declarationem dogmatis Trinitatis non sunt multum urgendae, ne opere nostro favere videamus haeresi rationalistarum tuentium universa Fidei Christianae mysteria posse ab homine viatore rigorose demonstrari per argumenta philosophiae naturalis. Concilium quippe Vaticanum Sess. III, §. 4 *De Fide et Ratione* can. 1, expresse statuit: « Si quis dixe- « rit... universa Fidei dogmata posse per rationem rite excultam e « naturalibus principiis intelligi et demonstrari, a. s. » (*Erchir.,* n. 1816).

11. Moderari itaque sic debet expositio praesentis mysterii ut prius notentur errores a theologo vitandi, deinde vindicetur veritas catholici dogmatis, principaliter quidem per testimonia Revelationis supernaturalis, secundario vero per *analogias* exsistentes inter Creatorem et creaturam praesertim humanam.

Et, ut quod edicimus, opere compleamus, brevem seriem errorum circa Divinam Trinitatem praeponimus. Huiusmodi errores et haereses in duas categorias possunt distingui; inquantum scilicet quidam pervertunt *substantiam* dogmatis, alii *methodum cognoscendi* illud.

12. Hi, qui errant circa *substantiam* dogmatis *Dei-unius-trini,* communiter *Antitrinitarii* nominantur. Qui tamen in tres sectas subdividuntur.

α) Quidam enim eorum inveniuntur tam nimis urgere *unitatem* Deitatis ut omnem *realem distinctionem* inter divinas Personas auferant. Et hi *Unitarii* vel *Deistae* vocantur.

β) Alii ex opposito nimium urgentes *distinctionem realem* inter divinas Personas, harum *consubstantialitatem in una Deitate* violant: unde et *Tritheitae* appellantur.

γ) Alii denique haeretici *ternarium numerum divinarum Personarum* impugnarunt, contendendo divinas Personas vel contineri *sub duali numero (Duotheistae)* vel excedere *ternarium numerum (Polytheistae).* — Pauca de singulis sectis.

13. Haeretici unitarii distinguuntur in *rigidos* et *moderatos.*

A) *Rigidi* unitarii sunt illi qui ita defendunt unicam Dei Personalitatem, ut omnino negent quamlibet pluralitatem, ne *symbolicam* quidem, divinarum Personarum. Ad hanc sectam pertiment.

α) Philosophi ethnici qui Deum optimum maximum, quem Iovem nominabant, unicum tam in *natura* quam in *persona* professi sunt.

β) Mahometes item cum propriis asseclis; qui, argumento, Epicuri digno, docuit Deum non habere Filium quia nullam habet uxorem!... In *Al-Qorâno,* Sur. 4, Mahometes ait: « Credite in Deum « et Legatos *(i. e. prophetas Dei),* et ne dicatis tres *(divinae Perso-* « *nae).* Deus est Deus unus. Absit, ut ei sit Filius!... »

γ) Recentes Israëlitae quoque inter rigidos unitarios sunt numerandi. Et dico « *recentes* » quoniam vetus Synagoga usque ad Christi adventum, implicite saltem, Trinitatem divinarum Personarum professa est; quum dogma istud, licet non expressis verbis, obumbrate tamen sub variis tropis et aenigmatibus inveniatur in libris Veteris Foederis; sicut inferius QQ. XXIX-XXXI dicetur.

δ) Nota. Si quis hoc loco causas exquiret propter quas Deus noluerit hoc mysterium expressis verbis revelare veteri populo Iudaeorum, duas nos hic ex Ss. Patribus atque theologis indicamus.

Prima in indole propria illius populi posita est. Quum enim Israëlitae per aegyptiacam servitutem proclives ad idololatriam redditi fuerint, Deus, sui constitutionem in tres personas noluit eis distincte revelare, sed potius suimet unitatem substantialem Israëlitis inculcavit ut ipsos ab idolorum cultu retraheret (Cfr. S. I. Chrysostomus,

Hom. *De incompr. Dei natura;* item S. Gregorius Magnus, Hom. XVI *in Ezech.,* n. 10; item Isidor. Pelusiota, Lib. 11 *Epist.,* ep. 142, et alii Ss. Patres de hac quaestione tractantes).

Altera causa fundatur super suavi providentia, secundum, quam Deus consulit fragilitati humanae. Homo enim se habet ad Deum, praecipue circa mysteria Fidei, sicut discipulus ad magistrum docentem; iuxta illud: « Et erunt omnes docibiles Dei » (Ioan. VI, 45). Videmus autem discipulos a prudenti magistro pedetentim manuduci ad cognitionem altissimarum veritatum. Conveniens ergo fuit, ut per incrementa temporum genus humanum paullatim instrueretur de arcano Trinitatis mysterio (Cfr. S. August., *QQ. Vet. Test.,* cap. 86). Atque ita revera contigisse apparet revolvendo libros utriusque Testamenti. Nam populo Iudaico, recens ab Aegyptiaca servitute liberato, Dominus per Legem datam in manu Mediatoris, specialiter commendavit *unitatem Deitatis* (Exod. XX, 2 seqq.; et Deut. VI, 4), aenigmatibus et metaphoris varis sollerter obtegens dogma trium in una Deitate Personarum. Postmodum per carmina prophetarum Israëlitas commonuit de *Dei Verbo,* subtiliter duobus istis distinctis nominibus innuendo tres in uno Deo Personas, videlicet Deum emittentem Verbum (i. e. *Deum Patrem*), Verbum procedens (i. e. *Dei Filium*), atque Patris et Filii indissolubilem Amorem (i. e. *Paraclitum Spiritum*). Quum vero advenit plenitudo temporis, superne accedente divinissimo Christi magisterio, evidentissima facta est in Evangelio mentio S.mae Trinitatis, atque propria singularum Personarum cunctis hominibus revelata sunt nomina (Cfr. Petavius, Lib. II. *De Trinit.,* cap. 7; et Card. Berti, *De Theol. Discipl.* Lib. VII, cap. 1).

ε) Tempore Apostolorum Cerinthus et Ebion unicam Dei Personam agnoverunt, impie docendo Iesum Christum fuisse purum hominem, ex Maria Virginem initium sumpsisse, atque in S. Scriptura nominari Filium Dei non per naturam, sed eo modo secundum quem homines divina gratia iustificati vocantur filii Dei (Cfr. S. Thom., Lib. IV *Cont. Gent.,* cap. 4).

ζ) Post evangelii praedicationem unitarismum rigidum professi sunt saec. II. Elkesaitae, quorum dux fuit Elkesai sive Elxai, pseudo-propheta ex Iudaeis oriundus. Isti haeretici decepti a forma foeminina vocabuli hebraici *(ruah)* quod Spiritum Dei significat Gen. I, 2, dixerunt Spiritum Sanctum esse personam sexus foeminini, et Christi sororem atque sociam (Cfr. Math. III, 16) in redemptione

mundi, utrique personae molem corpoream portentosam affingendo. Legi potest P. Van-Rast, O. P., *Hist. Haeret.* etc., §. *Error.* saec. II. — Elkesaitas sequuti sunt eodem saeculo plures Gnostici, uti Artemon et Carpocrates, horumque discipuli.

η) Saec. XVI inde exstitit Michaël Servede vel Servetus, professione medicus, Tarracone in Hispania natus an. 1509 et Genevae in Helvetia, Calvino urgente, vivens combustus die 27 octob. an. 1553. Iste haereticus, sicut narrat Calvinus in epistola 156 ad Sulcerum, non solum cultores dogmatis S.mae Trinitatis denominavit Tritheitas et atheos, sed etiam S.mam Trinitatem Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum *cerberum tricipitem* appellavit.....

θ) Non minus impie Ioan. Valentinus Gentilis, patria Consentinus et Bernae circa an. 1568 capite minutus, praedicavit dicendo: « Qui unum Deum in tres Personas distinguit, vel sibi praestigias « facit, vel necessario unius Dei substantiam dividit ac discerpit ». Legesis Spondanum, *Annales* etc. ad an. 1561, n. 34.

B) Unitarii *moderati* vocantur antitrinitarii, qui *unicam* in Deo *Personam* agnoscunt quam nominant *Deum Patrem:* alias vero duas Personas, quas in Deo Fides catholica ponit, retinent non tamquam duas realiter personas subsistentes, sed tamquam *duo attributa,* vel *duas operationes,* aut *duas emanationes* Dei Patris. — Deus Pater, aiunt isti haeretici, est veluti *substantia* Solis, Verbum Dei est velut *lux* Solis, et Spiritus Sanctus est veluti *calor* Solis. — Ex qua falsa positione sequitur, quod *vel* Iesus Christus sit retinendus tamquam persona pure humana, cui communicata fuerit *lux* Dei Patris; atque ita vera incarnatio Dei evanescit: *vel* tenendum sit, quod I. Christus sit ipsa Persona Dei Patris quae pro nostra redemptione et salute carnem assumpserit ex Virgine, atque passa et mortua fuerit in cruce; quemadmodum Ss. Patres in refutatione hujus haereseos urgent contra antitrinitarios. Propter quam causam isti haeretici *Patrispassiani* vel *Theopaschitae* nominantur (Cfr. S. Epiphan. Πανάριον, haer. 42, *al.* 62).

α) Hanc haeresim S. Irenaeus (Lib. I. *adv. haer.* cap. 23, *al.* 20) Simoni Mago, tamquam primo inventori, attribuit. Eam inde circa an. 172 sunt amplexati quidam ex Montanistis, Cataphrygae dicti; quemadmodum S. Epiphanius (Op. cit., haer. 48) atque Theodoretus (Lib. III *Haeret. Fab.* cap. 2) narrant. — Eodem quoque saeculo circa an. 196 Praxeas « primus ex Asia hoc genus perversitatis intulit

« Romae, homo et alias inquietus, insuper de jactatione Martyrii inflatus ». Haec Tertullianus Lib. *adv. Praxeam,* cap. 1. Legesis eiusdem Lib. *De Praescript.* cap. ult.; item S. Augustinum Lib. *De Haeres.,* haer. 41.

β) Saec. III, circa an. 245, Noëtus ex Epheso (Cfr. S. Epiphan. Op. cit., haer. 57) aut Smyrna (Cfr. Theodoretum, Lib. III. *Haeret. Fab.* cap. 3) oriundus eamdem haeresim defendit. — Sed huius haereseos patronus famosissimus, qui et toti sectae proprium nomen indidit, fuit Sabellius Ptolemaide in Lybia natus circa annum Christi 257. Is itaque haeresiarcha non aliam differentiam inter tres divinas personas agnovit praeter eam quae viget inter tres actiones eiusdem Personae. Docuit siquidem quod unica Persona, in Deo subsistens, inquantum ab aeterno decrevit homines ad finem supernaturalis beatitudinis elevare, erat *Deus Pater:* eadem divina Persona, inquantum se incarnavit pro hominum redemptione et salute, nominabatur *Filius Dei:* eadem denique Persona divina vocabatur *Spiritus Sanctus,* inquantum per Gratiae dona homines sanctificat et ad vitam movet supernaturalem (Cfr. hic, Q. I. art. 1, o). Contra Sabellium S. Dionysius Alexandrinus scripsit ad Sixtum Rom. Pontificem (Cfr. Euseb. *Hist. Eccl.* Lib. VII, cap. 6).

γ) Haeresim Sabellianam defendit postea Paulus Samosatenus, Episcopus Antiochenus circa an. 262, qui fuit propterea damnatus in quodam Concilio Antiochiae habito an. 270. In eamdem haeresim prolapsus est quoque Photinus, Ep.us Sirmiensis circa an. 350, sicut Marius Victorinus Lib. II *adv. Arium* narrat. Eamdem impietatem circa an 379 per Hispaniam sparsit Priscillianus, qui biennio post in Concilio Caesareae Augustae ab Episcopis Hispaniae et Aquitaniae condemnatus, ac iterum in altero Concilio Burdigalensi an. 385 anathematizatus, capite inde minutus est, ob sui pertinaciam, a civili potestate (Cfr. Sulpit. Severus, *Hist. Sacr.* Lib. II, cap. 46; et S. Hieronymus, Epist. 43 *ad Ctesiphontem*).

δ) Saeculis XVII et XVIII eadem haeresis caput extulit inter protestantes et rationalistas: penes quos tres divinae Personae sunt *tres modi* Divinitatis. Unde isti recentes Sabelliani appellati sunt *Modalistae.* Sic inter Anglos Stephanus Nie, Guillelmus Wiston, Ioannes Wallys (vir in mathesi superiori celebris) cum plerisque aliis Trinitatem divinarum Personarum exponunt, ita ut Bonitas Dei sit *prima* Persona Trinitatis, Sapientia Dei *secunda,* et Potentia Dei

tertia. Inter Batavos Herman Deusing existimavit Deum qua intelligentem esse *Patrem,* qua iudicantem esse *Filium,* et qua volentem esse *Spiritum Sanctum.* —Similiter Emmanuel Swedemborg († 1772) sentit Trinitatem esse *triplicem manifestationem* unius divinae Personae; quae tamquam creans nominatur *Pater,* tamquam redimens dicitur *Filius,* et tamquam sanctificans vocatur *Spiritus Sanctus.*

Haec eadem perversio dogmatis Trinitatis defenditur a Trieftrunk, Töllner, Silberschlag, Schlegel et aliis Germaniae Protestantibus, qui aut non aperte dogma S.mae Trinitatis reiecerunt, aut non pantheistico modo (quod pejus est) exponunt. Plerique namque eorum illud exponunt, dicendo Divinitatem esse *Monadem* quae successione effecta est Pater, Filius et Spiritus Sanctus...!

ε) Emmanuel Kant (1724-1804) vero postquam «docuit Deum sub «triplici aspectu considerandum esse, nempe ut *sanctum Legislatorem,* ut *providum Gubernatorem,* et ut *justum Iudicem*... addit «nos Deum venerari posse ut *Patrem* quatenus homines legi morali «obsequentes amat; ut *Filium* quatenus a se progenitam et amatam «ideam humanitatis *(Deus)* sibi repraesentat; et *Spiritum Sanctum* «quatenus cum maxima sapientia amorem suum ad moralitatis con«ditionem restringit: monet autem Kant *(Patrem, Filium et Spiritum «Sanctum)* nullatenus tres Personas distinctas agnoscendas esse per «quas unitas essentiae tolleretur». — Hactenus Cl. P. *Knoll, Instit. Theol. Dogm.,* (edit. VI), vol. I, §. 66, n. 3.

ζ) Hegel Georgius Guillelmus Fridericus (1770-1831) de Trinitate ita sentit. Omnia de uno principio procedunt, et in illud idem principium redeunt. Hoc unicum principium est *Idea,* et Idea est Deus. Haec propterea Idea-Deus habuit, sive complectitur, tres periodos; qui periodi ab Hegel nominantur *Idea-in-Se, Idea-pro-Se,* et *Idea-ad-Se,* sive *Thesis, Antithesis* ac *Synthesis.* Explico.

Idea-in-Se, seu *Thesis,* secundum Hegel, est Deus, consideratus antequam ponat actionem creatricem, nondum se cognoscens, nondum habens conscientiam sui, ideoque necdum *perfecte* existens, sed manens in τῷ *fieri.*

Idea-pro Se, seu *Antithesis,* est Idea se evolvens ut se contemplet; sive est Deus, qui se obiectivat et se producit per cognitionem suipsius, atque *fit Natura,* i. e. universitas creaturarum ab atomo materiae usque ad ingentes orbes coeli, a virgulto virente usque ad hominem, in quo acquirit conscientiam suipsius.

Idea-ad-Se, sive *Synthesis,* est reditus involutivus τοῦ *Ideae-pro-Se* ad *Ideam-in-Se;* sive est Deus, qui, postquam per evolutionem acquisivit conscientiam sui et notitiam totius Naturae, amat seipsum, atque per hunc amoris actum redit ad se et *fit* perfecte *Spiritus.*

Haec trilogia constituit, secundum Hegelianos, Trinitatem divinarum Personarum; ita ut

Thesis, sive Idea-in-Se, sit *Deus Pater,* inquantum nondum se cognoscit;

Antithesis, sive Idea-pro-Se, sit *Deus Filius,* qui producitur per actionem evolutivam Dei Patris, quique repraesentat totam rerum universitatem sive totam Naturam, et in quo Deus seipsum et omnes alias res naturales contemplatur;

Synthesis demum, seu Idea-ad-Se, est *Deus Spiritus Sanctus* qui per actum amoris connectit Deum Patrem cum Deo Filio; quique est etiam *nexus logicus* totius Naturae creatae cum Creatore, entis finiti cum ente infinito, entis realis cum ente ideali, conclusionis cum principio (Cfr. Bergiep, *Dictionnaire de Théologie,* Lille 1852, v. Hegelianisme; item Card. González, *Histoire de la Philosophie,* Paris 1891, vol. 4, pagg. 60-66).

γ) Schelling Fridericus Guillelmus Iosephus (1775-1854) similia circa Trinitatem proponit. Ipse enim, postquam statuit non exsistere realiter nisi τὸ *Absolutum* (i. e. principium unicum in quo realiter et entitative identificantur spiritus et materia, ideale et reale, elementum subiectivum et elementum obiectivum) atque τό *Absolutum* esse Deum, docet, quod istud *Absolutum,* seipsum ponendo in diversis positionibus, producit entia finita: quae proinde non sunt aliud quam formae sive modi substantiae unicae sive τοῦ *Absoluti.* Ex qua thesi aperte pantheistica nititur postea exponere dogma Trinitatis, dicendo quod τό *Absolutum,*

inquantum est principium in se infinitum, atque fundamentalis identitas omnium differentium, est *Deus-Pater;*

inquantum efflorescit et se expandit sub multiplici forma rerum finitarum, est *Deus-Filius;*

inquantum est principium manifestans identitatem originariam atque fundamentalem finiti et infiniti, et vi cuius identitatis omnes antinomiae inter spiritum et materiam, inter ideale et reale, inter subiectivum et obiectivum eraduntur penitus, vocatur *Deus-Spiritus-Sanctus.*

Ex qua expositione apparet, qualiter Trinitas, ad mentem Schellinghii intellecta, non sit nisi quaedam Trinitas Sabelliana, consistens in trina manifestatione sive potentia entis *Unius-Absoluti*. Lege cit. opus Card. González, IV, pagg. 19-32.

θ) Hegelii coaevus eiusque principiis addictus fuit Georgius Hermes (1775-1831); siquidem in sua *Christkatholische Dogmatik* (op. damn. per *Breve* Gregorii XVI, d. 26 Sept. 1835) docet, quod « Pa« ter, Filius et Spiritus Sanctus debent significare *effectus* Dei vel « divinae essentiae ».

ι) Sabellianismum sapit etiam expositio dogmatis S.mae Trinitatis tradita ab Antonio Rosmini-Serbati (15 Martii 1797 † 1 Iulii 1855). Ait enim, quod « tres supremae formae (τοῦ) *esse,* nempe subiectivi« tas, obiectivitas, *(et)* sanctitas, seu realitas, idealitas *(et)* moralitas, « si transferantur ad esse absolutum (*i. e. Deum,* Cfr. ibid. propp. 5, « 6 et 15), non possunt aliter concipi, nisi ut personae subsistentes « et viventes ». Est prop. XXV inter XL damnatas a S. C. S. O. die 14 Dec. 1887. Haec expositio Trinitatis, a Rosminio adhibita, in Sabellianismum incidit; quoniam, sicut sapienter advertit Cl. P. Ianssens O. S. B. in suo tom. III. *De Trinitate,* pag. 393, inter tres formas absoluti *realitatem, idealitatem* et *moralitatem* non adest nisi sola *distinctio rationis,* quemadmodum haec *sola distinctio* viget inter *ens, verum* et *bonum.*

14. Error alter, dogma S.mae Trinitatis substantialiter pervertens, nominatur *Tritheismus,* et consistit in hoc quod negat consubstantialitatem trium divinarum Personarum, affirmans Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse invicem realiter distinctos non solum quantum ad proprias personales subsistentias, sed etiam quantum ad proprias individuales substantias. Quae thesis quum varie ab eius professoribus exponatur, hinc tritheismus distinguitur in *Arianismum* videlicet tritheismum secundum inaequalitatem, *Philoponismum* seu tritheismum secundum aequalitatem, et in *Güntherianismum.*

A) Tritheismus secundum *inaequalitatem* tenet Patrem, Filium et Spiritum Sanctum esse tres Personas et tres substantias inter se realiter inaequales. Ista haeresis nominatur Arianismus ab Ario qui primus eam in Ecclesia excitavit. Fuit autem Arius ex Lybia oriundus, teste S. Epiphanio (Op. cit., haer. 73), externa corporis specie ad pietatem et modestiam compositus, ingenio versipellis, novitatum cupidus, dialecticis argutiis instructus, ambitione atque invidia prae-

potens. Presbyter factus est ad Ecclesiam (λαύραν) Baucalensem Alexandriae addictus, quum quadam die, decurrente an. 317, proprium Episcopum Alexandrum de S.ma Trinitate disserentem, atque intimam unionem Patris et Filii (Ioan. X, 30) propugnantem, audivisset, prurigine illi contradicendi affectus, coepit ex adverso defendere quod Deus Pater non ab aeterno neque de sua substantia genuerit Filium, sed ex nihilo, sive ex non extantibus. Ex quo venenoso fermento intulit, quod in S.ma Trinitate solus Deus Pater esset verus Deus ; Dei Filius autem esset prima et omnium nobilissima creatura Dei ; Spiritus Sanctus denique esset Patris et Filii creatura (Cfr. Socrates, Lib. I. *Hist. Eccles.,* capp. 5-6 ; item S. Th. Lib. IV, *Cont. Gent.,* cap. 6). Unde ad propriam haeresim evulgandam statuit Arius ut, vetere doxologia abiecta, proprii asseclae dicerent : *Gloria Patri* per *Filium* in *Spiritu Sancto.*

Arii impietate damnata anno 325 in Concilio Nicaeno I, ipsoque haeresiarcha post undecim annos horribiliter vita functo dum evacuaret alvum, eius sequaces in tres abierunt sectas.

α) Nonnulli, tenaciter Ario adhaerentes, permanserunt in profitendo *Dei Filium* dissimilem (ἀνόμοιον) *esse a Deo Patre :* unde *Anomaei* appellati sunt, et quandoque *Aëtiani* a proprio coryphaeo *Aëtio* (✝ 367) et quandoque etiam *Eunomiani* ab Eunomio Episcopo Cyziceno (✝ 395 ?). Huius sectae praecipui fautores fuerunt Euzoius, Uranius, Ursacius, Valens, Germinius, Auxentius, etc.

β) Alii Ariani, Imperatorem Constantinum metuentes qui vocem ἀνόμοιος magno prosequebatur odio, asperitatem ariani dogmatis mitigantes (unde *Semi-ariani* nominati sunt) coeperunt confiteri *Dei Filium non esse nec* ὁμοούσιον *nec* ἀνόμοιον, *sed* ὁμοιούσιον idest similem quantum ad essentiam et attributa *cum Deo Patre.* Hujus sectae duces exstiterunt Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus, atque sicut multis eruditis (Cfr. Nat. Alexander, *Hist. Eccl. Nov. Test.,* saec. IV. Dissert. 17) videtur, etiam Eusebius Ep.us Caesariensis (✝ 338).

Verum iste modus dicendi, adhibitus a Semiarianis, potest habere etiam catholicum sensum, sicut cuilibet vel mediocriter erudito patet. Et ob hanc causam plerique Ss. Patres, uti Basilius Ancyranus, Meletius Antiochenus, Eusebius Samosatenus etc., turbine arianae haereseos corda christianorum submovente, voce ὁμοιούσιος loco et vice termini ὁμοούσιος usi sunt sub spe pacem inter catholicos et arianos

inducendi. Lege quae docte scribit Honoratus Tournely in suis *Praelect. theolog.* De *Myster. Trinit.*, Q. ult. §. *Quid sit* ὁμοιούσιος.

γ) Alii demum Arianorum sustinuerunt *Dei Filium non esse cum Deo Patre* ὁμοούσιον neque ἀνόμοιον neque ὁμοιούσιον, sed esse similem (ὅμοιον) Deo Patri vel quantum ad intellectum et voluntatem, vel quantum ad accidentalia nescio quae lineamenta : eo fere modo quo homo dicitur Deo similis, aut statua Platonis huic est similis. Ista Arianismi forma fuit introducta ab Acacio Episcopo Caesariensi († 365), unde sequaces huius sectae vocati sunt *Acaciani.*

δ) Errorem Anomaeorum S. Gregorius Nazianzenus in Epist. I. *ad Cledonium Presbyterum* attribuit Apollinari Laodiceae in Syria Episcopo († 380) ; scribens loc. cit. quod Apollinaris quamdam scalam Deitatis inter Personas divinas induxerit, ponendo Spiritum Sanctum esse *magnum, maiorem* Filium, *maximum* Patrem.

ε) Eiusdem erroris exstitit Petrus Abaelardus sive Bajolardus (1079-1142) docens « quod Pater sit *plena* potentia, Filius *quaedam* « potentia, Spiritus Sanctus *nulla* potentia » (*Enchir.*, n. 368).

ζ) Laelius (1525-1562) eiusque nepos Faustus († 1604, d. 3. Martii) Socinus, a quibus infausta secta Socinianorum ortum duxit, ambo nobiles Senenses sed Calvinianis erroribus imbuti cunctos ferme veterum haereticorum errores denuo per magnam Europae partem excitarunt. Quantum ad Trinitatis dogma Anomaeis adhaeserunt, docendo solum Patrem esse Deum essentialiter ; Verbum Patris, seu Filium, proinde esse meram creaturam ex non exstantibus conditam ; Spiritum Sanctum denique esse dumtaxat Dei virtutem sive ἐνέργειαν (Cfr. Catechis. Racoviensis, QQ. 236-271).

η) Coeterum, quia haeresis Anomaeorum verbo tenus ab Unitarismo rigido (Cfr. n. 13, *A*) differt, propterea utraque haeresis communis est penes incredulos et Modernistas qui Christum tamquam purum hominem, insignem dumtaxat quantum ad plenitudinem sanctitatis et doctrinae, profitentur. Haeresis Modernistarum proscripta jacet in syllabo Pii PP. X propp. 27-35 (*Enchir.* nn. 2027, sqq.)

B) Tritheismus secundum *aequalitatem,* si errorem ipsum obiective consideremus, potest retineri tamquam surculus Semiarianismi (Cfr. §. praec., β), expresse tamen non coepit evulgari nisi saec. VI ex opera Iohannis Philoponi grammatici et philosophi Alexandrini : unde et *Philoponismus* nominatur. Cum enim iste Iohannes ex castris Eutychianorum esset, atque retineret naturam et hypostasim seu

personam esse *realiter* omnino *identicas,* intulit quod in Deo, sicut inveniuntur tres divinae Personae realiter distinctae atque aequales, ita profitendum esset tres extare Dei *naturas* realiter *distinctas* et *aequales* et consequenter etiam *tres Deos.* — Ecce simplex error in metaphysica naturali, haeresim originans in theologia!...

α) Haec haeresis eodem saec. VI fuit propugnata etiam a quodam Conone, Episcopo Tharsensi qui, quum a Philopono dissentiret circa aliud doctrinae caput, propriam habuit sectam *Cononitarum* dictam: de qua Nicephorus Lib. XVIII *Hist. Eccl.* cap. 49.

β) Ad haeresim Philoponi accessit saec. XI Roscellinus, Compendiensis primum, Bisuntinae deinde Ecclesiae Canonicus, Nominalium princeps. Falso enim existimans *essentiam* sive *substantiam,* acceptam *in universali* videlicet seorsim a propria individualitate et subsistentia, non esse aliquid reale sed *merum flatum vocis,* intulit, quod tres divinae Personae non haberent in communi unam individuam *substantiam* Deitatis, sed in Deo quot Personae, totidem essent *distinctae realiter* deitates. Contra Roscellinum scripsit tum Abaelardus eius discipulus (Cfr. hujus epist. 21) tum S. Anselmus, Roscellini coaevus, per opusculum *De Fide Trinitat. et de Incarnatione Verbi contra blasphemias Ruzelini sive Roscellini.*

« Roscellinus Clericus, scribit S. Anselmus, dicit in Deo tres Per-« sonas esse tres res ab invicem separatas, sicut sunt tres Angeli, « ita tamen ut una sit voluntas et potestas, et tres Deos vere posse « dici » (Cfr. Card. González, op. cit., II, pagg. 148, seqq.).

γ) De Tritheismo etiam jure accusatur doctrina famosi Abbatis Ioakim, in pago *Celico* apud Consentiam orti an. 1130 et in Monasterio S. Florae Ord. Cisterciensis in Calabria defuncti an. 1202. Ipse namque, sicut legitur in Conc. Later. IV (an. 1215) cap. *Damnamus* in libello *De unitate seu essentia Trinitatis* quem edidit contra Magistrum Petrum Lombardum «manifeste *protestatur,* quod nulla res « est quae sit Pater et Filius et Spiritus Sanctus... quamvis conce-« dat quod Pater, Filius et Spiritus Sanctus sint una essentia, una « substantia unaque natura. Verum unitatem huiusmodi non veram et « propriam sed quasi collectivam et similitudinariam esse fatetur; « quemadmodum dicuntur *multi* homines *unus* populus, et *multi* fide-« les *una* Ecclesia etc. » (*Enchir.,* n. 431).

C) Tritheismi formam prorsus singularem in theologiam invexit Rev. Antonius Günther (1783-1863). Inter alios errores ipse non so-

lum docuit, quod unaquaelibet res naturalis habeat determinationem ad se evolvendum in ens naturae intellectualis, sed etiam quod conscientia suipsius sit elementum formale constituens essentialiter personam videlicet substantiam perfectam intellectualis naturae. Quibus principiis positis, perpendit Günther, quod, quando homo habet cognitionem intellectivam veritatis, in eo homine

a) praeter *actum vitalem* cognitionis intellectivae inveniuntur

b) intellectus, sive *subiectum cognoscens* (θέσις);

c) *obiectum cognitum* (αντίθεσις) et

d) *adaequatio* inter subiectum cognoscens et obiectum cognitum (σύνθεσις θέσεως cum ἀντιθέσει)

Ita ex. gr. quando homo habet conscientiam sui, puta quando *ego vere cognosco meipsum,*

a') praeter *actum vitalem conscientiae* invenitur in me

b') τὸ *ego* sub φάσει *subiecti cogitantis* (en θέσις); deinde

c') τὸ *ego* sub φάσει *obiecti cogitati,* ac proinde tamquam *res opposita* seu *distincta* a τῷ *ego cogitante* (en αντίθεσις); et ulterius

d') *adaequatio,* seu σύνθεσις τοῦ *ego cogitati* cum τῷ *ego cogitante.* Revera phrasis *Ego cogitum meipsum* videtur aequipollere huic alteri, *ego cogitans* est τὸ *ego cogitatum.*

Loquimur autem de Deo analogice ad hominem qui est factus ad imaginem et similitudinem Dei (Gen. I, 27). Et ideo, quia Deus cogitat seipsum, in Deo oportet invenire, concludit Rev. Günther,

a") *actum conscientiae divinae;* deinde

b") τό Deus, tamquam *subiectum cogitans; item*

c") τό Deus, tamquam *obiectum cogitatum;* demum

d" adaequatio, seu σύνθεσις, *Dei cogitantis* cum *Deo cogitato.*

Est autem consideranda, subdit Günther, differentia inter φάσεις conscientiae nostrae et conscientiae divinae: siquidem in nobis sola φάσις *ego cogitans,* est *substantia;* dum φάσις τοῦ *ego cogitatum* nec non σύνθεσις τοῦ ego cogitati cum τῷ *ego cogitante* sunt *formalitates accidentales.* E contra, quia nullum accidens potest inveniri in Deo, in Deo τό *Deus cogitans,* τό *Deus cogitatus* nec non σύνθεσις του *Dei cogitati* cum τῷ *Deo cogitante* sunt totidem *substantiae divinae.*

Consequenter in Deo inveniuntur *tres substantiae;* sive Deus organice constituitur ex tribus substantiis, videlicet τῷ *Deus cogitans* (i. e. Deo Patre), item τῷ *Deus cagitatus* (i. e. Deo Filio), atque τῇ συνθέσει *Dei cogitati* cum *Deo cogitante* (i. e. *Deo Spiritu Sancto*).

Verumtamen, addit idem Günther, istae tres divinae substantiae, Pater, Filius et Spiritus Sanctus, non habent *unicam* numero *essentiam,* sed habent *unitatem* organice *constituentem* Deum, ens Absolutum; habent *unitatem dynamicam* seu *formalem* inquantum originantur et quodammodo continentur ab *unico actu divinae conscientiae* (Cfr. Card. González, Op. cit. IV., pp., 354-362; item Cl. P. Ianssens, Vol. *De Trinit.* pag. 385, seqq.).

Quod si his adiungamus unitatem conscientiae suipsius esse in systemate Güntheriano *elementum* formaliter *constitutivum, unitatis Personalis,* evidenter sequitur, qualiter, iuxta Güntherum, fatendum sit *in S.ma Trinitate adesse* tres divinas *substantias et* unitatem *Personae.* Quae assertio est perversio totalis dogmatis catholici de S.ma Trinitate, unde et merito proscripta fuit a Pio PP. IX, 15 Iun. 1857 (Cfr. *Enchir.,* n. 1655).

15. Praeter unitarios ac tritheistas exstitere etiam haeretici Δυοθεϊται vel *Dualistae,* qui scilicet *duas* solummodo *Personas divinas* agnoverunt. Ad hanc classem reducuntur tres sectae.

A) Prima nominatur *Manichaeismus* a *Manete* sive *Manichaeo,* qui hanc sectam inter Christianos plurimum promovit. Error fundamentalis huius sectae est dogma quo defenditur realiter exsistere duos Deos, sive duo prima principia quae creaverint, sive formaverint, atque gubernent mundum; unum videlicet *summe bonum* auctorem omnium bonorum ex. gr. *lucis, spirituum, Evangelii,* etc.; alterum vero *summe malum* auctorem omnium malorum, quae sunt in mundo, qualia ipsi retinebant esse *tenebras, materialia corpora, veterem legem* etc. Hic error, familiaris a tota retro antiquitate philosophis, sive magis, indis et persicis, fuit inductus ad explicandam originem malorum in mundo.

α) Ex ethnicorum castris hic error per Gnosticos deductus fuit inter christianos. Et primo quidem per Apellem Marcionis discipulum circa an. 146; sicut colligitur ex S. Epiphanio Op. cit. haer. 44. Eodem saec. II Cerdon eumdem errorem primum per Syriam deinde Romae sub S. Hygino Papa sparsit.

β) Saec. III execrabilis secta Manichaeorum fuit promota a quodam *Scythiano* per Aegyptum et specialiter in urbe Alexandriae. Eius discipuli fuerunt Terebinthus, et Manes in Perside natus an. 240 (sicut narrat Socrates, Lib. I *Hist. Eccl.,* cap. 22) quique plus coeteris errorem patrocinio suo promovit inter christianos.

γ) Ista haeresis quamvis pluries ab Ecclesia anathematizata, (Cfr. Conc. Caesaraugustae in Hispania an. 381, Burdigalense in Gallia an. 385, nec non epistola 15, *al.* 93, S. Leonis Magni ad S. Turribium, an. 447), atque etiam persecuta poenis ab Imperatoribus Romanis (Diocletiano praesertim et eius successoribus, ab an. 285 ad 491), numquam tamen extincta permansit : quinimo an. 380 transiit in haereditatem Priscillianistarum (Cfr. Sulpitius Severus, *Hist. Sacr.,* Lib. II, cap. 46) ; an. 492 fuit gratiose accepta ab Anastasio I, Imp. Constantinopolit. ; saec. VII a Paulicianis per Armeniam praedicata; postmodum saec. XI-XIII ab Albigensibus in Galliis ; nostro denique aevo valde protecta atque in vulgus diffusa per Spiritistas.

B) Altera secta, Dualismum Personarum solummodo in Deo sequens, est eorum qui divinitatem Spiritus Sancti negant, ac propterea a Conc. II Oecumenico (Constantinop. I) an. 381 Πνευματομάχοι appellantur, videlicet interemptores Spiritus Sancti : ita ut secundum istos haereticos duae solae Personae essentialiter divinae sint in Deo retinendae, nempe Deus Pater et Deus Filius. Huius haereseos inventor fuit Macedonius e secta Semiarianorum. Hic, favore et gratia tam Arianorum quam Constantii Imperatoris in Constantinopolitanam sedem intrusus an. 341, dignitate hac fuit exutus, eodem Constantio iubente, in quodam conciliabulo Byzantii ab arianis habito an. 359. Statim ab episcopali dignitate dimotus novam condidit haeresim, affirmans Spiritum Sanctum non esse Deum sed creaturam et Dei ministram (Cfr. S. Augustinus, Lib. II *De Haeres.* haer. 52). Haeresis ista a nomine sui auctoris vocatur *Macedonianismus,* et fuit damnata in Synodo Alexandrina an. 362 post reditum S. Athanasii ; deinde a S. Damaso in Synodo Romana, an. 380 ; et in Conc. Oecumenico II habito Byzantii, an. 381. Post huius Concilii, acta Macedoniani, pulsi per decretum Theodosii Magni Imperatoris in exilium, penitus extincti manserunt.

α) Docent theologi post S. Thomam (Cfr. inferius Q. XXXVI, art. 2) quod si Spiritus Sanctus procederet quidem a Patre sed non a Filio, ipse distingueretur realiter a *solo* Deo Patre : ita ut, facta hypothesi de processione Spiritus Sancti a *solo* Deo Patre, in Deo adessent *solummodo* duae realiter distinctae Personae, videlicet Persona *Dei Patris* et altera Persona *binomia*, quae nempe diceretur *Filius* inquantum terminat cognitionem Dei Patris, et vocare-

tur *Spiritus Sanctus* inquantum terminat actum amoris Dei Patris. Quare Ecclesia Graeco-Schismatica profitendo Spiritum Sanctum procedere a *solo* Deo Patre, nomine tenus ponit tres in Deo Personas, re tamen duas solas agnoscit, et consequenter *Duotheismi* sectatrix est agnoscenda.

β) Huius erroris germina tribuuntur Theodoreto, Episcopo Cyrensi († 458), Nestorii fautori; quoniam in Sess. VII Concilii Chalcedonensis, habita die 26 octob. 451, ipse impugnans verba noni anathematismi S. Cyrilli Alexandrini « Εἴ τίς... οὐχὶ δὴ μᾶλλον ἴδιον αὐτοῦ (Χριστοῦ) τὸ Πνεῦμά φησι... ἀ... ἔ.», respondit, in hunc modum: «*Pro*« *prium Spiritum Filii,* si quidem *ut eiusdem a Patre procedentem* « dixit *(Cyrillus),* simul et nos confitemur; si vero *tamquam* Ex *Fi*« *lio vel* PER *Filium suam habere exsistentiam et essentiam* dicit « *(Cyrillus),* id esse blasphemum et impium dicimus » (Cfr. Bellarminus, Lib. II. *De Christo,* cap. 21 et Petavius *De Trinit.,* Lib. VII, cap. 1).

γ) Iconoclastae postmodum (a Xenaia Hierapolitano Episcopo circa an. 723 exorti) non solum contra cultum Ss. Imaginum sed etiam contra processionem Spiritus Sancti praedicare coeperunt circa an. 766 sub Constantino Copronimo, Leonis Isaurici filio. — Ado, Viennensis in Gallia Episcopus, in suis *Chronicis* dicit hunc errorem fuisse proscriptum in Conciliis Gentiliacensi prope Parisios an. 767, et Aquisgranensi an. 809.

δ) Errorem hunc iterum saec. seq. excitavit in subalpinis Italiae regionibus Claudius natione hispanus, Felicis Urgelitani Episcopi († 814) discipulus, atque favore Ludovici Pii Imperatoris promotus ad Episcopatum Taurinensem.

ε) Is tamen error in apertam haeresim erupit saec. IX, Photio auctore. Quum enim vir iste sedem Constantinopolitanam, eiecto S. Ignatio legitimo Patriarca, invaserit an. 857, ob idque fuisset damnatus a S. Nicolao I, Rom. Pontifice, coeco inde furore percitus ausus est vicissim Summum Pontificem damnationis sententia perstringere. Scelera postmodum sceleribus superaddens, multas calumnias inverecunde contra Romanam obiecit Ecclesiam, hanc praesertim quod Latini scilicet Spiritum Sanctum a Patre *Filioque* procedere crederent. Photio, qui auctoritate et gratia apud Michaëlem Imperatorem valebat plurimum, omnes ferme Graeci adhaeserunt atque misere ita a fide et communione cum Romana Ecclesia se se-

pararunt. Post mortem Photii (890?) septemdecim, qui ei successerunt Patriarchae Constantinopolitani pacem et communionem cum Romana Ecclesia denuo instaurarunt aut instauratam promoverunt; donec anno 1053 Michaël Caerularius, ad sedem Patriarchalem promotus, schisma innovavit contra Romanam Ecclesiam, excitando inter coeteras etiam quaerelam de additione particulae *Filioque* in Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano a Latinis peracta. Ad hanc quaerelam sedandam actum est in Concilio Barensi an. 1097 sub Urbano II, S. Anselmo Episcopo Cantuariensi pro Latinis agente, iterumque sub Innocentio III, an. 1215, in Conc. Lateranensi IV, in quo pluribus editis decretis pax firmata fuit inter utramque Orientis et Occidentis Ecclesiam. Sed Graecis ex innata levitate ad vomitum redeuntibus, pax iterum, adnitente Graecorum Imperatore Michaële Palaeologo, sub Gregorio X firmata est an. 1274 in Conc. Lugdunensi II, utriusque Ecclesiae Praesulibus particulam *Filioque* interserentibus in solemni cantu Symboli Fidei. Nisi quod paulo post reditum Graecorum ad urbem Byzantii, Michaële Palaeologo interfecto an. 1282, fax schismatis inardescere coepit. Contra quod malum post varios eventus Concilium Florentinum sub Eugenio IV, an. 1439, adunatum est: in quo pax et communis Fidei professio fuit sancita denuo ab omnibus Patribus tam Latinis quam Graecis ibidem considentibus; uno excepto Marco Episcopo Ephesino, qui in suo errore pertinax remansit, librumque adversus Latinos edidit. Is in patriam redux alios in propriam haeresim adduxit. Sed, quia post acta Concilii Florentini Ecclesia Graeca per nullam publicam fidei professionem impugnavit processionem Spiritus Sancti *etiam a Filio,* haeresis quantum ad hunc Fidei articulum, si quae viget inter Graecos, *personalis* est, non vero totius Ecclesiae Graecae.

16. Hactenus de haeresibus et erroribus qui circa *substantiam* catholici dogmatis de S.ma Trinitate versantur; nunc addimus omnes errores et haereses exsistentes circa *modum secundum quem* veritas de S.ma Trinitate potest ab homine viatore cognosci, reduci ad *Rationalismum rigidum* aut *moderatum.*

A) Rationalismus *rigidus* est systema docens hominem nulla supernaturali Dei revelatione indigere, sed per solas vires suae naturalis rationis posse, et debere, iugi profectu ad omnis tandem veri et boni possessionem pervenire (Cfr. Conc. Vat., Sess. III, cann. 2 et 3 *De Revelatione,* item Syllabum Pii IX, die 8 Dec. 1864, propp.

3-6). Manifeste qui hunc errorem tenent, docent consequenter constitutionem intimam unius deitatis in Trinitate Personarum non esse mysterium proprie dictum sed solummodo theorema sublimioris metaphysicae naturalis.

α) Hunc errorem docuit saec. IV Eunomius, Aëtii discipulus. Licet enim totus esset in carnis spurcitiis volutatus, animo tamen se supra coeli cardines ambulare iactabat, dicens se ita perfecte Deum cognoscere, sicut Deus cognoscit seipsum ; quin et addebat ab intellectu creato posse Deum non solum naturaliter videri sed et rigorose comprehendi (Cfr. Van-Rast, Op. cit., §. *Error saec. quarti).*

β) Claudianus Mamertus, Presbyter Ecclesiae Viennensis in Gallia tenuit hominem ethnicum posse per solas naturalis rationis vires pervenire ad certo cognoscendum, quinimo perfecte demonstrandum, Deum esse Unum et Trinum. Etenim in opere *De Statu, sive Substantia Animae,* quod an. 471 contra Faustum Lirinensem scripsit, agens Lib. II, n. 7, de Platone ita loquitur : « Mirari admodum digne « nequeamus huius Platonis animum, qui, tantis equidem saeculis « ante puerperium Virginis, ante praedicatam Summae Trinitatis in « gentibus unitatem ineffabilem, tres in divinitate Personas laudabili « ausu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quaesivit, invenit, prodi« dit : Patrem Deum, Paternamque Mentem Artem sive Consilium, « nec non et utriusque horum Amorem Mutuum ; unam summam « aequiternam, indivisam divinitatem non solum ita credi oportere « docuit, sed ita esse convicit », idest perfecte demonstravit. — Quod sane de Platone elogium, sicut et alia quae de Mercurio Trismegisto, de Zoroastro, etc. a plerisque afferuntur, longe aliena esse a veritate infra Q. XXXII art. 1 ostendemus. Legi interim potest Petavium Lib. I. *De Trinit.,* cap. 2.

γ) Saec. XIV idem error videtur non displicuisse Beguardis et Beguinis (pseudo religiosis a Clemente V in Synodo Oecumenica Viennensi, an. 1311 damnatis) ; quoniam docuerunt «quaelibet in« tellectualis natura in se ipsa naturaliter est beata, quodque anima « *(humana)* non indiget lumine gloriae ipsam elevante ad Deum vi« dendum, et Eo beate fruendum » (*Enchir.,* n. 475). Modo constat eum, qui, Deum intuitive videt, clare et absque ullo aenigmate cognoscere Deum unum et trinum.

δ) Petrus Abaelardus, vir suo aevo artis logicae princeps, *Tractatum de S. Trinitate* composuit ; in quo, sicut S. Bernardus in

epist. CXC ad Innoc. II Romm. Pontif., cap. 4, scribit «dum multum « sudat ut Platonem faciat Christianum, se probat ethnicum ». Etenim, quum sola philosophia innixus paratum se crederet de omnibus reddendi rationem, de iis etiam quae sunt supra rationem, *et contra rationem praesumit et contra Fidem :* inquit ibidem, cap. 1 S. Bernardus. « Quid enim, scribit S. D., magis contra rationem, quam ra- « tione rationem conari transcendere? Et quid magis contra Fidem, « quam credere nolle quidquid non possit ratione attingere? — Unde, « auditoribus suis promittebat *(Abaelardus)* intellectum in his etiam « quae sublimiora et sacratiora profundo illo sinu sacrae Fidei continentur ». Libros et universa ipsius Abaelardi dogmata perversa damnarunt concilia Suessionense an. 1121, item Senonense an. 1140, necnon Innocentius II, Rom. Pontif., die 16 Iulii an. 1141 (*Enchir.,* nn. 368-387).

ε) Raymundus Lullius († 1314) duo edidit volumina, videlicet *Tractatum de Articulis Fidei,* et Lib. *De Demonstratione aequiparantiae* (videlicet demonstratione quae procedit ex duabus praemissis aequaliter evidentibus et certis); et in utroque opere contendit se posse tam clare et evidenter demonstrare mysterium S.mae Trinitatis, ut per eas demonstrationes vir Gentilius aut Mahumetanus perfecte convinceretur si eas semel animo penetrare vellet (Cfr. inferius Q. XXXII, art. 1). Errorem hunc Lullii ad instantiam Nicolai Eymerici O. P., Inquis. Avenion. dammavit Gregorius XI, Rom. Pontif., die 23 Feb. 1376. (Cfr. Nat. Alexander, *Hist. Eccl.,* Saec. XIV, c. 3, art. 20).

ζ) Saecc. XVII et XVIII rationalismum rigidum sequuti sunt circa modum cognoscendi S.mam Trinitatem ab homine viatore non solum omnes protestantes, et philosophi transcendentales uti Kant, Hegel et Schelling qui omnes more Sabellii S.mae Trinitatis dogma intellexerunt, sicut superius (n. 15, *B,* δ-ι) declaravimus ; sed etiam plures catholici scriptores, rationalismo teutonico infecti, quales fuere Georgius Hermes (Cfr. *Enchir.,* nn. 1618, seqq.), Antonius Günther (Ibid., nn. 1655, seqq.), et Iacobus Frohschammer (Ibid., nn. 1666, seqq.). De istorum argumentis opportunior erit sermo inferius.

B) Rationalismus *moderatus* est systema retinens quod, praesupposita revelatione veritatum quas Fides christiana vulgo praedicat, ratio humana, rite et historice exculta, possit per *sola* ontologiae naturalis prima principia demonstrare philosophice unamquamlibet ex

veritatibus Fidei christianae, ipso mysterio Dei-Unius-Trini non excluso.

α) Richardus de S. Victore († 1173), quamvis benigne ab Angelico Doctore (Q. XXXII, art. 1, ad 2m) exponatur, retinetur a multis theologis, quod rationalismo moderato faveat: quoniam in Lib. I. *De Trinit.*. cap. 4 dicit: « Credo sine dubio, quod ad quamcumque « explanationem veritatis non modo probabilia imo etiam necessaria « argumenta non desint ». (Cfr. eiusdem Lib. I. *De Sacramentis,* Tract. I, cap. 4).

β) Henricus Goëthals sive Gandavensis (1219-1295) in suis *Quodlibetis* idem cum Richardo docet (Cfr. Durandum, I, *Sent.,* Dist. II, q. 4; item Klée, *Storia dei dogmi,* P. II, cap. 4).

γ) Henrico Gandavensi adhaesit Ioannes Gerson sive Charlier (1363-1429), sicut refert P. Vázquez, P. I, Disp. 133, capp. 1-4).

δ) In eamdem falsam sententiam identidem per subsequentes aetates descenderunt plures alii theologi: uti Daniel Huetius (1630-1721) in opere *Quaestiones Alnetanae de concordia rationis et Fidei,* Lib. II, cap. 3; Augustinus Steucus Eugubinus (Lib. II. *De Perenni Philosophia,* cap. 6); P. Athanasius Kircher S. I. (1601-1680) in suis *Obeliscus Pamphilius, Obeliscus Aegyptiacus,* et *Oedipus Aegyptiacus;* item Marcus Mastrofini, Presbyter ex vico *Montecompatri* prope Romam (1763-1845), in opere *Metaphysica Sublimior De Deo Trino et Uno;* cuius operis primum tantummodo volumen publici iuris factum est Romae an. 1814 sedente Pio PP. VII.

ε) Nostris demum diebus Ab. Antonius Rosmini (25 Mart. 1797, 1 Iul. 1855) eumdem errorem renovavit. Sensit siquidem quod «Re« velatio misterio Ss. Trinitatis, potest ipsius exsistentia demonstra« ri argumentis mere speculativis, negativis quidem et indirectis; « huiusmodi tamen, per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas « revocetur, atque fiat propositio scientifica sicut coeterae: si enim « ipsa negaretur, doctrina theosophica *purae rationis* non modo in« completa maneret, sed etiam omni ex parte absurditatibus scatens « annihilaretur » (*Enchir.,* n. 1915).

Hactenus de erroribus et haeresibus contra catholicum dogma Ss. Trinitatis militantibus. Qui plura scire cupit, praeter Petavium legere poterit quae scribit noster P. Gazzaniga in vol. III. *De Trinit.* §. *Praefatio.*

17. Ad praecedentium igitur errorum et haeresum remotionem

Catholica Fides quatuor nobis credenda proponit circa physicam constitutionem Dei prout est in se, videlicet:

primo unitatem omnimodam, sivé *unicitatem,* divinaé naturae sive deitatis;

secundo numerum *ternarium dumtaxat,* non ampliorem neque minorem, Personarum in unica deitate subsistentium;

tertio distinctionem *realem* earum divinarum Personarum, non quantum ad formalitatem aliquam absolutam, sed quantum ad formalitates *relative oppositas;*

quarto demum absolutam hominis viatoris impotentiam perveniendi per suas solas naturales vires et ex solis naturalis ontologiae principiis ad philosophice demonstrandum coexsistentiam trium realiter distinctarum Personarum in una individua Dei natura.

18. Sed quia de omnimoda unitate divinae naturae disputatum est superius Q. XI huius primae partis, propterea de tribus aliis capitibus christianae religionis ad intimam Dei constitutionem pertinentibus edisserit Angelicus in prosecutione huius primae partis a Q. XXVII ad Q. XLIII inclusive: hoc tamen ordine ut

Q. XXVII constituat processiones reales, sive emanationes unius termini ab alio termino, realiter intra Deum inveniri; deinde

Q. XXVIII inferat relationes reales exsistere inter terminum *qui* in Deo procedit, atque principium *a quo* terminus *qui* procedit. Inde

Q. XXIX colligit terminum *qui* relative dicitur in divinis habere conditiones necessarias et sufficientes ut sit Persona divina. Consequenter

Q. XXX determinat ternarium numerum Personarum divinarum, qualem catholica Fides praedicat esse in Deo profitendum. Consequenter

Q. XXXI determinat *indolem distinctionis* quam corde et ore tueri debemus tam inter Personas divinas quam inter istas et individuam Dei naturam, ac tandem

Q. XXXII declarat *indolem transcendentalem* theorematis catholici de *Deo Uno-Trino* relate ad naturalem energiam intellectivam hominis viatoris: ita scilicet ut nonnisi ex fonte divinae revelationis illius exsistentia et intima natura certitudinaliter cognosci ab homine in hac vita possit. — Quo criterio constituto Angelicus ulterius procedens, considerat

primo divinas Personas *modo* quodam *absoluto,* determinando vi-

delicet attributa quae conveniunt *distincte* Deo Patri (Q. XXXIII), aut Deo Filio (QQ. XXXIV-XXXV), aut Deo Spiritui Sancto (QQ. XXXVI-XXXVIII) :

secundo considerat easdem divinas Personas *per ordinem* ad formalitates divinas quas includunt vel connotant (QQ. XXXIX-XLII. — Cfr. *Prolog.* Q. XXXIX).

tertio demum loco considerat Personas divinas *per ordinem* ad creaturas, ad quas *mittuntur* (Q. XLIII).

19. **Scholium.** Plerique theologi extra scholam S. Thomae, uti P. Knoll (*Instit. theologiae theoret.* Taur. 1883, Vol. I), Dr. Fr. Egger, (*Enchirid. theol. dogmat.* Brixinae, 1896) etc. tractatum de S.ma Trinitate ita disponunt, ut 1 loco agant de tribus Personis in una divina natura exsistentibus, 2 de processionibus divinis, 3 de relationibus, 4 de mysterii S.mae Trinitatis transcendentalitate relate ad humanam rationem, ac tandem de modo catholice loquendi de hoc mysterio.

Verum processus iste non est secundum disciplinae ordinem concinne dispositus. Etenim non potest theologice demonstrari realis exsistentia trium dumtaxat Personarum divinarum inter se realiter distinctarum, nisi prius declarata fuerit vera notio Personae divinae. Modo personalitas in Deo constituitur a relatione divina inquantum subsistente ; quemadmodum docent omnes theologi. Et ideo antequam demonstretur pluralitatem personarum in Deo inveniri, necessarium est constituere quod in Ipso Relationes quaedam reales locum habeant. Istae autem proprium fundamentum logicum habent in processionibus divinis. Et ideo aggredi disputationem de reali exsistentia trium Personarum in Deo, antequam definita sit atque in tuto posita exsistentia realis tam processionum quam relationum Deo immanentium, valet idem, ac niti demonstrare conclusionem, nondum declaratis praemissis ex quibus illa immediate et proxime dependet : qui processus evidenter illogismus est.

Angelicus e contra architectonice disponit praesentem tractatum, initia summens a processionibus Deo immanentibus, quae sunt fundamentum relationum et distinctionis inter terminos ipsarum processionum seu Personarum divinarum. Atque ideo primo vindicat praesentiam realium processionum in Deo, et postmodum logice concludit praesentiam trium Personarum divinarum nec non alia ad ipsas pertinentia. Unde insistendum est in hoc tractatu super methodum S. Thomae tamquam vere scientificam.

QUAESTIO XXVII

DE PROCESSIONIBUS DIVINIS

20. **Prologus.** — Ordinem constituimus et connexionem tractatus de *Trinitatis mysterio* cum priore de *Unitate Dei.* Expendimus transcendentiam dignitatemque mysterii *Dei Unius-Trini;* difficultates quoque et pericula, quae in considerando tam arcanum mysterium sunt superanda, enumeravimus. « Inde timendum foret, ne in huius « tam profundi pelagi ingressu, sub aquis tam vehementibus, inter « procellosas tot illidentium fluctuum motus mergeremur, nisi sola « Fide veluti cynosura D. Thoma nauta, duceremur. Intrepide tamen « vela pandemus sub eo Doctore et Ductore, qui Fidei praelucente « lumine iter diriget, deteget periculta, latebrosa complanabit invia; « vero et inaccessa adorare praecipiet ne scrutatores maiestatis op- « primamur a gloria » (Contenson, *Theol. Ment. et Cord.* Lib. III, §. *Praeloquium*).

Et quoniam (Cfr. n. 19) fundamentum ad intelligentiam mysterii *Dei Unius-Trini* sunt *divinae processiones,* ex quibus *oppositio relativa, et realis distinctio Personarum* S.mae Trinitatis dependent, ideo de huiusmodi processionibus prima nostra investigatio procedet. De his vero Angelicus in hac quaestione duo determinat videlicet

1.° An sint (art. 1 h. q.),

2.° Quot sint (artt. 2-5 h. q. — Cfr. art. seq.).

Art. I. Utrum processio sit in divinis.

21. *Circa titulum adverte* hic το « *divinis* » accipi *strictissime* ideoque significare ea quae sunt *vere* et *essentialiter* Deus (Caiet. *Com.* in h. a.).

22. Particula vero « *in* » exprimit *habitudinem* continentiae *quam habet* res continens *relate ad* rem contentam: constat. Porro una res potest aliam continere duobus modis, nimirum

α) vel *formaliter* sicut haec aula continet homines; et hoc modo dicimus *homines esse* in *aula:*

β) vel *virtualiter* sicut effectus continentur in propria causa

effectrice ; et hoc modo dicimus quod *motio artuum humanorum exsistit* IN *anima.*

Cum duplex ergo sit acceptio τοῦ « IN », de prima acceptione *tantum* fit sermo in h. a. Omnes namque ex principio causalitatis coguntur ponere processiones *exsistere virtualiter* in Deo ; hoc ipso scilicet quod huiusmodi processiones exsistant formaliter in creaturis. Etenim quidquid in creaturis exsistit *formaliter,* est SALTEM, *virtualiter* in Deo (Caiet. ibid.).

Adhuc τό « *sit* » in eodem titulo est accipiendum synonime ad τό « *exsistat realiter* » ; secundum quod scilicet τό « *exsistere realiter* » distinguitur a τῷ « *exsistere iuxta nostrum modum concipiendi* ». Plura enim, quae realiter non exsistunt, ex gr. *cervus alatus, phoenix, sphynx,* etc., concipiuntur tamen a nobis tamquam exsistentia (Caiet. ibid.).

23. Τό « *processio* » denique accipitur in articulo indefinite, ac si afficeretur signo syncategorematico « *aliqua* ». Unde sensus articuli est iste :

Utrum aliqua Processio exsistat realiter *ac* formaliter *in his quae sunt essentialiter verus Deus?* (Caiet. ibid.).

24. Ad huius quaesiti solutionem praemittendum est quid et quotuplex sit processio. Dico igitur quod

A) PROCESSIO, utpote synthesis vocis « *pro* » i. e. ante, et vocis « *cessio* » i. e. gressus, ex proprii nominis etymologia, exprimit quemdam *transitum de* uno *in* anteriorem alium *locum.*

B) A philosophis tamen atque theologis (Cfr. hic o ; et Q. X *De Pot.* inter *QQ. Dispp.,* art. 1, o) accipi solet trifariam, *proprie, minus proprie,* et *latissime.*

α) *Proprie* dicta processio est *motio* secundum quam corpus physicum de *uno* loco successive *per media* pervenit in *alium* locum ; seu est *latio sucessiva corporis physici de* uno *in* alterum *locum.* Hinc antonomastice *motio populi, aut cleri, cum maiestate facta* dicitur *processio.*

β) Processio, *minus propie* accepta, est τὸ *fieri effectus,* seu *passiva productio effectus a causa ;* prout scilicet in hac passiva productione invenitur *origo* et *ordo unius* AB *alio* aut POST *aliud.* Hac acceptione vocis « *processio* » utimur, quando dicimus quod corpus *ab* albedine procedit *ad* nigredinem, vel *de* parva quantitate *ad* magnam, vel *de* non-esse *ad* esse; aut e contra.

γ) Processio, *latissime dicta,* est *emanatio* vel *origo unius ab alio;* quo modo dicimus *radium procedere a sole, genitum procedere a generante, lineam procede a puncto, vocem ab ore, conclusionem a praemissis,* etc. et communiter *actionem procedere ab agente.*

25. **Scholium I.m** Quod nos latini intelligimus atque nominamus *processionem,* plerique doctores graeci vocarunt προβολήν, i. e. Tertulliano interprete (Lib. *adv. Praxeam,* cap. 8) *prolationem unius rei ex altera re.* Sed quoniam Valentinus, patria aegyptius, saec. II haereticus, προβολήν posuit in Deo, intelligens πλήρωμα divinitatis per varias προβολάς dividi (quasi pannus in frusta) in plures aeones, propterea S. Irenaeus (Lib. II. *Adv. Haeres.,* cap. 48), Origenes (Lib. I. *Periarchon,* cap. 2), Didymus (Lib. II. *De Spiritu Sancto),* Cyrillus Alexandrinus (Hom. XII *in Paschate)* et plerique alii Patres vocem προβολήν improbarunt, ne viderentur Valentinianis favere.

Ariani similiter ab eadem voce abhorrebant, ne cogerentur profiteri Filium ὁμοούσιον Deo Patri, sicut frustulum, per προβολήν decisum, manet consubstantiale cum toto a quo fuit avulsum. (Cfr. Theodoretum, Lib. I. *Hist. Eccles.* cap. 6.)

Pari ratione Praxeae et Sabellii discipuli animadvertentes aeones, per προβολάς derivatos, *distingui* invicem *personaliter* in sententia Valentini, propterea, ne cogerentur profiteri plures Personas realiter in Deo exsistere, a voce προβολή abstinebant. Lege Tournely, Op. cit., Q. II *De Trinit.,* art. I.

26. **Scholium II.m** In corpore huius articuli Angelicus ponit principium « Omnis processio est secundum aliquam actionem » (Cfr. etiam art. 5 h. q., o). Cuius principii sensus, quidquid in contrarium asserit noster P. Gonet (Disp. II *De proc. divin. Person.* art. 2) est iste, quem post Henricum Gandavensem (*Quodlibet.* VIII, q. I) sequitur Molina (Hic, Disp. I), videlicet.

« *Processio* α) *non est* **proprie** *actio,* β) *supponit tamen* **semper** «*actionem aliquam, et* γ) *comitatur* **indissolubiliter** *actionem* ».

Prob. I.ª pars. «*Processio non est* proprie *actio* ». Equidem si processio esset proprie actio, tunc, quoties dico : *Processio actionis ab agente,* sensus esset *Actio actionis ab agente:* loquutio plane absurda!

Prob. II.ª pars. « *Processio* subaudit *sive* praesupponit *actionem* « *aliquam* ». Et revera *motio localis* corporis physici *de* uno *in* alterum

locum (i. e. processio *proprie* dicta) praesupponit *actionem* moventis, quia, ob legem inertiae, omne, quod movetur, ab aliquo movente movetur: item *transmutatio ligni ex caliditate in frigiditatem* (i. e. processio *minus proprie* dicta) *supponit,* ob eamdem legem inertiae, actionem agentis alterantis tale lignum: tandem *emanatio ipsa actionis ab agente* (i. e. processio *latissime* sumpta) *subaudit* **saltem** hanc ipsam operationem. Ergo revera omnis processio praesupponit semper actionem aliquam. Q. E. D.

Prob. III.ª PARS. «*Processio aliqua comitatur* indissolubiliter *operationem*». Equidem nulla actio sive operatio est penitus sterilis, sed quaelibet actio realis effundit a se *semper* realitatem aliquam tamquam proprium fructum; sicut quisque per experientiam colligere poterit. Unde, sermonem invertendo, effusio seu promanatio alicuius realitatis ab actione agentis *comitatur indissolubiliter* eamdem actionem. Atqui huiusmodi effusio seu promanatio est *realiter processio* quaedam: uti per se patet. — Ergo verissime processio aliqua comitatur *indisolubiliter* operationem. Q. E. D.

Unde merito Molina loc. cit. scribit Processiones divinas esse **emanationes** quasdam et **resultantias** divinarum operationum, non autem *operationes* ipsas.

27. **Corolarium I.m** Ex notione Processonis *latissime* (n. 24, γ) dictae colligitur in ea inveniri simul

1.° terminum qui procedit, seu *procedens,*

2.° terminum *a quo* ille procedit, ac tandem

3.° aliquem *ordinem* seu *relationem* inter terminum *procedentem* et terminum *a quo* procedit.

Ita ex. gr. in processione *locali,* seu *proprie* dicta, alicuius corporis adest **movens** tamquam terminus *a quo* incipit motio corporis; adest quoque **energia** motrix illius corporis terminus *qui procedit;* adest demum **relatio** seu ordo inter *hanc energiam* et principium *movens:* et ita exemplariter in aliis processionibus contingit.

NOTA. Terminus *qui* et terminus *a quo* cuiuslibet processionis vocantur *extrema* processionis, seu relationis illi processioni propriae.

28. His praesuppositis, sit

Conclusio I. α) *Nec processio* **proprie** *dicta,* β) *nec processio* **minus propriae** *accepta exsistit* **realiter ac formaliter** *intra ipsum Deum.*

NOTA. Utraque pars est *certa* doctrina catholica.

Prob. I.ª PARS propositionis. *Ratione theologica.* Latio successiva corporis physici de uno in alterum locum nequit exsistere *realiter* et *formaliter* in re omnino inextensa, ex. gr. in puncto geometrico. — Atqui processio *proprie* dicta est latio succesiva corporis physici de uno in alterum locum (Cfr. n. 24, α): vicissim Deus, intime et quoad se inspectus, est realitas omnino inextensa (Q. III, art. 1, o). Ergo processio *proprie* dicta nequit intime intra Deum exsistere *realiter* et *formaliter* (Cfr. hic ad 1m).

Prob. II.ª PARS propositionis. *Ratione theologica.* Τὸ *fieri,* sive *passiva productio,* alicuius effectus nequit exsistere *formaliter* ac *realiter intra* substantiam omnino immutabilem: patet hoc ex terminis. Atqui Deus *intime* in seipso est substantia omnino immutabilis (Q. IX, art. 1, o): vicissim processio, accepta *minus proprie* est, τὸ *fieri effectus* alicuius (Cfr. n. 24, β). Ergo intime intra Deum nequit existere *formaliter* ac *realiter* processio accepta *minus proprie* (Cfr. hic, o et ad 3m).

29. Unde tota quaestio h. a. huc tandem reducitur, ut sciamus *Utrum in Deo intime exsistat* **realiter** *et* **formaliter** *processio aliqua* **latissime** (Cfr. n. 24, γ) *dicta?*

30. Ad cuius dubii solutionem, praeponimus distinctiones quas patitur processio *latissime* dicta. Distinguitur igitur huiusmodi processio primo in *Realem, Logicam* et *Mixtam.*

α) *Realis* processio est origo seu promanatio unius *entis physici* ab alio *ente physico.* Huiusmodi est origo *aurorae* a *sole, rivuli* a *fonte, actionis* ab *agente,* etc.

β) *Logica* processio est origo seu promanatio unius *entis rationis* ab alio *ente rationis.* (Ens rationis denotat notionem obiectivam exsistentem formaliter in **sola** cogitatione humanae mentis. Ita ex. gr. *formalitas* praedicati, et *formalitas* subiecti quas mens nostra affingit extremis alicuius iudicii mentalis, imo tota *artificiosa dispositio* terminorum in iudicio mentali, sunt *entia rationis*). Unde *logica* processio adest inter *conclusionem* syllogisticam et *praemissas syllogisticas*; quoniam tum *praemissae* tum *conclusio* syllogistica, *qua tales*, sunt *entia rationis*, videlicet res exsistentes in *sola* mente cogitante illas, et *dum* eas cogitat, et *quoadusque* eas cogitat.

γ) *Mixta* processio est emanatio *entis rationis* ab *ente physico.*

Haec processio viget in intellectu cogitante *ens logicum*. Ex. gr. quando mens cogitat *Genus logicum*, processio notionis *Generis logici* ab *actione physica* mentis est processio *mixta*.

31. His habitis notionibus, sit

Conclusio II. *Intime intra Deum nequit* **formaliter** *et* **realiter** *exsistere nec processio* **logica,** *nec processio* **mixta.**

Nota. Est propositio theologice certa.

Prob. *Ratione theologica*. Ens rationis, sicut ex eius definitione patet, est res sive notio exsistens *obiective* in *sola* mente cogitante actualiter illud. — Atqui processio *logica* viget solummodo inter duo entia rationis (Cfr. n. praec.); item processio *mixta* viget inter ens reale et aliquod ens rationis. (Ibid.): aliis verbis tam processio *logica,* quam processio *mixta* habent aliquod ens rationis tamquam terminum « *qui* » processionis. Et ideo tam processio logica quam processio *mixta* nequeunt inveniri nisi *intra intellectum* qui capax est formandi *ens rationis,* — Iamvero intellectus divinus non est capax conficiendi *ens rationis,* sicut in tractatu *De Deo Uno* pagg. 668-669 late exposuimus. — Et ideo *intime intra Deum nequit* formaliter *et* realiter etc. Q. E. D.

32. Non remanet propterea nisi investigare praesentiam alicuius processionis *latissime* dictae et *realis* intra Deum. Qua de causa praenoto quod

Processio *realis,* hoc ipso quod est promanatio unius entis physici ab alio ente physico, ad hoc ut sit *vere realis,* debet possidere **cumulative** tres conditiones

I[a] conditio. « Tam terminus « *qui* » quam terminus « *a quo* » illius « processionis debent esse *entia physica,* i. e. ex sese independentia « a nostrae mentis cogitatione ». Ratio est facilis. Nam, si vel unum eorum terminorum esset ens rationis sive non physicum, iam amplius non haberetur processio *realis,* sed processio *mixta* (Cfr. n. 30). Quod esset contra hypotesim.

II[a] conditio. « Entia physica, inter quae processio *realis* asseri« tur, debent inter se habere **aliquam** *realem* seu *physicam differentiam* ». Etenim, si duo termini A et B supponantur identici inter se quantum ad omnes earum proprias formalitates, periret vera *dualitas realis* seu *physica* inter eos, sed haberetur eorumdem *plena identitas.* Consequenter, si inter eos terminos daretur processio, non haberetur quod *unus* terminus procederet ab *altero,* sed quod *idem,*

manens idem, procederet *a seipso.* — Modo processio, per quam *idem, manens idem, procedit a seipso,* non est processio *realis,* sed *logica:* sicut, quum dico *A* procedit ab *A.* — Et ideo, ut processio *realis* exsistat inter duos terminos, est omnino necessarium, ut aliqua *differentia realis,* seu *physica,* exsistat in uno eorum, et non in altero. Q. E. D.

— Nihil tamen refert ad nostrum propositum, ut *ea differentia physica* sit entitas realis *absoluta,* aut entitas quaedam realis *relativa:* utrumvis horum sufficit.

Adhuc *termini,* inter quos processio *realis* viget, sunt *vel* operatio et terminus operatus, aut principium operans et operatio ipsa (quoties illa processio realis est per modum *operationis* — Cfr. n. seq.), *vel* sunt principium operans et terminus operatus (quoties processio realis est per modum *operati* — ibid.). — Atqui, *generatim loquendo,* inter principium *operans* et *operationem,* item inter principium *operans* ac terminum *operatum,* nec non inter *operationem* ac terminum *operatum* adest evidenter *relatio* aliqua *realis.* — Hinc

III[a] CONDITIO. « Ut *processio* aliqua sit *realis,* necessum est ut « adsit relatio (Cfr. n. 27, 3.°) et quidem *realis* (i. e. independens a « nostro modo concipiendi) inter extrema illius processionis, videlicet « inter terminum « qui » procedit, et principium « *a quo* » procedit ».

33. Adverte ulterius quod *processio realis* (Cfr. n. 30, α) subdividitur in processionem *realem per modum operationis* et processionem *realem per modum operati* (Cfr. art. 3 et 4 h. q.).

α) Si terminus « *qui* » per processionem *realem* procedit, sit *operatio aliqua* physica, ex. gr. *intellectio, volitio, effloritio, secatio,* etc. tunc ea processio nominatur *realis per modum operationis.* Ex. gr. in creaturis origo *intellectionis* ab *intellectu, volitionis* a *voluntate, efflorítionis* a *gemma virgulti,* etc. sunt processiones *reales* per modum *operationis.*

β) Si autem terminus « *qui* » per realem processionem emanat, sit *res physica* diversa ab *operatione,* tunc ea processio appellatur *realis per modum operati.* Huiusmodi est ex. gr. processio *verbi mentalis* ab *intellectu,* et similiter emanatio *formae* scamni a *serra* mota per fabrum; quoniam, iuxta thomistas, sicut *forma scamni,* causata a serra mota per fabrum, non est *operatio aliqua,* ita nec *verbum mentale* est *ipsa intellectio* per quam producitur, licet *subaudiat, connotet,* aque *supponat* operationem intellectivam (Cfr. hic, o,

et Q. seq. art. 4 ad 1m ; item Q. IV. *De Verit.* inter *QQ. Dispp.* art. 2, ad 7.m).

34. Attendendum est vero, quod processio, quia comitatur indissolubiliter (Cfr. n. 26) operationem, ab ipsa operatione denominationem habeat (Cfr. hic, o, et Q. X *De Pot.* art. 1, o). Est autem duplex operatio

A) una appellatur *immanens ;* et haec est illa operatio, cuius *effectus* manet **intra** *ipsam potentiam* a qua fluit immediate operatio. Huiusmodi est ex. gr. *intellectio,* quia eius terminus, videlicet *verbum mentale* manet *intra* intellectum eam intellectionem exercentem ; item *imaginatio,* quia *idolum imaginatum,* quod est eius terminus, manet *intra* potentiam phanthasiae, etc.

B) Altera operatio nominatur *transiens,* ex eo quod *infert effectum* seu terminum **extra** *potentiam* immediate exercentem illam operationem. Huiusmodi sunt *pingere, secare, urere,* etc.

α) Ea igitur promanatio unius entis physici ab alio ente physico, quae consequitur operationem aliquam *immanentem,* dicitur processio *realis ad intra,* seu *immanens.* Ita quoniam *intellectio* et *volitio* sunt operationes *immanentes,* ideo processio *intellectionis* ab *intellectu,* et *volitionis* a *voluntate,* item processio *verbi ab intellectu* illud concipiente, sunt processiones reales *ad intra ;* quia scilicet absolvuntur *intra* subiectum *immanenter* operans.

β) Ea vero promanatio unius entis physici ab alio ente physico, quae consequitur operationem aliquam ab agente *transeuntem* in passum, nominatur processio realis *ad extra* sive *transiens.* Ita ex. gr. *alteratio,* per quam aqua ex frigida fit calida sub calefactione ignis, est processio *realis ad extra ;* eo quod *calefactio* est actio *transiens* ab igne in circunstantia corpora : res patet.

35. **Scholium III.m** Ut processio aliqua sit vere *realis* simulque *immanens* seu *ad intra,* necesse est, ut ea processio habeat *non solum* omnes tres conditiones n. 26 memoratas (quae scilicet necessariae sunt ad hoc, ut processio sit *realis*), sed etiam ut *terminus, qui* procedit, maneat in *principio a quo* procedit, secus processio *realis* esset *transiens,* ut notum relinquitur.

36. **Corollarium II.m** Processio, quia consequitur sive comitatur indissolubiliter actionem aliquam (Cfr. n. 26), *attemperatur naturae* eiusdem actionis ; quia accessorium attemperatur ad naturam sui principalis. Atqui operatio *immanens* est *perfectio quaedam* eiusdem

operantis (*intellectio* siquidem et *verbum mentale* sunt perfectiones quaedam intellectus cogitantis); e converso *operatio transiens* non est perfectio *causae operantis,* sed potius *subiecti in quod terminat* (revera *actio calefactiva* non perficit ignem, sed potius aquam, in quam terminat). Propterea

α) processio realis *immanens,* sive *ad intra* est *ex suo genere* perfectio quaedam **operantis immanenter** (hic. o. et cit. Q. X. *De Pot.,* art. 1, o): dum

β) processio realis *transiens,* sive *ad extra,* non est *ex suo genere* perfectio quaedam subiecti operantis, sed potius *subiecti* in quod *agens operatur* (Ibid.).

37. Natura nec non divisione agnitis processionis *latissime* dictae, nunc ad praepositi (Cfr. n. 32) dubii solutionem accedentes, sit

Conclusio III. *In Deo exsistunt* **formaliter** *quaedam processiones* **latissime** *dictae.*

Nota. Haec propositio pertinet ad fidem catholicam.

Prob. 1.° *Argumento Biblico.* S. Scriptura pluribus in locis affirmat extare *formaliter processiones quasdam* inter divinas Personas. — Sed istae divinae Personae, utpote subsistentes et quodammodo plantatae in divina natura, exsistunt in Deo. Ergo, secundum S. Scripturam, processiones quaedam exsistunt *formaliter* in Deo. Iamvero huiusmodi processiones non possunt esse processiones *proprie* aut *minus proprie* dictae; sicut superius (n. 28) ostendimus. — Debent propterea esse processiones *latissime* dictae. Consequenter aliquae processiones *latissime dictae* exsistunt *formaliter* in Deo. — Illationes patent, et similiter reliquae propositiones, excepta prima propositione. Haec itaque probatur

α) Et primo quod adsit *formaliter* processio aliqua inter duas primas divinas Personas constat evidenter ex earum nominibus, *Patris* videlicet ac *Filii:* evidens est namque Filium *procedere* a Patre. — Deinde Christus de se, tamquam de Deo, loquens ait: «Ego ex « Deo processi (ἐξῆλθον) et veni: neque enim a meipso veni, sed Ille « me misit (ἀπέστειλεν) » (Ioan. VIII, 42. Cfr. ibid. III, 17; et XVI, 28). Ergo vere adest *formaliter* processio aliqua inter Personam Filii Dei a Persona Dei Patris (Cfr. S. Augustin. Tract. 42 *in Ioan.*).

β) Similiter, quia legimus Christum in Evangelio dixisse: «Para- « cletus *(i. e. Spiritus Sanctus)* quem Ego *mittam* (πέμψω) vobis a « Patre, Spiritum Veritatis qui a Patre *procedit* (ἐκπορεύεται), ille te-

« stimonium perhibebit de me etc. » (Ioan. XV, 26), concludimus *aliquam processionem* exsistere *formaliter* etiam inter Personas Dei Patris ac Filii Dei et Personam Dei Paracleti.

Atque ita conficitur verissimum esse quod aliquae processiones exsistant *formaliter* inter divinas Personas : quae erat maior propositio ostendenda (Cfr. hic *Sed. Cont.*).

γ) Dices. Τὸ « procedere » *in allatis testimoniis S. Scripturae est intelligendum metaphorice, quemadmodum verba* « oris uteri, etc. » *alibi occurrentia. Ergo ratio inducta non cogit.*

R. Nego antecedens et *paritatem ;* quia, monente S. Augustino (Lib. III. *De Doctr. Christ.,* cap. 10) verba S. Scripturae sunt accipienda in sensu *obvio* et *proprio,* nisi sequatur absurdum. At sequitur absurditas antropomorphismi, si *os* et *uterus,* quum de Deo dicuntur in S. Litteris, intelligerentur in sensu proprio : et propterea illas voces docemus intelligendas esse metaphorice. E contra nullum absurdum sequitur, sed potius constabilitur dogma catholicum de SS. Trinitate, accipiendo τὸ « *procedere* » in sensu proprio. Et ideo ita accipi istud oportet. Quare argumentatio nostra prima manet omnino vera.

Accedit quod τὸ « *procedere* » metaphorice sumptum non potest aliud significare nisi originem unius ab alio : quae significatio est praecise id, quod intelligimus per processionem *latissime* dictam, quamque contedimus in Deo *formaliter* exsistere.

Addimus praeterea Ss. Patres, qui sunt exegetae auctoritatem facientes in rebus fidei et morum, omnes intellexisse, processiones *formaliter* in Deo exsistere in sensu proprio, non autem metaphorice.

2.° *Ex universis Fidei symbolis* idem deducitur. Siquidem profitemur secundam Personam S.mae Trinitatis *genitam fuisse* a prima, et Paracletum Spiritum *procedere* a Patre et Filio. Atqui *generatio* est quaedam processio *latissime* dicta. Ergo fide credendum est inter Patrem et Filium, atque inter utrumque et Sactum Spiritum, uno verbo inter Personas S.mae Trinitatis exsistere *formaliter* quasdam processiones *latissime* dictas.

3.° *Ratione theologica.* Loquimur de divinis secundum *analogiam* ad creaturam humanam quae dicitur facta ad imaginem et similitudinem Dei. — Atqui in nobis exsistit *formaliter* emanatio *verbi mentalis* quae consequitur nostram intellectionem : sicut in psycologia ostensum fuit. Et ideo in Deo, qui est in vertice naturae intellectua-

lis et possidet intellectum infinite perfectum (P. I. Q. XIV), *analogia* exigit, ut in Eo exsistat *formaliter* et *modo actualissimo* emanatio quaedam *Verbi* ex parte divinae intellectionis. — Sed emanatio *verbi mentalis* quae consequitur operationem intellectivam, est processio quaedam *latissime* dicta (Cfr. n. 24, γ). Ergo exsistit formaliter in Deo processio quaedam *latissime* dicta (Hic, o).

Confirmatur. Legimus Isai. LXVI, 9 « *Numquid Ego qui alios pa-* « *rere facio, Ipse non pariam? dicit Dominus. Si Ego qui generatio-* « *nem coeteris tribuo sterilis ero? ait Dominus Deus tuus.* — Et licet « dici possit hoc *(testimonium)* esse referendum ad multitudinem fi- « liorum Israel de captivitate revertentium in terram suam, quia « praemittitur : *Parturivit et peperit Sion filios suos* (Ibid., 8) ; tamen « hoc proposito non obsistit. Ad quodcumque enim ratio aptetur, ipsa « tamen ratio quae ex Dei ore inducitur, firma et stabilis manet, ut, « si Ipse aliis generationem tribuat, sterilis non sit. Nec *(enim)* es- « set conveniens ut qui alios vere generare facit, Ipse non vere sed « per similitudinem generet : quum oporteat nobilius esse aliquid in « causa quam in causatis » (Lib. IV. *Cont. Gent.*, cap. 2). Unde

S. Ioan. Damascenus verba prophetae expendens scribit : « Nefas « est dicere Deum naturali foecunditate caruisse » (Lib. I. *Orth. Fid.*, cap. 8).

Et S. Cyrillus Alexandrinus (Lib. *Thesauri,* assert. 5) scribit : « Si... impium est dicere mentem humanam fructum nullum proferre, « cum id Dominus testetur et res ipsa probet, quo pacto non absur- « dum fuerit dicere supremam omnium mentem infrugiferam esse, et « foecunditate, quae ei convenit, privare? aut (si dicant generare) « corporeis legibus subiicere, atque ita perinde ac corpus generare, « cum ne mens quidem, quae in nobis est, corporeo modo generet? ».

Cui concinit S. Athanasius scribens contra Arianos *Orat. 2 :* « Quod si ipsa divina natura, ut *(Ariani)* putant, foecunda non est, « sed sterilis, ut lux non illuminans et fons siccus, nonne eos pudere « debet affirmare Eum (= *Deum*) vi efficiendi praeditum esse? »

Breviter argumentum Ss. Patrum est istud : Tenendum est Deum habere naturam foecundam. Foecunditas autem in eo sita est, ut quis ex propria substantia prolem natura similem sui edat. Ergo fatendum est Deum de sua substantia ab aeterno *genuisse* Filium : ideoque processionem aliquam exsistere *formaliter* in Deo. Q. E. D. — Sit nunc

38. **Conclusio IV.** *Processio, in Deo* **formaliter** *exsistens, est realis.*

Nota. Est doctrina theologice certa, ne dicam catholica.

Prob. *Rationibus theologicis* 1.° Processio quaelibet est vel realis, vel logica, vel mixta (Cfr. n. 30). — Atqui processio, *formaliter* in Deo exsistens, non potest esse neque *logica* neque *mixta* (Cfr. n. 31). — Ergo est *realis.*

2.° Praeterea processiones, *formaliter* in Deo exsistentes, sunt illae quae vigent inter Patrem, Filium et Spiritum Sanctum ; sicut ex n. praec. apparet. Atqui, secundum S. Scripturam, processiones *formaliter* exsistentes inter Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, sunt *reales.* — Ergo etc. Prob. min. Sicut ostendimus n. 32, processio aliqua est *realis,* quando *simultanee* possidet tres conditiones, videlicet 1.° ut tam terminus « *qui* » procedit, quam terminus « *a quo* » procedit, ambo sint *realitates* ex propria natura *physicae;* 2.° ut *differentia* aliqua *physica* adsit inter eos terminos; et 3.° ut *relatio* aliqua realis seu *physica* vigeat inter illos terminos. — Modo tres istae conditiones verificantur perfectissime in processionibus divinis. Etenim, sistendo in verbis evangelicis relatis n. 37, §§. α) et β),

α) Pater, Filius et Spiritus Sanctus, qui constituunt extrema talium processionum, sunt non solum termini ex sese *physici,* sed etiam *Personae essentialiter divinae ;* sicut paulo post ostendetur :

β) deinde inter eosdem terminos *distinctio* et *differentia* aliqua *physica* asseritur per eadem evangelica verba. Nam dicitur Patrem *mittere* Filium, Filium *mittere* Spiritum Sanctum, et Spiritum Sanctum *procedere* a Patre (παρὰ τοῦ πατρὸς). Iamvero inter *mittentem* et *missum,* inter *procedentem* et *eum* a *quo procedit* debet esse *realis distinctio,* quoniam, proprie loquendo, *nemo* mittit *seipsum,* neque *procedit a seipso.*

γ) denique evidens est, qualiter *relationes* reales, seu *physicae,* et *mutuo oppositae* adsint inter *Personam* mittentem et *Personam* missam, inter *Personam* quae procedit et *Personam* a qua procedit.

Ergo verissime processiones *formaliter* exsistentes inter Patrem, Filium, et Spiritum Sanctum, possident, secundum testimonia S. Scripturae, omnes conditiones requisitas ut sint *processiones reales.* Q. E. D. (Cfr. hic, o, et I. *Sent.,* Dist. XIII, Q. I, art. 1, o ; et Q. X. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 1, o).

39. Sed, quia processio realis potest contingere tam secundum

operationem *immanentem*, quam secundum operationem *transeuntem* (Cfr. n. 34), propterea sit

Conclusio V. *Aliqua processio realis* **transiens** *tribuenda est, sive convenit,* **formaliter** *Deo.*

Nota. Est certa doctrina catholicae Fidei.

Prob. *Ratione theologica.* Processio *realis transiens* est illa quae consequitur *actionem transeuntem* ab agente in passum ; ut ex definitione (Cfr. n. 34, β) processionis transeuntis colligitur. Unde illi agenti, cui convenit *formaliter* exercere *actionem transeuntem,* competit quoque *formaliter* processio *realis transiens,* illam actionem consequens. — Atqui *creatio, gubernatio, redemptio sanctificatio.* et *glorificatio* sunt *operationes* quaedam *transeuntes ;* quoniam terminus « *qui* » per illas operationes procedit, manet extra *creantem, gubernantem, sanctificantem,* etc. Itidem illae actiones conveniunt *formaliter* Deo. — Ergo Deo *formaliter* conveniunt processiones quaedam *reales transeuntes ;* quae scilicet praedictas actiones consequuntur (Cfr. hic, o ; item Q. cit. *De Pot.*, art. 1, o).

40. Post dicta apparet, quod tota difficultas circa indolem processionis, *formaliter* exsistentis in Deo, reducitur ad definiendum : *Num* realis *processio, quam S. Scriptura ponit* formaliter *exsistere inter Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, sit accipienda secundum* operationem aliquam Deo immanentem, *an* solummodo *secundum* aliquam operationem Dei transeuntem ? Et movetur ista quaestio specialiter ad refutandas haereses Arii et Sabellii superius (n. 13, *B*, et n. 14, *A*) memoratas.

41. « Quidam enim acceperunt hanc processionem *(quam scilicet « S. Scriptura ponit in divinis)* secundum quod *effectus* procedit *a « causa.* Et sic eam accepit Arius, dicens Filium *procedere* a Patre « sicut *primam Eius creaturam,* et Spiritum S.m *procedere* a Patre « et Filio sicut *creaturam utriusque* » (Hic, o) : unde et Arius negavit *consubstantialem divinitatem* trium Personarum SS.mae Trinitatis. — Hanc haeresim nonnulli existimant Arium hausisse ex doctrinis Origenis (Cfr. eius *Com.* in cap. I Evang. S. Ioan.) qui propterea Arianorum fons a S. Epiphanio (Παράριον, haer. 64), a S. Hieronymo (Epist. *ad Pammach. et Oceanum*), et a pluribus aliis Ss. Patribus appellatus est (Cfr. infra Q. XXXIV, art. 1, ad 1.m). Alii vero eruditi cum S. Thoma (Cfr. Lib. IV. *cont. Gent.* cap. 6) autumant Arium suam haeresim ex Platonicorum placitis derivasse. Mihi autem *vide-*

tur utrosque eruditos verum habere ; quoniam sentio ex Platonicorum libris in libros Origenis, et ex his in mentem Arii eam haeresim derivasse (Cfr. infra Q. XXXII, art. 1, ad 1.m). Ut sit de prima origine haeresis Arianae, hanc sequuntur nostris diebus nom solum Sociniani sed etiam omnes increduli et Modernistae, qui Iesu Christi divinitatem impugnant (Cfr. n. 14, *A*).

42. Ad eversionem huius impietatis

α) primo notamus ex Lib. IV. *Cont. Gent.*, cap. 4, quod iuxta Fidem Catholicam Christus est persona theandrica, est videlicet Dei Filius simultanee subsistens in natura divina et in natura humana (Cfr. P. III, Q. II, artt. 1-2). Et propter hoc quaedam idiomata conveniunt Christo, secundum quod est Dei Filius subsistens in natura divina ideoque *essentialiter Deus ;* quaedam vero alia idiomata conveniunt Christo secundum quod est Dei Filius subsistens in natura humana, ideoque et *verus Homo*. Ex qua veritate ulterius sequitur, ut si aliquod idioma, a S. Scriptura vel generatim a divina revelatione attributum Christo, nequeat affirmari de Christo (i. e. Dei Filio) *in quantum subsistente in humana natura,* debet ex necessitate affirmari de Christo (i. e. Dei Filio) *inquantum subsistente in natura divina*. Per incarnationem enim dominicam hoc factum est, ut scilicet « in utraque natura idem est Dei Filius, nostra suscipiens, et propria « non amittens... Deitas enim quae Illi cum Patre communis est, « nullum detrimentum omnipotentiae subiit, nec Dei formam *(natu-* « *ram)* servi forma *(i. e. humana natura assumpta)* violavit etc. ». Hactenus S. Leo Magnus, Serm. 7 *De Nativ. Domini.*

Iamvero operatio, *soli* Deo conveniens, est *creare* (Cfr. P. I. Q. XLV, art. 5) ; item *conservatio rei in essendo* (Ibid. Q. CIV. artt. 1-2) ; item *causare gratiam sanctificantem animam* (Cfr. P. I-II, Q. CXII, art. 1), iuxta illud : « Gratiam et Gloriam dabit Dominus » (Psal. LXXXIII, 12) ; quemadmodum *ultima hominis beatitudo* in *solo* Deo consistit (Cfr. P. I-II, Q. II, art. 8, et Q. III, art. 8) ; et *adoratio latriae soli* Deo competit (Cfr. P. II-II, Q. LXXXIV, art. 1, o), iuxta illud Christi ad Satanam (Matth. IV, 10) : «Dominum tuum « adorabis (προσκυνήσεις), et Illi soli servies (αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις) ». Et ideo, si in divina revelatione inveniatur Christo attributa operatio *creativa,* aut *conservativa rerum,* aut *sanctificatio* et *glorificatio hominum,* vel quod *Ei debeatur cultus latriae ;* in omnibus istis loquutionibus sermo habetur de Persona Christi inquantum subsistit

in natura divina, seu de *Persona Filii Dei* inquantum *subsistit in divina natura*. Sed evidenter Persona Filii Dei, *inquantum* subsistit in divina natura, est *essentialiter* Deus. Ergo, si in divina revelatione Christo inveniatur attributa operatio *creativa,* aut *conservativa rerum* aut *sanctificatio* etc. in omnibus istis loquutionibus divinae revelationis designatur nobis *Persona Christi* tamquam *Persona Filii Dei* formaliter *subsistens in divina natura,* sive tamquam *Persona* essentialiter *divina*.

β) Secundo loco notamus, quod quum *verus* Dei Filius procedat a Deo Patre per emanationem intelligibilem (Cfr. artt. 2 et 3 h. q.), videlicet tamquam *Verbum mentale* terminans divinam intellectionem ; et quia istud Verbum mentale est **unicum** *numero* sicut *una numero* est actio per quam Deus omnia intelligit (Cfr. superius Q. XIV, art. 4, o), et est ipsa *Aeterna Dei Sapientia ;* proterea in divina revelatione *verus* Dei Filius nominatur κατ' ἐξοχήν *Verbum Dei Patris,* Λόγος τοῦ Θεοῦ, vel *Unigenitus Dei Filius,* vel *Sapientia increata* seu *aeterna* (Cfr. inferius QQ. XXXIV et XXXV). Unde haec nomina *verus Dei Filius, Unigenitus Dei Filius,* vel *Dei Verbum* seu Λόγος τοῦ Θεοῦ, vel *Dei Sapientia increata* seu *aeterna* denotant unam eamdem secundam Personam S.mae Trinitatis. — Quibus animadversis, sit

43. **Conclusio VI.** *Arii expositio de Divinis processionibus reiicienda est tamquam haeresis.*

Nota. Est fidei dogma.

Prob. 1. *Argumento Biblico.* S. Scriptura, de divinis processionibus agens, expresse affirmat, ut *A*) is qui in divinis procedit tamquam Λόγος sive *Dei Filius* sive *Dei Sapientia, B*) necnon ille qui in divinis procedit tamquam *Spiritus Sanctus,* sive *Paraclitus,* sunt essentialiter Deus non autem creatura. — Atqui Arius ex adverso de divinis processionibus loquens, affirmat tam Dei Filium, quam Paraclitum Spiritum esse creaturas quasdam tametsi nobilissimas, — Ergo expositio Arii de divinis processionibus contradicit evidenter auctoritati S. Scripturae ideoque est haeretica. — Prop. min. et illationes relinquuntur notae. Prop. mai. probatur per partes.

I.ª pars *(A)* « S. Scriptura expresse affirmat, ut is qui in divinis « procedit tamquam *Dei Filius,* vel Λόγος vel *Sapientia Dei,* sit essentialiter Deus ». Prob. α) primo ex illo « In principio erat Ver« bum: et Verbum erat apud Deum: et Deus erat Verbum » (Ioan. I,

1): vel iuxta phrasim graecam Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεον, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, videlicet ὁ Λόγος ἦν Θεός. Ecce: ponitur *identitas* inter *subiectum* ὁ Λόγος (ος ἐν ἀρχῇ ἦν πρὸς τὸν Θεὸν) atque *praedicatum* Θεός. — Modo *Verbum quod in principio erat apud Deum* non potest aliud designare quam *Verbum Dei Patris.* — Unde ex v. 1. Evangelii S. Ioannis clare habetur, qualiter is, qui in divinis procedit tamquam Dei Patris Verbum sit essentialiter Deus (Cfr. Lib. IV, *Cont. Gent.* cap. 3).

β) « Praeterea. Nihil quod est in aliquo genere, est universalis « causa eorum quae sunt in genere illo ; sicut universalis causa ho- « minum non est aliquis homo (*secus singularis ille homo, ex hoc « ipso quod esset* causa efficiens omnium hominum, *esset quoque « causa* efficiens suipsius: *quod est impossibile*); nihil enim suipsius « est causa... Filius *(Dei)* autem est universalis causa creaturarum ; « dicitur enim : *Omnia per Ipsum* (Λόγον) *facta sunt* (Ioan. I, 3)... Et « Apostolus dicit *(de eodem Dei Filio) : In Ipso condita sunt univer- « sa in coelis et in terra* (Coloss. I, 16). Ipse igitur non est de ge- « nere creaturarum » (Ibid., cap. 7), sed est essentialiter Deus.

γ) « Praeterea. Quum propria actio cuiuslibet rei sequatur na- « turam ipsius, nulli competit propria actio alicuius rei cui non com- « petit illius rei natura : quod enim non habet humanam speciem, « nec actionem humanam habere potest. Propriae autem actiones « Dei (*Cfr. n. praec.,* α), conveniunt Filio, sicut creare ut iam osten- « sum est *(§ praec.),* continere et conservare omnia in esse, et « peccata purgare *(per Gratiae supernaturalis infusionem)* quod est « *(etiam)* proprium ipsius Dei, ut ex superioribus patet. Dicitur au- « tem de Filio *(Dei),* quod *omnia in Ipso constant* (Coloss. I, 17): « et dicitur *Portans omnia verbo virtutis suae, purgationem peccato- « rum faciens* (Hebr. 1, 3). Filius igitur Dei est naturae divinae, et « non est creatura » (Ibid.).

— « Sed, quia posset Arianus dicere quod hoc Filius facit non « tamquam principale agens sed sicut instrumentum principalis agen- « tis quod per propriam virtutem non agit, sed solum per virtutem « principalis agentis ; hanc positionem Dominus excludit dicens: « *Quaecumque enim Ille* (i. e. Deus Pater) *fecerit, haec et Filius si- « militer* (ὁμοίως) *facit* (Ioan. V, 19). Sicut igitur *(Deus)* Pater per se « operatur et propria virtute, ita et *(Dei)* Filius » (Ibid.).

δ) « Item nostra beatitudo (*obiectiva*) in solo Deo est, in quo

« etiam solo spes hominis debet poni, et cui soli est honor latriae « exhibendus... Beatitudo autem (*obiectiva*) nostra in Dei Filio est ; « dicit enim : *Haec est* VITA AETERNA, *ut cognoscant te* scilicet Pa- « trem,... et QUEM MISISTI IESUM CHRISTUM (Ioan. XVII, 3 — *cognoscant « videlicet Christum secundum Eius* naturam divinam ; *quoniam secun- « dum* humanam naturam *Ipse, quum ea dicebat, notus erat discipu- « lis*) et dicitur de Filio quod *est verus Deus et* VITA AETERNA (I. Ioan. « V, 20) : certum est autem nomine vitae aeternae in Scripturis Sa- « cris ultimam beatitudinem (*obiectivam*) significari. — Dicit (*rursum*) « Isaias de Filio (*Dei*), ut Apostolus inducit (Rom. XV, 12) : *Erit ra- « dix Iesse, et qui exurget regere Gentes, in Eum Gentes sperabunt* « (ἐλπιοῦσιν). — Dicitur etiam *Et adorabunt Eum omnes Reges terrae : « omnes Gentes servient Ei* (Psal. LXXI, 11) ; et dicitur : *Omnes ho- « norificent Filium sicut honorificant Patrem,* (Ioan. V, 23) ; et iterum « dicitur : *Adorate* Eum omnes *Angeli Eius* (Psalm. XCVI, 7) : quod « de Filio Apostolus introducit (Heb. I, 6). — Manifestum est igitur « Filium Dei verum Deum esse » (Ibid. — Cfr. hic, o).

II.ª PARS (*B*) « S. Scriptura etiam expresse affirmat ut ille qui in « divinis procedit tamquam *Spiritus Sanctus* vel *Paraclitus,* sit es- « sentialiter Deus» . Prob. α) Equidem « expresse in Scriptura Spi- « ritus Sanctus nominatur (*Deus*) ; dicit enim Petrus : *Anania cur « tentavit Satanas cor tuum, mentiri te* SPIRITUI SANCTO ? (Act. V, 3), « et postea subdit : *Non es mentitus hominibus, sed* DEO (Ibid., 4). « Spiritus ergo Sanctus est Deus » (Lib. IV. *Cont. Gent.,* cap. 17), quoniam in citatis verbis S. Petri, τὸ mentiri Spiritui Sancto *coae- quatur* τῷ mentiri Deo.

β) Praeterea « nulli... templum consecratur nisi Deo ; unde et « dicitur : *Dominus in templo sancto suo* (Psal. X, 5). Deputatur « autem templum Spiritui Sancto ; dicit enim Apostolus : *An nesci- « tis, quoniam membra vestra templum sunt Spiritus Sancti* (I. Cor. « VI, 19) ? Spiritus ergo Sanctus Deus est ». (Ibid. — Cfr. hic, o).

γ) « Item a Sanctis latriae servitus nonnisi vero Deo exhibetur ; « dicitur enim : *Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies* « (Deut. VI, 13). Serviunt autem Sancti Spiritui Sancto ; dicit enim « Apostolus : *Nos sumus circumcisio qui Spiritui servimus Deo* « (Philipp. III, 3). — Et licet quidam libri habeant : *Qui Spiritu Do- « mini servimus* (*Vulgata vero* qui Spiritu servimus Deo ; *Graeca « autem lectio :* οἱ πνεύματι Θεῷ λατρεύοντες) : tamen graeci libri et

« antiquiores latini habent : *Qui Spiritui Deo servimus.* — Et ex ipso « graeco apparet quod hoc de servitute latriae intelligendum est : « quae soli Deo debetur. Est igitur Spiritus Sanctus verus Deus « cui latria debetur » (Ibid.).

δ) « Adhuc. Sanctificare homines proprium Dei opus est ; dicitur « enim : *Ego Dominus, qui sanctifico vos* (Levit. XXII, 9). Est autem « Spiritus Sanctus qui sanctificat ; dicit enim Apostolus : *Abluti « estis... Sanctificati estis,... iustificati estis in nomine Domini Nostri « Iesu Christi, et in Spiritu Dei Nostri* (I. Cor. VI, 11)... Oportet « igitur Spiritum Sanctum Deum esse » (Ibid.).

ε) « Item. Creatio solius Dei opus est, ut supra ostensum est... « Pertinet autem creatio ad Spiritum Sanctum ; dicitur enim : *Emit- « tes Spiritum tuum et creabuntur* (Psal. CIII, 30)... Est ergo Spiritus « Sanctus divinae naturae » (Ibid.).

ζ) Denique « Apostolus dicit *Spiritus omnia scrutatur, etiam pro- « funda Dei,* etc. (I. Cor. II, 10). Comprehendere autem omnia pro- « funda Dei non est alicuius creaturae ; quod patet ex hoc quod « Dominus dicit : *Nemo novit Filium nisi Pater ; neque Patrem quis « novit nisi Filius* (Matth. XI, 27)... Ergo. Spiritus Sanctus non est « creatura » (Ibid.).

— « Si quis autem dicat praedicta opera, quae sunt Dei, Spiritui « Sancto attribui non per auctoritatem ut Deo, sed per ministerium « quasi creaturae, expresse hoc esse falsum apparet ex his quae « Apostolus dicit, dicens : *Divisiones operationum sunt, idem vero « Deus qui operatur omnia in omnibus* (I. Cor. XII, 6) ; et postea, « connumeratis diversis donis Dei, subdit : *Haec omnia operatur « unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult* (Ibid., 11). « Ubi manifeste expressit Spiritum Sanctum Deum esse, tum ex eo « quod Spiritum Sanctum operari dicit (*illa*) quae supra dixerat « Deum operari, tum ex hoc quod Eum pro suae voluntatis arbitrio « operari confitetur. — Manifestum est igitur Spiritum Sanctum Deum « esse » (Ibid.).

η) Accedit, quod Spiritus Sanctus praedicatur in S. Scriptura tamquam *obiectum* supernaturalis beatitudinis Angelorum ; iuxta illud (I. Pet. I, 12) « *Spiritu Sancto misso de coelo, in quem* « DESIDERANT « *Angeli prospicere* ». — Atqui, sicut praediximus ultima beatitudo supernaturalis hominum et Angelorum in *solo* Deo consistit. — Manifestum est igitur Spiritum Sanctum esse Deum.

2.° *Ex Patribus antenicaenis* (nam de postnicaenis res indubia est) qui christianam doctrinam immediate ab Apostolis aut a primis horum discipulis acceperunt, probatur nostra assertio.

A) Revera ex Patribus Ecclesiae Graecae

α) S. Ignatius Martyr († 107) in Epistola ad Ephesios (cap. 7, n. 2) scribit: « Medicus (*noster*) unus est, et carnalis et spiritualis, « genitus et ingenitus, in carne exsistens Deus (ἐν σαρκὶ γενόμενος « Θεός) in morte Vita vera, et ex Maria et ex Deo, primum (*i. e.* « *inquantum ex Maria natus*) *passibilis* et tunc (τότε = *iam ante,* i. e. « *inquantum ex Deo*) *impassibilis,* Iesus Christus Dominus (ὁ Κύριος « = *Deus*) noster » (Cfr. Rouët De Journelle, *Enchir. Patrist.,* n. 39). Hunc S. Ignatii locum citat S. Athanasius Lib. *De Synodis.* Et idem S. Martyr epistolam ad Romanos orditur his verbis: « Ignatius, qui « et Theophorus, Ecclesiae, misericordiam consecutae in magnifi- « centia Patris Altissimi, et Iesu Christi Filii Eius unici... quae « etiam praesidet in loco regionis Romanorum... Christi legem ha- « bens, Patris nomine insignita, quam et saluto in nomine Iesu « Christi, Filii Patris » (Cfr. ibid., n. 52).

β) S. Polycarpus Martyr († 157?) in epistola ad Philippenses (cap. 12, n. 2) scribit: « Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi, « et ipse sempiternus Pontifex, Dei Filius Iesus Christus, aedificet « vos in fide et veritate, etc. » (Cfr. ibid., n. 76).

γ) S. Iustinus Martyr († 167) in Apologia I pro Christianis ad Antoninum Imperatorem, n. 12, scribit: « Futura haec (*i. e. persecu-* « *tiones contra Christianos*) inquam, omnia praedixit Magister no- « ster Parentis et Domini omnium (*creaturarum*) Dei Filius et Apo- « stolus Iesus Christus etc. ». Et, interpositis prophetarum testi- moniis, prosequitur (n. 63): « Haec autem ideo diximus, ut Filium « Dei et Legatum esse Iesum Christum demostraremus: qui quidem, « cum antea Verbum esset,... nunc voluntate Dei pro humano gene- « re Homo factus (*est*)... Qui, quum Verbum sit (*ideoque*) primoge- « nitus (πρωτότοκος) Dei, Deus etiam est, etc. ». Legi potest etiam eius Dialogum cum Tryphone Iudaeo, n. 48 (Cfr. *Enchir.* PP. nn. 116, 127 et 136).

δ) Athenagoras, S. Iustino coevus, in sua Apologia sive Lega- tione pro Christianis, missa circa an. 177 ad Marcum Aurelium Im- peratorem, n. 10, scribit: « Quis igitur non miretur, cum atheos « vocari audiat eos (= *Christianos*) qui Deum Patrem, et Filium

« Deum, et Spiritum Sanctum confitentur, ac Eorum et in unione « potentiam, et in ordine distinctionem demonstrant? » Et paulo post n. 24 addit : « Deum dicimus et Filium Verbum Ipsius (*Dei*) et « Spiritum Sanctum, unum quidem (ἑνούμενα μὲν) secundum virtutem, « Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ; quia Mens, Λόγος, Σοφία « (*est*) Filius Patris, Effluvium autem, sicut lumen ab igne. Spiritus; « etc. ». Nihil clarius hoc testimonio pro dogmate catholico S.mae Trinitatis desiderari potest (Cfr. *Enchir.* PP. nn. 164 et 165).

ε) S. Irenaeus Martyr, discipulus S. Polycarpi, et Lugdunensis Episcopus († 202) in Lib. I. *adv. Haeres.*, cap. 10, n. 1, haec habet: « Ecclesia, per universum orbem usque ad fines terrae seminata, et « ab Apostolis eorumque discipulis accepit eam Fidem, quae est in « unum Deum, Patrem omnipotentem *qui fecit coelum et terram, et « mare et omnia quae in iis sunt ;* et in unum Iesum Christum, Filium « Dei, incarnatum pro nostra salute ; et in unum Spiritum Sanctum « qui per prophetas praedicavit dispositiones Dei etc. » (Cfr. ibid. n. 191) circa humani generis redemptionem et salutem. Testimonium valde explicitum de divinitate tam Verbi Filii Dei, quam Spiritus Sancti.

B) Ex Ss. Patribus Latinis testes pro eodem dogmate sunt

α) S. Clemens I, Martyr, et Romanus Pontifex post Cletum sive Anacletum, († 101) in Epistola ad Corinthios (cap. 7, n. 4) scribit : « Sanguinem Christi intentis oculis intueamur (*Fratres*) et co- « gnoscamus quam pretiosus sit Deo et Patri Eius, qui (*sanguis*) « propter nostram salutem effusus toti mundo poenitentiae gratiam « obtulit etc. ». Et inferius cap. 58, n. 2 dicit : « sicut Deus (*Pater*) « vivit, et Dominus I. Christus vivit et Spiritus Sanctus, fides et « spes electorum etc. » (Cfr. ibid., nn. 12 et 28). Obiectum autem Fidei atque Spei electorum non est nisi Deus (Cfr. n. 42, α). Si ergo tam Iesus Christus quam Spiritus Sanctus sunt Fides et Spes electorum, uterque est essentialiter Deus.

β) Tertullianus († 216), quem Sociniani inter antitrinitarios immerito recensent, in Lib. *De praescript. Haeret.*, cap. 13, scribit : « Regula est autem Fidei..... illa scilicet, qua creditur unum omnino « Deum (*Patrem*) esse... qui universa de nihilo produxerit per Ver- « bum Suum, primo omnium emissum ; id Verbum, Filium Eius ap- « pellatum..... postremo delatum ex Spiritu Patris Dei et virtute in « Virginem Mariam, carnem factum... et ex ea natum egisse Iesum

« Christum etc. » (Cfr. ibid., n. 290). Et in Lib. *Adv. Praxeam,* cap. 2, scribit : « Custodiatur oikonomiae sacramentum, quae unitatem (*es-* « *sentiae*) in trinitate (*Personarum*) disponit, tres dirigens (= *confi-* « *tens*) Patrem et Filium et Spiritum — tres autem non statu (= *su-* « *perioritate et inferioritate*) sed gradu (= *ordine mutuo*), nec sub- « stantia sed forma (= *formalitatibus Paternitatis, Filiationis et Pro-* « *cessionis*), nec potestate sed specie (= *notionibus Ingeniti, Geniti,* « *et Processionis ab utroque*) — unius autem substantiae, et unius « status, et unius potestatis, quia unus Deus, ex quo et gradus isti, « et formae et species in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti « deputantur » (Cfr. ibid., n. 371). Quibus verbis Tertullianus per-fecte delineat dogma de tribus relative realiter distinctis divinis Personis in una deitate ab aeterno et coaequaliter subsistentibus. — Circa orthodoxiam Tertulliani quantum ad Fidem de S.ma Trini-tate consuli possunt noster P. Gazzaniga, Op. cit. Vol. III *De Trinit.* nn. 159-320 ; item Ab. Honorat. Tournely. Op. cit. Q. IV. *De Trinit.* art. 2, Sect. 4 ; nec non Cl. P. Ianssens, O. S. B., Tom. III. *De Deo Trino,* pagg. 191-195.

γ) S. Cyprianus Martyr († 14 Sept. 258) in epistola, quam anno 256 scripsit ad Iubaianum, n. 12 quamvis erret circa dogma de non rebaptizandis his qui baptizati fuerant ab haereticis secundum Eccle-siae formam consuetam, tamen orthodoxe propriam fidem in S.mam Trinitatem manifestat dicendo : « Si (*baptizatus ab haereticis*) ...san- « ctificatus est (*et*) templum Dei factus est... quaero : cuius Dei ? Si « Creatoris (= *Dei Patris*), non potuit (*effici is*) qui in Eum non cre- « didit. Si Christi, nec huius fieri potest templum (*is*) qui negat « Deum (*esse*) Christum. Si Spiritus Sancti, cum tres (*divinae Perso-* « *nae*) unum sint, quomodo Spiritus Sanctus placatus esse ei potest, « qui aut Filii, aut Patris inimicus est ? » Et paulo post, n. 22 : Sciant « igitur eiusmodi homines, suffragatores et fautores haereticorum, « catechumenos illos primo integram Fidem et Ecclesiae veritatem « tenere, et ad debellandum diabolum de divinis castris cum plena « et sincera Dei Patris et Christi et Spiritus Sancti cognitione pro-cedere etc. » (Cfr. ibid., nn. 596 et 598). Ubi cernitur a S. Martyre aeque praedicari Deum tum Patrem, tum Christum, tum Spiritum Sanctum.

δ) S. Dionysius, Rom. Pontifex, an. 261 synodum Romae habuit, in quo damnans haeresim Sabellii et alteram oppositam (quae post-

modum surrexit) Arii in epistola dogmatica II, n. 3 scribit: « Ne- « que... admirabilis et divina unitas in tres divinitates est separanda; « neque factionis vocabulo dignitas ac summa magnitudo Domini est « diminuenda: sed credendum est in Deum Patrem omnipotentem, et « in Christum Iesum, eius Filium, et in Spiritum Sanctum: Verbum « autem Deo universorum esse unitum; quippe *Ego,* inquit, *et Pater « unum sumus* (Ioan. X, 30); et iterum *Ego in Patre et Pater in Me « est* (Ibid. XIV, 10). Ita scilicet divina Trinitas et sancta Monarchiae « praedicatio integra servabitur ». Textum graecum huius epistolae habes in Denzinger, *Enchiridio,* edit. cit., n. 51.

— Satis ex his testimoniis, quibus alii ex antiqua serie Patrum addi possent, manifestum redditur qualiter Ecclesia Catholica, a sui exordio, credidit tam Filium Dei qui dicitur Christus, quam Spiritum Sanctum esse essentialiter Deum. Et hanc antiquam Fidem SS. Patres numero tercentum duodeviginti omnes praeter quinque Episcopos, i. e. Eusebium Nicomediensis, Theognim Niceae, Marin Chalcedonis, Theonan Marmaricae et Secundum Ptolemaidis (Cfr. Socrates, Lib. I, *Hist. Eccles.,* cap. 8), an. 325 professi sunt contra Arianos in Conc. Nicaeno 1 dicendo:

« Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem... Et in unum « Dominum nostrum Iesum Christum Filium Dei, natum ex Patre uni- « genitum, hoc est de substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lu- « mine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, unius substan- « tiae cum Patre... Et in Spiritum Sanctum, etc. » (*Enchir.,* n. 54).

Et, quia post Nicaenum Concilium is error inolevit, ita ut quidam ore sacrilego auderent dicere Spiritum Sanctum factum esse per Filium, propterea, coacta, sub S. Damaso I an. 381 Synodo I Constantinop. (oec. II), contra Macedonianos, Ecclesia Catholica Fidem suam professa est, dicendo:

« Credimus in unum Deum Patrem omnipotentem... Et in unum « Dominum Iesum Christum, Filium Dei unigenitum... Et in Spiritum « Sanctum, Dominum et vivificantem, ex Patre procedentem, cum « Patre et Filio adorandum et conglorificandum, qui locutus est per « Prophetas, etc. » (*Enchir.,* n. 86). Ubi vides Ss. Patres profiteri se eadem Fide credere in Patrem Filium et Spiritum Sanctum. Sed primarium Fidei Catholicae obiectum est Deus. Igitur Filius et Spiritus Sanctus, in quos credere et nos tenemur, sunt non minus quam Pater, *essentialiter* Deus.

3.° *Ex praescriptione* thesis nostra probatur. Etenim omnis doctrina quae cum fide conspirat ecclesiarum apostolicarum, veritati deputanda est, videlicet est retinenda tamquam dogma illis ecclesiis ab Apostolis concreditum, Apostolis a Christo, Christo a Deo; et vicissim de mendacio praeiudicanda est reliqua doctrina, quae contra veritatem ecclesiarum, et Apostolorum et Christi et Dei sapit: sicut egregie Lib. *De Praescript. Haeretic.* cap. 21 animadvertit Tertullianus. — Atqui blasphema Arii doctrina, statim ac ad aures ecclesiarum apostolicarum pervenit, omnium animos sua novitate ita offendit, ut impius, dogmatistes, tamquam novator et haereticus una cum paucis suis asseclis, communi (sicut Eusebius Lib. III, *De Vita Constantini Magni,* cap. 14 narrat) omnium suffragio *ab Ecclesia, quae Christi divinitatem adorat, fuerit eiectus;* quemadmodum S. Alexander, Ep. us Alexandrinus, refert apud Theodoretum Lib. I, *Hist. Ecclesiast.,* cap. 4. — Ergo veritas est ex ore Christi ad nos per Apostolos et horum successores derivata illa, qua *singulas* Personas S.mae Trinitatis retinemus esse *essentialiter* Deum (Cfr. Bossuet, Lib. Defensio Histor. Variation. Ecclesiarum Protestantium, *Avertissement VI* etc.).

Confirmatur. Ex historia Ecclesiastica (Cfr. Euseb. Lib. IV, *H. E.* cap. 18; item S. Iustin. M. in *Dialogo cum Tryphone,* n. 68; item Origen. Lib. *Contra Celsum;* item Arnobium Lib. I. *Cont. Gentiles;* item Tertullian. Lib. III. *Adv. Marcion.* cap. 8: item Lactantium Lib. IV *Divin. Instit.,* cap. 22; etc.) scimus, quod « quotquot primis « Ecclesiae saeculis contra divinae Incarnationis mysterium pugna« runt, sive Iudae, sive Ethnici, sive etiam Haeretici, omnes huic « principio innitebantur: *Absurdum et incredibile esse Deum summum « humanam carnem assumpsisse.* Ergo hi omnes certum ratumque « habebant a Christianis Iesum Christum ut verum Deum coli: alias « nulla erat contradicendi causa.

« Sed nec illud praetereundum est, Catholicos fuisse ingenue « confessos Iudaeis, Gentilibus atque Haereticis *mysterium divinae « Incarnationis nulla posse ratione demonstrari aut plane intelligi:* « credendum tamen esse propter divinam Sacrarum Scripturarum « auctoritatem. — At vero neque difficile neque humanam rationem « superexcedens mysterium Incarnationis videri poterat, si non Ver« bum Divinum, Patri aeterno consubstantiale, sed creatura aliqua « utut perfectissima carnem induisset. Ergo constans apud omnes

« Traditio erat, a Catholicis Iesum Christum, ut verum Deum, Pa-« trique consubstantialem in humana carne assumpta adorari ». Hactenus noster Gazzaniga, Op. cit., Vol. III *De Trinitate,* nn. 167 et 169.

44. **Obiic. 1.°** *Divina Sapientia in S. Scriptura dicitur creata a Deo. Nam. Prov. VIII, 22 legimus, secundum versionem LXX interpretum, divinam Sapientiam de seipsa dixisse :* « Dominus *creavit* me « initium viarum (=*operum*) suarum etc. » *Et Eccli. XXIV, 14 eadem Sapientia divina ait :* « Ab initio et ante saecula *creata* sum ». *Quibus concinit Paulus de Christo scribens Coloss. I, 15 quod sit* « Ima-« go Dei invisibilis, primogenitus *omnis creaturae* ». — *Ergo Christus, inquantum* Λόγος τοῦ Θεοῦ *sive* Dei Sapientia, *non est* essentialiter *Deus.*

R. Nego antecedens, et ipsum consequens cum sua consequentia. Male namque interpretata sunt testimonia S. Scripturae. Unde ad textum desumptum ex Proverbiis dico quod tam Vulgata quam Hebraica veritas loco vocis « *creavit* » habent verbum « *possedit* » quod ex usu eiusdem S. Scripturae significat etiam « *genuit* » ; sicut apparet ex hoc quod, nato Cain, Eva exclamavit dicens : « *Possedi* « hominem per Deum » (Gen. IV, 1). Quare verba libri Proverbiorum debent exponi sic : « Dominus *genuit* me initium viarum suarum » sive me principium per quod fecit omnes creaturas (Cfr. Ioan. 1, 3). — Suspicantur vero plerique eruditi in textu Septuaginta Interpretum irrepsisse errorem ex incuria amanuensium, qui loco vocis ἐκτήσε (*possedit*) scripserunt ἔκτισε (*creavit*). Legi potest S. Hieronymus Epist. CXL, *ad Cyprianum,* n. 6 ; et Augustinus Lib. *de Fide et Symbolo ;* item expositio illius testimonii data a S. Dionysio in epistola dogmatica superius citata, apud Denzinger, *Enchir.,* nn. 48 et 49.

Ad alterum S. Scripturae testimonium, in quo dicitur Sapientiam esse creatam,

« primo quidem potest intelligi non de Sapientia quae est Filius « Dei, sed de sapientia quam Deus indidit creaturis ; dicitur enim : « *Ipse* (Deus) *creavit illam* (scilicet sapientiam) *in Spiritu Sancto...,* « *et* EFFUDIT ILLAM SUPER OMNIA OPERA SUA (Eccli. 1, 9).

« Potest etiam referi ad naturam creatam assumptam a (*Dei*) Fi-« lio (*in sua incarnatione*), ut sit sensus : *Ab initio et ante saecula* « *creata sum* (Eccli. XXIV, 14), idest praevisa sum creaturae uniri.

« Vel per hoc quod (*divina*) Sapientia et creata et genita (*Cfr.* « *Prov. VIII, 24*) nuncupatur, modus divinae generationis nobis in- « sinuatur. In generatione enim (*suppositum*) quod generatur, accipit « naturam generantis : quod perfectionis est. Sed in generationibus, « quae sunt apud nos, generans ipse mutatur : quod imperfectionis « est. — In creatione vero creans non mutatur, sed creatum non ac- « cipit naturam creantis. — Dicitur ergo simul (*Dei*) Filius creatus et « genitus, ut ex creatione accipiatur immutabilitas Patris, ex gene- « ratione (*autem*) unitas naturae in Patre et Filio (*indicetur*). Et sic « huiusmodi Scripturae intellectum Synodus (*Nicaena*) exposuit ; ut « per Hilarium (*Pictav. Epum. in Lib.* De Synodis. *n. 59*) patet » (S. Thom. Lib. IV. *Cont. Gent.*, cap. 8).

Ad verba denique S. Pauli, tertio loco adducta ab obiiciente, respondemus, « quod Filius (*Dei*) dicitur primogenitus creaturae non « ex hoc quod Filius sit in ordinatione creaturae, sed quia Filius est « a Patre et a Patre accipit, a quo sunt et accipiunt creaturae. Sed « Filius accipit a Patre eamdem naturam, non autem creaturae. Unde « et (*Dei*) Filius non solum *primogenitus* dicitur, sed etiam *unigeni-* « *tus* propter singularem modum accipiendi » (Ibid.).

Vel possumus cum Auctore Libri IV *contra Eunonium,* dicere, quod sicut Christus dicitur *primogenitus ex mortuis* (Coloss. I, 18) vel *primogenitus mortuorum* (Apoc. I, 5), non quod Ipse *mortuus sit ante* omnes homines, sed quia Eius resurrectio est *causa* resurrectionis mortuorum ; ita et similiter Christus dicitur *primogenitus omnis creaturae,* quia Christus, inquantum Deus, *causa* fuit producens omnes creaturas. — Notare libet hic obiter Lib. IV et V adv. Eunomium, qui libri sub nomine S. Basilii Magni olim circumferebantur, adscribendos esse Didymo, theologo alexandrino (313-398), qui in 6.° et 7.° Conciliis Oecumenicis damnatus fuit tamquam errorum Origenis patrocinator. Cfr. Cl. U. Mannucci, *Istituz. di Patrol.*, Roma 1915, Vol. I, pp. 43 et 49-50 ; et Cl. P. Rouët de Iournel, *Enchir. Patr.*, Friburg. Brisgov. 1913, pag. 348 in *nota*.

— Ex hucusque disputatis apparet fuisse iustissime per decretum S. O. *Lamentabili,* 3 Iulii 1907, proscriptas seqq. propp. Modernistarum, nempe « 27. Divinitas Iesu Christi ex Evangeliis non proba- « tur ; sed est dogma quod conscientia christiana e notione Messiae « deduxit. — 29. Concedere licet Christum, quem exhibet historia, « multo inferiorem esse Christo qui est obiectum Fidei. — 30. In om-

« nibus textibus evangelicis nomen *Filius Dei* aequivalet tantum no-
« mini *Messias*, minime vero significat Christum esse verum et na-
« turalem Dei Filium. — 31. Doctrina de Cristo, quam tradunt Pau-
« lus, Ioannes et Concilia Nicaenum, Ephesinum, Chalcedonense,
« non est ea quam Iesus docuit, sed quam de Iesu concepit con-
« scientia christiana » (Cfr. *Enchirid.*, n. 2027, et seqq.).

45. **Obiic. 2.°** *Nonnulli Ss. Patres non audent Spiritum Sanctum affirmare Deum. Ita ex. gr. S. Basilius* Hom. XIII in S. Baptisma *scribit:* « Neque alienus est a gloria Dei Spiritus ex ineffa-
« bili ore ineffabiliter prolatus: *neque Ipse Deus est,* sed *Dei Spiri-*
« *tus,* et *apud Deum*: qui et a Deo mittitur, et per Filium nobis
« suppeditatur ». *Et similiter S. Hilarius in* Libris XII De Trinitate *abstinet studiose a nomine* Dei *tribuendo Spiritui Sancto. Ergo non fuit in Ecclesia Fides* constans *in divinitate Spiritus Sancti.*

R. 1.° Honoratus Tournely Op. cit., Q. IV. De *Trin.*, art. 3, concl. 2. *obiect. ultima,* fatetur « revera nonnullos e Veteribus ex
« oeconomia noluisse Spiritum Sanctum Deum expresse appellare,
« (*eo*) quod in iis versarentur temporum circunstantiis, in quibus ob
« praepotentem haereticorum factionem periculum erat, ne Catholici
« praesules, e suis Sedibus per vim deiecti, eas haereticis occupan-
« das relinquerent. Hinc enim furebant in Catholicos Ariani, inde
« Macedoniani; qui, si iuncto inter se foedere vires omnes suas in
« Catholicos simul convertissent, gravissimum rei Catholicae dam-
« num intulissent: quapropter ex prudenti oeconomia tempori ce-
« dendum esse iudicarunt, donec paulo sedato animorum furore, li-
« ceret aperte quod sentirent profiteri. Interim tamen non dissimu-
« labant, imo palam in scriptis declarabant, unam et eamdem esse
« Spiritus Sancti cum Patre et Filio substantiam, Eum inter creatu-
« ras annumerandum non esse; nos in nomine Spiritus Sancti perin-
« de ac Patris et Filii baptizari. Quod certe idem est ac si Spiritum
« Sanctum Deum appellassent». —Verum ista responsio duobus scatet incommodis. Primo, quoniam nullo historiae documento probatur illos Veteres Patres, Macedonio coaevos, in eam opportunisticam praxim descendisse ut scilicet praetermiserint publice impugnare Macedonianos ad facilius Arianos debellandos. Nec valet affirmare eos Patres ex oeconomia prudentiae noluisse publice Arianos simul et Macedonianos de haeresi arguere, ne scilicet ex istorum mutua consociatione atrocior contra Catholicos consurgeret persecutio. Si

enim praxis illa, quae exstitisse praetenditur, vere prudentialis fuisset, tunc oporteret ex adverso de imprudentia coarguere omnes Ss. Patres qui publico anathemate condemnarunt Arianos simul et Macedonianos tum in Conc. Rom. sub S. Damaso an. 380 tum in Conc. Constantinop. I (oec. II) anno 381 : quod certe ultraquam temerarium est. — Unde, solutione Ab. Tournely reiecta,

R. 2.° Nego tum antecedens tum consequens ; et dico phrases cuiusvis scriptoris esse interpretandas non solum per ordinem ad totum contextum orationis sicut quisque facile concedet ; sed etiam considerando valorem quem verba illius phrasis habebant aevo ipsius scriptoris, quemque postea amiserunt. Etenim, Horatio admonente,

« Ut silvae foliis pronos mutantur in annos,
« Prima cadunt : ita verborum vetus interit aetas,
« Et iuvenum ritu florent modo nata, vigentque ».
Ars poëtica, vv. 60-63,

ac rursum

« Multa renascentur quae iam cecidere, cadentque
« Quae nunc sunt in honore vocabula, si volet usus,
« Quem penes arbitrium est et ius et norma loquendi ».
Ibid,, vv. 70-73.

Quod Horatii praeceptum diligenter est observandum circa scripta Ss. Patrum, praesertim quantum ad voces quae, post piam illorum in Christo dormitionem, sensum technicum per Ecclesiae decretum consequutae sunt. Veteres etenim Patres, sicut sapienter animadvertit S. Hieronymus (Lib. II *cont. Rufin.*, n. 17) « antequam « in Alexandria quasi daemonium meridianum Arius nasceretur, in« nocenter quaedam et minus caute locuti sunt » : quae nonnisi imprudenter a nobis tamquam divinae traditionis voces aut documenta exciperentur. Ita ex. gr. in primis Ecclesiae saeculis voces « *causa* » et « *principium* » promiscue adhibebantur ab expositoribus mysterii S.mae Trinitatis : dicebatur namque indifferenter Deum Patrem quandoque *causam* (Cfr. S. Basilius, Epist. XXXVIII *ad Gregorium Fratrem,* n. 4), et quandoque *principium* Filii. Et vicissim Dei Filius dicebatur quandoque *minister* et quandoque ποίημα, sive *factura* Dei

Patris. Postmodum vero ad evitandam haeresim Arianorum Ecclesia in Conc. Nicaeno I, Constantinop. I, Ephesino I, Constantinop. II, ac demum in Concil. Florentino sub Eugenio IV (Cfr. *Decret. pro Graecis*) vetuit, ne Deus Pater diceretur *causa* Filii, neque Dei Filius diceretur *minister* aut ποίημα Dei Patris, sed statuit, ut Deus Pater nominaretur *principium* Verbi, seu principium ingenitum ἀγέννητον ; Dei Filius vero diceretur *Deus* de *Deo,* sive *principium* de *principio,* sive γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα.

Et similiter, quia, sicut idem S. Hieronymus scripsit in epist. XV, n. 4 ad S. Damasum « tota saecularium litterarum schola, nihil aliud « ὑπόστασιν nisi οὐσίαν novit » videlicet *substantiam* sive *naturam ;* quemadmodum et apud veteres vox « *persona* » (= πρόσωπον) indicabat larvam, qua actores in comoediis atque tragoediis proprium velabant vultum. Hinc processit, quod formula « *tres hypostases* » Latinis Patribus aliquando visa est de errore suspecta, atque vicissim formula « *tres personae* » invisa aliquando apud Patres Graecos mansit, quoniam Latini sub ea formula venenum tritheismi latere suspicabantur, Graecis vero sub altera formula sabellianismum subodorantibus. Quae posteriores lites inter Patres Latinos et Graecos non demonstrant alterutros disputasse aut dubitasse : *Utrum* Filius *vel* Spiritus Sanctus *essent dicendi* vere *atque* essentialiter Deus ; sed tota controversia erat in eligendo phrasim sculptoriam pro mysterio Ss. Trinitatis exponendo, ut per eam phrasim scilicet omnes Christiani tam docti quam indocti possent deinceps tuto devitare Sabellii, nec non Arii et Macedonii perfidiam.

His principiis recte constitutis, adiicimus S. Basilium, Magnum Monachorum Orientalium Parentem, vere noluisse, ut *simpliciter* et *sine ulla adiectione* a nobis confiteretur *Spiritum Sanctum* esse *Deum,* aut *Patrem* esse *Deum,* ne scilicet cum Sabellio videremur sentire *unicam* prorsum *personam* in Deo exsistere, tribus dumtaxat variis nominibus discretam. Et hoc evidenter apparet ex epistola 236 quam ad Amphilochium an. 376 misit. In ea siquidem, sub. n. 6, S. Doctor ait : « Eadem est differentia inter οὐσίαν et ὑπόστασιν, ac « inter animal et illum hominem. Quapropter οὐσίαν μὲν μίαν in divi- « nitate confitemur adeo ut definitio τοῦ εἶναι (*Patris scilicet, aut Fi- « lii aut Spiritus Sancti*) non diverse reddatur ; ὑπόστασιν vero pro- « priam et singularem, ut inconfusa nobis et clara de Patre, de Fi- « lio et de Spiritu Sancto notio (ἔννοια) insit. Si enim non conside-

« remus definitas uniuscuiusque proprietates, puta Paternitatem, Fi-
« liationem et Sanctificationem, sed ex communi τοῦ εἶναι notione
« Deum confiteamur, fieri non potest ut sana Fidei ratio reddatur.
« Oportet igitur, ut communi proprium adiungentes ita Fidem profi-
« teamur. Commune (*elementum logicum est*) Deitas, Proprium Pa-
« ternitas ; atque haec coniungendo, dicamus : *Credo in Deum Pa-*
« *trem*. Ac rursum in Filii confessione faciendum est similiter, adiun-
« gendum est communi proprium, ac dicendum : *Credo in Deum*
« *Filium*. Pariter et de Spiritu Sancto ad appellationis (=*proprieta-*
« *tis*) rationem accomodanda (*est*) pronunciatio, ac dicendum : *Credo*
« *in divinum Spiritum Sanctum,* adeo ut omnino et unitas servetur
« in unius Deitatis confessione, et id quod Personarum proprium est
« confiteamur in discretione proprietatum (ἰδιωμάτων) quae in una-
« quaque intelliguntur ». Hactenus de S. Basilio.

Ad illud vero, quod contra S. Hilarium adducitur, respondeo non esse necessarium ut auctor, quisquis ille fuerit, in singulis suis operibus eamdem doctrinam ex integro exponat ; sed gravitati alicuius auctoris et integritati satis esse atque sufficere, ut, dum in uno opere specialiter partem quamdam suae doctrinae proponit, alteram ibidem propriae doctrinae partem non impugnet, si aequaliter verae exsistant ambae illius doctrinae partes. Modo S. Hilarius XII libros *De Trinitate* composuit ad demonstrandum specialiter contra Arianos tum divinitatem Christi tum eius cum Patre consubstantialitatem. Unde, quia ad illa duo de Christo demonstrandum non erat necesse loqui ex professo de divinitate Spiritus Sancti, propterea hanc tractationem specialem in citatis libris non perfecit. Verumtamen non omisit omnino S. Doctor sed obiter hac illac dogmata catholica de Spiritu Sancto, secundum quod series doctrinae exigebat, memorabit. Ita ex. gr. Lib. II *De Trin.* § 1 memorans Ecclesiae sacramenta, dicit nos perinde baptizari in nomine Patris ac in nomine Filii et in nomine Spiritus Sancti : et paulo post, § 5 scribit quod realis coëxsistentia Patris, Filii, et Spiritus Sancti in uno Deo est mysterium transcendens nostram intelligentiam. Adhuc Lib. VIII. § 19 referens verba evangelii S. Ioannis (Ioan. XV, 26 et XVI, 12, 15) demonstrat idem significare τὸ *accipere a Filio* ac τὸ *procedere a Filio,* ac proinde Spiritum Sanctum procedere tam a Patre quam a Filio. Denique Lib. LII, § 56 S. Doctor profitetur suam fidem de SS. Trinitate dicendo « Quod ex Te (*Deo Patre*) per eum (*i. e. Fi-*

« *lium Dei*) Sanctus tuus Spiritus est, etsi sensu quidem non perci-« piam, sed tamen teneo conscientia ». Nonnisi erronee igitur affirmatur S. Hilarium in libris de Trinitate abstinuisse a profitendo divinitatem Spiritus Sancti.

46. Ariana impietate de divinis processionibus expuncta, alii haeretici easdem processiones interpretati sunt ad instar illarum processionum transeuntium « secundum quod (= *quas*) causa dicitur « procedere in effectum, inquantum *vel* movet ipsum, *vel* similitudi-« nem suam ipsi imprimit. — Et sic eam (*quam Sacrae Scripturae in-« tra Deum processionem ponunt — Cfr. n. 40*) accepit Sabellius, di-« cens (*unicam in Deo exsistere Personam quae nominatur* Pater *se-« cundum quod creavit coelum et terram*), ipsum (*vero*) Deum Patrem « *Filium* dici secundum quod (*pro hominum redemptione*) carnem « assumpsit ex Virgine ; et eumdem (*Deum Patrem*) dici *Spiritum « Sanctum* secundum quod creaturam rationalem sanctificat et ad vi-« tam (*aeternam*) movet (Hic, o). Haec (*inquam*) fuit opinio Sabellia-« norum, qui et *Patrispassiani* dicti sunt, eo quod Patrem passum « esse confitentur, asserentes ipsum Patrem esse Christum ». (Lib. IV *Cont. Gent.*, cap. 5). — Contra hanc quoque perfidiam sit

47. **Conclusio VII.** *Sabelliana expositio de divinis processionibus reiicienda est tamquam haeresis.*

Nota. Est Fidei dogma.

Prob. 1.° *Argumento Biblico.* Sabellius equidem, explicans processiones intra Deum exsistentes, posuit, sicut diximus (Cfr. n. praec. et n. 13, *B*, β), quod in deitate non subsisteret nisi unica prorsus Persona; quae tamen trinomie appellaretur propter tres realiter distinctas energias, *Creationis* videlicet, *Redemptionis,* atque *Sanctificationis,* secundum quas energias illa unica divina Persona se manifestat *ad extra* in mundo: ita ut secundum Sabellianos Deus Pater, Deus Filius et Deus Spiritus Sanctus non distinguerentur realiter inter se, sed essent una et eadem realiter Persona divina, quemadmodum Petrus uti *Piscator,* Petrus uti *Apostolus,* et Petrus uti *Christi Vicarius* non sunt tres realiter distinctae personae, sed sunt *unica Persona,* frater scilicet Andreae, filius Bar-Iona. — Atqui ex adverso S. Scriptura, de divinis processionibus et de divinis Personis agens, expresse affirmat *A*) Personam Dei Patris distingui *realiter* a Persona Dei Filii, item *B*) Personam Spiritus Sancti distingui *realiter* a Persona Dei Patris, *C*) et a Persona Filii Dei. —

Ergo Sabelliana expositio de divinis processionibus contradicit expresse expositioni quam de eisdem processionibus tradunt Sacrae Scripturae : ideoque reiicienda est tamquam haeretica. — Prop. mai. est evidens : illatio quoque argumenti per se constat. Pro. min. probatur per partes.

I.ª Pars. (*A*) « S. Scriptura expresse affirmat Deum Patrem di« stingui *realiter* a Dei Filio ». Prob. α) Filius, qua talis, distinguitur *realiter* a suo Patre. (Quum enim filius generetur a patre ; et generans *det esse* genito : si filius, qua talis, esset *realiter* identicus cum suo patre, sequeretur quod idem secundum idem esset simul *dans* et *accipiens* esse : quod est impossibile). Atqui in S. Scriptura Christus dicitur non solum Filius Virginis (Cfr. Matth. I, 20 et 25, item Luc. II, 6-7), sed etiam Filius Dei. Nam Christo baptizato in Iordane, Deus Pater de coelo ait : « Hic est *Filius meus* dilectus, in « quo mihi bene « complacui » (Matth. III, 17) ; et Petrus Apostolus, Christum alloquens, inquit : « Tu es Christus, *Filius Dei vivi* » (Ibid. XVI, 16). — Ergo Christus, inquantum Filius Dei, distinguitur *realiter* a Deo Patre (Cfr. hic, o, et Lib. IV *Cont. Gent.*, cap. 5).

β) Praeterea nulla Persona potest affirmari, quod *exiverit* a seipsa, et *redeat* ad seipsam, nisi forte παράνοια detineatur ; quod vitium de Christo affirmare sacrilegium est. — Atqui Dei Filius, dum erat in mundo, ait ad discipulos : « *Exivi* a Patre et veni in mun« dum ; iterum reliquo mundum et *vado ad* Patrem ». (Ioan. XVI, 28). — Ergo Christus, inquantum Dei Filius, *distinguitur realiter* a Deo Patre (Cfr. ibid.).

γ) Praeterea comoediam ageret, si *quis* deprecaretur *semetipsum* de beneficio obtinendo : quam sane comoediam nefas est credere Dei Filium egisse super terram. — Atqui nos pluries legimus in Evangelii Dei Filium humanatum *exorasse* Deum Patrem ; sicut patet Matth. XIV, 23, item ibid XXVI, 36, ac praesertim toto cap. XVII evangelii S. Ioannis. — Ergo Dei Filius nequit esse *realiter* identicus cum Deo Patre, sed necessum est ut *realiter* ab Eo *distinguatur* (Cfr. ibid).

δ) Denique pronomina *Ego, Tu, Ille,* quando in eadem phrasi occurrunt, designant personas ad invicem *realiter* distinctas : hoc nedum ex grammatica sed constat etiam ex communi usu loquentium. — Atqui Christus, orans Deum Patrem, ait : « Pater... clarifica « Filium *tuum,* ut Filius *tuus* clarificet *Te... Ego Te* clarificavi su-

« per terram... Et nunc clarifica *Me Tu Pater*... claritate quam ha-« bui, prius quam mundus esset, apud *Te* etc. ». (Ioan. XVII, 1, 4, 5). — Ergo Dei Filius *distinguitur realiter* a Deo Patre (Cfr. ibid).

II.ª ET III.ª PARS, videlicet (*B*) et (*C*). « S. Scriptura expresse « affirmat Spiritum Sanctum distingui *realiter* tam a Deo Patre quam « a Deo Filio ». Prob. *1.°* *Ex S. Scriptura.* Etenim *proprie* loquendo, *nemo* mittit *seipsum :* sed *is qui mittitur* distinguitur *realiter* a *mittente :* et similiter *proprie* loquendo nemo procedit *a semetipso ;* sed is qui *ab alio* procedit, *ab hoc alio realiter* distinguitur. — Atqui in S. Scriptura Spiritus Sanctus dicitur

α) *mitti a Deo Patre,* iuxta illud : « Paracletus Spiritus Sanctus, « quem MITTET *Pater* in nomine meo etc. » (Ioan. XIV, 26) ; item dicitur *procedere a Deo Patre* (Ibid. XV, 26).

β) Similiter Spiritus Sanctus dicitur *mitti a Dei Filio,* iuxta illud Christi ad Apostolos : « Quum venerit *Paraclitus, quem Ego* MITTAM « vobis a Patre etc ». (Ioan. XV, 26).

Ergo vere S. Scriptura affirmat Spiritum Sanctum *distingui realiter* tam a Deo Patre quam a Deo Filio. Q. E. D.

2.° *Ex Ecclesiae decretis* thesis nostra contra Sabellium probatur. α) Nam S. Dionysius PP. in epistola, contra Tritheistas et Sabellianos scripta circa an. 260, de Sabellio ait : « Hic blasphemat « ipsum Filium dicens esse Patrem, et vicissim » (*Enchir.,* n. 48).

β) S. Damasus quoque in Conc. Rom. circa an. 380 ita loquutus est : « Anathematizamus eos qui Sabellii sequuntur errorem, eum-« dem dicentes Patrem esse quem Filium » (Ibid., n. 60).

γ) Concilium Constantinop. I (oec. II) anno 381 celebratum, can. 1 decrevit « anathematizandam omnem haeresim, et specialiter... « Arianorum... et Macedonianorum vel Spiritui Sancto resistentium, « et Sabellianorum etc. » (Ibid. n. 85).

48. **Obiic. 3.°** *In variis locis S. Scripturae Christus affirmat sui identitatem cum Deo Patre, dicendo* « *Ego et Pater* unum *sumus* « (Ioan. X, 30) : *et rursum in alio loco* « Philippe, qui videt *me,* vi-« det et *Patrem,...* quia *Ego* in *Patre* et *Pater* in *me* est » (Ibid. XIV, 9-11). *Ergo non datur inter Patrem et Filium personalis distinctio.*

R. Dist. antecedens. *Christus pluries praedicat* suam identitatem cum *Deo Patre* quantum ad essentiam et attributa absoluta : *Concedo ;* quantum ad rationem personae et attributa relativa : *Nego* —

Nego consequens et dico Personas S.mae Trinitatis *distingui realiter* inter se non quantum ad *essentiam* et attributa *absoluta* divinitatis, sed *solummodo* quantum ad *relationes personales* sive constituentes divinas personas : prout inferius exponetur. Et hanc veritatem expressit Christus locis in obiectione inductis. Etenim, quum nominaverit τὸ *Ego et* τὸ *Pater* atque de his dixerit *sumus,* indicavit *pluralitatem realem* personarum ; quia « ubi est unum suppositum « subsistens, pluralis praedicatio non recipitur» (Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. V, n. 10) ; sicut non possum dicere : *Ego* et *Ego indutus, sumus unum.* — Et similiter, quia *eadem una persona,* non potest dici esse IN *eadem una persona,* Christus evidenter distinctionem personalem sui a Patre declaravit dicendo: «*Ego* in *Patre,* et *Pater* « in *Me* est». — Ex alia vero parte quoniam *genus neutrum,* congrue adhibetur ad significandum essentiam seu naturam (Cfr. inferius Q. XXXI, art. 2 ad 4.m), propterea Christus *identitatem,* imo unitatem, *realem* inter essentiam Dei Patris et essentiam Filii Dei indicavit, ponendo τὸ *unum,* videlicet τὸ *una essentia,* loco praedicati in phrasi : « Ego et Pater *unum* sumus ». Et ob eamdem causam in altero loco evangelii Ioannis idem Salvator ait Patrem, i. e. *essentiam Dei Patris,* esse IN Dei Filio : etenim *Paternitatem Dei* esse IN *Dei Filiatione* est affirmatio evidenter absurda. — Unde loca a Sabellianis ex Evangelio obiecta contra nostram thesim non favent sed potius ipsis nocent. Cfr. S. Thomam Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 5 ubi multa alia affert ad eversionem huius obiectionis Sabellianorum.

49. **Scholium IV.**m In hoc articulo Angelicus memorat solummodo haereses Arii et Sabellii et non alias, duplici de causa, 1.° quidem quia circa indolem divinarum processionum non inveniuntur alia haereticorum figmenta ; 2.° quia argumenta, contra propositionem Arii et Sabellii adducta, evertunt *omnem* alium modum, secundum quem haeretici possent tueri *processiones* inter divinas personas *non esse immanentes* sed transeuntes. — Ad cuius ostensionem pono

50. **Corollarium III.**m *Non est possibile explicare processiones divinas ad modum* processionis transeuntis, *nisi* vel *cum Ario* unicitatem *seu* simplicitatem divinae substantiae, vel *cum Sabellio* realem distinctionem inter divinas Personas *violando.*

Prob. *Ratione naturali.* Operatio *transiens* est illa quae infert

semper *aliquid* **extra** subiectum operans: est definitio operationis *transeuntis*. — Sed hoc aliquid

quandoque est *pars subiecti operantis:* sicut contingit in eo qui capillos suos *tondit* et in terram proiicit;

quamdoque est aliquod *novum ens* sive substantiale sive accidentale, productum **extra** subiectum operans, prouti contingit in actione *comburente* ligna, aut illa *secante,* etc.

quandoque est res *extranea* quam agens sibimet *unit:* uti contingit in homine *induente* vestem.

Quarta hypothesis evidenter non est possibilis.

Et ideo, si processiones, in Deo exsistentes formaliter, intelligerentur ad instar *actionis* alicuius *transeuntis,* necesse erit affirmare

α) *vel* quod Persona divina procedens sit *pars* avulsa a *substantia* Personae a qua procedit: et hac via perit *simplicitas* omnimoda *divinae naturae,* et ulterius *divinitas* quoque et *aequalitas* divinarum Personarum; ideoque labimur tum in polytheismum, tum in Arianam perfidiam.

β) *Vel* oportebit affirmare, quod Persona divina procedens sit *novum* aliquod *ens substantiale productum* per actionem Personae a qua procedit. Et per hanc expositionem habemus, quod tum *Dei Filius* tum *Spiritus Sanctus* non sint nisi *creaturae:* quod est haeresis Ariana.

γ) *Vel* demum oportebit affirmare, quod Persona quae in Deo dicitur *ab alia procedere* sit res aliqua *Deo extranea, assumpta* tamen et *adducta* ad consistentiam Personae *a qua* procedit. Et in hac hypothesi necesse est asserere, quod *Filius Dei* atque *Spiritus Sanctus,* quae sunt Personae a Deo Patre procedentes, non sint nisi *duae realitates* vel *duo speciales modi essendi assumpti* a Deo Patre ad *consistentiam suae physicae personalitatis.* Et hac via labimur evidenter in Sabellianismum.

Sic igitur, si processiones, formaliter in Deo exsistentes, exponantur utcumque secundum aliquam *operationem transeuntem,* laeditur semper aut *unicitas* seu simplicitas deitatis in qua omnes tres Personae subsistunt, aut *distinctio realis* inter istas Personas. Sumus nempe in Arianismo aut Sabellianismo. Q. E. D. (Cfr. hic ad 2.m).

51. Expunctis haereticis solutionibus, remanet veritas catholica: quae sequenti proponitur conclusione. Videlicet

Conclusio VIII. *Processiones* **formaliter** *in Deo exsistentes, contingunt secundum aliquas operationes Deo ipsi* **immanentes.**

Nota. Est propositio dogmatica.

Prb. 1.° *Argumento Biblico. Verbum intellectuale* **procedit** per intellectionem quae est operatio *immanens* intellectui ; item *Morosa inhaesio, et complacentia, voluntatis amantis cum obiecto amato* procedit per amorem qui est operatio *immanens* voluntati : utraque haec propositio relinquitur nota ex philosophia. — Atqui secundum S. Scripturam Dei Filius procedit tamquam *Verbum intelligibile* e mente Dei Patris ; iuxta illud : « In principio erat Verbum... Et vi- « dimus gloriam Eius, gloriam quasi *Unigeniti* a Patre (ὡς μονογενοῦς « παρὰ πατρός), etc. » (Ioan. I, 1 et 14 — Cfr. inferius Q. XXXIV, art. 2). Similiter, secundum S. Scripturam, Spiritus Sanctus in divinis procedit per impulsum Amoris tamquam *mutua inhaesio complacentiae* Dei Patris *in* Filio Suo *dilecto* (Cfr. Matth. III, 17). Unde dicitur « Deus Charitas est » (I. Ioan. IV, 16). Et S. Gregorius (Hom. 30 in *Evang. Ioan.*) ait ; *Ipse Spiritus Sanctus* Amor *est* (Cfr. infra Q. XXXVII, art. 1, o). — Ergo verissime istae duae processiones, quas solummodo (Cfr. art. 5 h. q.) Fides catholica in Deo formaliter ponit, videlicet processio Filii Dei et processio Spiritus Sancti, contingunt secundum S. Scripturam per operationes aliquas ipsi Deo immanentes.

2.° *Rationibus theologicis. A*) Omnis processio attenditur secundum aliquam operationem, vel **immanentem** in *principio a quo* res dicitur procedere, vel *ab eo principio* **transeuntem** ad extra : est evidens ex praemissis (Cfr. n. 34) — Atqui processio *realis*, in Deo formaliter exsistens, non potest contingere secundum aliquam Dei operationem *quodammodo* **transeuntem :** sicut superius (Cfr. n. praec.) ostensum est. — Ergo necesse est, ut contingat secundum operationem simpliciter Deo **immanentem.**

B) Praeterea loquimur de Deo analogice ad creaturas praesertim intellectuales. — Atqui processiones quae *formaliter* in *creaturis intellectualibus* inveniuntur, contingunt secundum operationem aliquam **immanentem** ipsis creaturis. — Ergo analogia suadet, ut processiones, in Deo *formaliter* exsistentes, attendantur secundum operationem aliquam Deo **immanentem** — Prop. mai. et illatio relinquuntur notae. — Prop. min. probatur sic. Una processionum quae *formaliter* invenitur in creatura intellectuali, ex. gr. anima humana,

dum actualiter intelligit, est evidenter ipsa productio *verbi mentalis*. — Sed productio *verbi mentalis* non contingit nisi per *intellectionem* (Cfr. nostrum Vol. *De Deo Uno* nn. 600 et 601) quae est *operatio* aliqua *immanens in ipso intellectu intelligente,* ex. gr. in intellectu hominis dum actualiter intelligit. — Ergo processio, quae *formaliter* invenitur in creatura intellectuali, contingit secundum operationem aliquam **immanentem** ipsi creaturae (Cfr. hic, o; item Lib. IV *Cont. Gent.,* cap. 11; item QQ. Dispp. *De Veritate,* Q. IV, art. 3; item S. Bonaventura, *Itinerarium Mentis in Deum,* cap. 6; et Alexander de Ales, Lib. *De Processione Spiritus Sancti* etc.).

— Placet nunc, antequam ad ulteriora procedamus, nonnulla solvere argumenta quae ab haereticis et rationalistis solent proponi contra exsistentiam et naturam processionum quas Fides Catholica in Deo confitetur. Unde

52. **Obiic. 4.°** *Ubi adest* realis processio, *ibi invenitur* realis mobilitas, *i. e. realis egressio procedentis ab eo a quo procedit. At in essentialiter divinis* nulla realis mobilitas *invenitur* (Q. IX, art. 1). *Ergo nec* realis processio immanens *potest in Deo inveniri.*

R Dist. mai. *Ubi adest...* realis mobilitas *proprie* vel *metaphorice dicta:* Concedo; mobilitas semper *proprie dicta:* Nego. — Disting. minorem: *In essentialiter divinis* nulla invenitur realis mobilitas *proprie dicta:* Concedo; *metaphorice dicta:* Nego. — Nego consequens et dico, quod Deus, quum sit infinitus essentialiter (Q. VII, art. 1, o) et omnino immutabilis (Q. IX, art. 1), non habet intra se aliquam mobilitatem *proprie* dictam, secundum quam scilicet *diversae formae essendi* in rebus finitis solent succedere sibi invicem: attamen Deo convenit mobilitas seu mutatio sumpta *metaphorice* atque *improprie,* inquantum scilicet Deus habet operationes intelligendi et volendi quae vocantur motus metaphorici. Unde de divina Sapientia legitur, quod sit *mobilior cunctis mobilibus* (Sap. VII, 24), energia videlicet maxime in actu. Quia ergo secundum operationes immanentes attenditur aliqua *realis* processio *ad intra,* ut expositum est n. praec., convenienter in Deo (qui est maxime intelligens et volens) ponimus aliquas *reales* processiones *immanentes.*

53. **Obiic. 5.°** *Omne procedens est diversum ab eo a quo procedit. At in Deo non invenitur ulla diversitas. Ergo in Deo nulla datur realis processio.*

R. Dist. mai. *Omne procedens est* diversum *ab eo a quo proce-*

dit, si sermo sit de processione **ad extra**: *Concedo;* si sermo sit de processione **ad intra**: *Subdistinguo;* est diversum quantum ad notiones **relativas**: *Concedo;* **secus**: *Nego.* — Distinguo minor. *In Deo non invenitur* ulla diversitas *quantum ad* **absoluta**: *Concedo; quantum ad notiones* **relativas**: *Nego.* — Nego consequens et dico ad essentiam processionis *realis* pertinere *realem* distinctionem inter *procedentem* et *id a quo procedit;* quoniam *idem ab eodem* nequit realiter procedere, uti patet (Cfr. n. 32). — Unde ex eo quod *intra* Deum affirmamus exsistere processionem *realem,* evidenter consequitur inveniri **in** ipso Deo terminum *procedentem,* et terminum *a quo* iste alter procedit, et rursum *distinctionem realem* inter illos. — Porro *realis distinctio* viget non solum inter terminos processionis qui sunt *diversae naturae,* puta inter Architectum et domum ab eo fabricatam; sed etiam inter terminos processionis qui conveniunt in *eadem natura specifica,* et *non individuali,* ut puta inter *Adam et Abel;* et etiam inter duos terminos qui *solo respectu relativo* opponuntur, ut patet inter *Dominationem* et *Servitutem.* — Unde, si daretur *Servitutem* procedere a *Dominatione,* inveniretur inter hos terminos *sola oppositio relativa.* — In Deo autem est maxima *simplicitas* et *summa unitas* in essentia. Repugnat e contra *summa unitas* in relationibus; quoniam relatio *ad minus* exquirit **duos terminos** eiusdem relationis; Unde ex eo quod processionem ponimus in Deo, non oportet *diversitatem naturae,* sed sufficere *diversitatem relationum, in terminis divinarum processionum ponere.* Et hoc praecise Fides praedicat in Deo: unde in Conc. Florentino, decreto pro Iacobitis (Cfr. Denzinger, *Enchirid.* n. 703), dicitur: « In divinis omnia « sunt unum, *ubi non obviat relationis oppositio* ». Hinc solvitur sequens

54. **Obiic. 6.°** *Deus,* quia infinitus, *est* maxime unus. *At Persona divina est infinita. Ergo Persona divina non est nisi* una. *Non datur ergo* vera processio *Personarum intra Deum.*

R. Dist. mai. *Deus,* quia infinitus *in linea absoluti* est maxime unus: *Concedo;* quia est infinitus *in linea relativi,* est maxime unus; *Nego.* — Dist. minorem. *Persona divina est* infinita *tum in linea absoluti, tum in linea relativi: Concedo;* est infinita in *linea* **absoluti** *et non in linea relativi: Nego.* — Nego consequens, et dico, quod primum ens, quod est Deus, continet **eminenter** totam realitatem *entis absoluti* et totam realitatem *entis relativi,* et est secun-

dum lineam utriusque realitatis *vere infinitus*. Sed advertendum est, quod aliter est sentiendum de infinitate *realitatis absolutae*, et aliter de infinitate *realitatis relativae*. — Quia enim *realitas absoluta* non exposcit *multiplicationem*, propterea illud quod est infinitum *in linea absoluti* est *maxime unum*. E contra relatio, quia exposcit *necessario* duo *extrema* inter quae vigeat, importat consequenter quamdam *multiplicitatem*. Et ideo illud quod est infinitum *in linea relativi* non est *maxime unum*, sed *duale vel plurale*. — Quia ergo *essentia divina* nominat *realitatem absolutam* et est infinita, non potest esse nisi *unica* (Cfr. Q. XI, art. 4, o). E contra, quia *Persona divina* est quidem infinita, sed nominat *realitatem relativam*, videlicet **relationem subsistentem** (ut dicemus), propterea non est *unica*; sed sunt tres in Deo Personae, i. e. *Pater, Filius*, et *Spiritus Sanctus*.

55. **Obiic. 7.°** *Procedere* ab alio *repugnat* enti a se. *Atqui quaelibet* Persona S.mae Trinitatis, *quia est* essentialiter Deus, *est* ens a se. *Ergo ei regugnat procedere ab alio: consequenter nulla inter eas dari potest realis processio.*

R. Dist. mai. Procedere ab alio, *ut a causa*, repugnat etc.: *Concedo*. Procedere ab alio, *tamquam a principio originis*, repugnat etc.: *Nego*. — Dist. min. Quaevis Persona S.mae Trinitatis est **ens a se**, idest **non causatum ab alio**: *Concedo*; **ens a se**, idest **non procedens ab alia Persona**: *Nego*. — Nego consequens, et dico, quod τὸ **ens a se** potest intelligi 1.° pro re non *causata ab alia*; et hoc modo quaelibet Persona divina est **ens a se**: 2.° potest intelligi quatenus denotat *ens non procedens ab alio*; et hoc modo secundum catholicam Fidem *sola* Persona Patris est *ens a se*; quia Filius procedit a Patre, Spiritus Sanctus autem a Patre et Filio. — Et sic patet, quod inter Personas S.mae Trinitatis, absque detrimento divinitatis, non repugnat inveniri *realem processionem* **unius ab alio**, prouti Fides catholica profitetur.

56. **Obiic. 8.°** *Quaelibet Persona divina est primum principium. At* primo principio *repugnat procedere ab alio. Ergo in* Personis divinis *non potest attendi vera processio realis.*

R. Dist. mai. Quaelibet Persona est principium *primum* **in omni ordine**: *Nego*; est *primum in* **ordine productionis creaturarum**: *Concedo*.—Dist. min. Principio primo **in omni ordine** repugnat etc.: *Concedo*; **secus**: *Nego*.—Nego consequens et solutio patet.—Cum

enim in Trinitate omnia sunt unum, nisi obviet relationis oppositio, propterea τὸ *operari ad extra,* quia non significat *relativam* aliquam *oppositionem* exsistentem *inter divinas Personas,* est attributum commune singulis Personis divinis: ita ut **quaelibet** Persona habet rationem *primi principii* quantum ad productionem *creaturarum.* Attamen, quia secundum Fidem catholicam Persona *Filii* procedit a *Patre,* et Persona *Spiritus Sancti* a *Patre et Filio,* dum **sola** Persona Patris a *nullo* procedit, propterea **solus** Pater est *primum principium totius Trinitatis,* sive est primum principium tum *ad intra* tum *ad extra.*

57. **Obiic. 9.°** *Ubi processio, ibi invenitur posterioritas atque dependentia unius ab alio. In Deo nequit poni posterioritas, neque dependentia. Ergo nec processio.*

R. Dist. mai. Ubi adest processio, *quae sit in diversitate naturae,* ibi etc.: *Concedo;* ubi adest processio *quae sit in identitate naturae,* ibi etc.: *Nego.* — Conc. minorem; nego consequens et dico, quod, quando *procedens* est *diversae naturae* ab eo *a quo procedit* sicut contingit in processione effectus a propria causa, verum est *procedentem* habere *dependentiam* et *posterioritatem* relate ad id *a quo procedit.* Revera effectus *dependet,* et est **saltem natura,** *posterior,* propria causa.

At, si processio esset in *identitate naturae,* ita scilicet ut *eadem numero* natura sit in *procedente* et in *eo a quo* procedit, non oportet adesse ista *posterioritas,* neque *dependentia* in *procedente.* Revera supponamus Filium procedere a Patre ita ut *eadem* numero *natura* sit in Patre et Filio: et in hac hypothesi, Filius non poterit quantum ad *propriam naturam* **dependere** a Patre quasi *natura Filii* **dependeat** *a natura Patris;* non potest, inquam, hoc dici, quia supponitur *eadem numero natura* in utroque. — Et similiter Filius non poterit quantum ad *relationem Filiationis* habere **dependentiam** a *Paternitate,* quoniam formalitates relativae sunt **simul natura.** Sic igitur in hypothesi quod Filius sit Patri *consubstantialis,* impossibilis est **dependentia** *Filii a Patre.*

Pari ratione in hypothesi *consubstantialitatis* Filii cum Patre, nequit dici Filium quantum ad *propriam naturam,* habere quamdam **posterioritatem** relate ad *naturam Patris,* quia supponitur *eadem numero* natura in utroque. Alioquin Filius non potest quantum ad *Filiationem,* habere **posterioritatem** relate ad *Paternitatem,* quia *relativa,* sunt, ut diximus, **simul** natura.

In summa itaque, quando Filius et Pater, vel universalius quoties *Procedens et id a quo procedit,* habet invicem *consubstantialitatem,* tunc non habent locum **posterioritas** atque **dependentia** *procedentis* ab eo *a quo* procedit : ut obiectio inducebat.

58. **Scholium V.**[m] In corpore articuli Angelicus ponit principium istud generale « Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelli« git, procedit aliquid (*verbum*) intra ipsum » (Hic, o). Quae phrasis sic construitur : « Ex hoc ipso, quod quicumque intelligit (= *intelli« gens*) intelligit *actualiter,* procedit aliquod verbum intra ipsum in« telligentem actualiter ; *seu* « Ex intellectione, qua quilibet intelli« gens intelligit actualiter, **procedit** aliquod verbum mentale intra « ipsum intelligentem ».

Quae propositio S. Thomae est *universalis,* sicut ex terminis patet. Unde veritas huius propositionis non est *limitanda,* sicut Capreolus (IV. *Sent.,* Dist. XLVII, Q. V, art. 3, § *Ad primum Aureoli*), Caietanus (*Com.* in h. a. § *Ad tertium dubium*), Bannes (*Com.* in h. a. § *Dubit primo*), item Rev. P. Pègues (*Com. français litt. de la Somme,* in art. 1 h. Q. p. 37, § *nota*), Cl. P. A. Lépicier (*Com.* in h. a., n. 15) et multi alii interpretes faciunt, ad **solas** *intellectiones naturales* creaturarum intellectualium, cum exclusione scilicet *visionis* quam de Deo homines et Angeli habent in patria. Ista limitatio, inquam, non videtur vera ; sed, sicut superius Q. XII, art. 2 exposuimus (Cfr. Vol. *De Deo Uno,* n. 602 et sqq.), conformius menti S. Thomae et veritati videtur affirmare, quod, licet creaturae iam coelo Beatae per actum visionis beatificae non efforment verbum mentale *adaequatum,* in quo *videre intuitive* possint *deitatem,* attamen per actum illius visionis possunt efformare aliqua verba mentalia *inadaequata* quibus *modo imperfecto* sibi aut aliis beatis manifestent illa quae in Deo vident (Cfr. S. Thomam Q. IV. *De Verit.* inter *QQ. Dispp.,* art. 3, o ; item Lib. IV *Cont. Gent.,* cap. 11). Et nostra interpretatio apparet vera ex hoc, quod qui aliter a nobis principium S. Thomae exponunt, coguntur ponere, quod in homine operatio vitalis nobilissima (qualis est visio beatifica) sit operatio omnino sterilis nihilque producere valens. Quae sane positio, ut minus dicam, vix intelligi potest. — Adhuc nostrae expositioni accedere videtur ipsemet Caietanus, dum loc. cit. scribit : « Beatus « (*intuitive Deum videndo*) verbum *partiale,* non autem *adaequatum*

« visioni proferre potest : plus enim videt, quam dicere possit quo-« cumque verbo creato ».

— Alias expositiones illius phrasis S. Thomae exquire, si lubet, apud Bannes (loc. cit.), nec non apud Ferrariensem (*Com.* in Lib. I. *Cont. Gent.*, cap. 53). Nobis in his tricis immorari diutius deficit animus. Lege adnotationem nostri P. De Rubeis in h. a.

α) Praeterea in eodem corpore articuli habetur alia pericopes, nimirum « Verbum mentale est conceptio rei intellectae *ex* vi intel-« lectiva proveniens et *ex* eius notitia procedens ».

In hac phrasi τὸ *conceptio* non accipitur *active* seu *formaliter*, i. e. pro *actione intelligendi ;* sed *passive* seu *obiective*, videlicet pro *re* obiective *cognita* sive *concepta ab actione intelligendi*, sive pro *intentione*, seu *conceptione, intellecta*, quemadmodum se exprimit ipse Angelicus Lib. IV *Cont. Gentes*, cap. 11. Recolendum est enim quod, sicut diximus in cit. Vol. *De Deo Uno*, n. 601.°, 1.°-2.°, iuxta S. Thomae doctrinam, in nobis *verbum mentale* distinguitur *realiter* ab *actione* intelligendi.

Reliqua autem illius phrasis verba possunt exponi, ita ut per τὸ « *vi intellectiva* » designetur intellectus possibilis, et per τὸ « *eius notitia* » species intelligibilis impressa in eodem intellectu. Unde secundum hanc expositionem ea phrasis habet hunc sensum : « Ver-« bum mentale procedit *active* ab intellectu possibili et a specie in-« telligibili impressa in eo intellectu ; inquantum scilicet intellectus « possibilis, actuatus a specie intelligibili impressa intelligit rem re-« praesentatam in specie impressa, et, intelligendo, hanc rem expri-« mit in verbo mentali ».

Alia quae respiciunt verbum mentale, exponentur inferius Q. XXXIV. Utiliter legi poterunt ea quae in citato commentario docte scribit P. Bannes.

59. **Corollarium IV.m** Paucis recapitulando omnia quae circa divinas processiones hucusque definivimus, inferimus qualiter ex hoc ipso quod intra ipsum Deum exsistant realiter aliquae processiones vere reales, debent in Deo inveniri conditiones comitantes indissolubiliter processionem realem (Cfr. n. 36). Consequenter in Deo est realiter ponendus α) aliquis realis terminus *a quo* processionis, β) item aliquis realis terminus *qui* eiusdem processionis, γ) item **nonnulla** *distinctio realis* inter utrumque terminum, δ) ac demum (Cfr. n. 34 operatio aliqua Deo ipsi *simpliciter* immanens.

60. Eorum quae Deo conveniunt ratio aliqua sufficiens solet a theologis assignari. Inde apud Scholasticos movetur

Q. *Quodnam est principium processionum realium Deo immanentium?*

Quaestio haec valde obscura est, utque hinc inde theologos distrahit in longinquas et litigiosas tricas. Quas ut evitemus simulque evidenter problematis solutionem *prope veritatis* simillimam indicemus, ex praedictis (Cfr. n. 33)

A) praenoto 1.° quod *duplex* distinguitur *processio realis:*

una dicitur processio realis **per modum operationis,** et haec est *emanatio* **operationis physicae** *ab operante,* ex. gr. emanatio *loquutionis* a loquente, emanatio *intellectionis* ab intelligente, etc.

Altera dicitur processio realis **per modum operati,** et haec est *emanatio alicuius* **rei physicae,** (*diversae* ab *operatione*) *ab ipso operante,* ex. gr. emanatio *statuae* ab operatione sculptoris, etc.

Ex quibus definitionibus apparet, quod processio quaelibet, considerata *formaliter,* non est **essentialiter** nec *principium operans* neque *terminus operatus,* neque *operatio;* quoniam nullum horum in definitione processionis realis ponitur in *recto;* quae est conditio *necessaria* pro elementis *essentialibus* alicuius rei: attamen omnis processio realis **connotat** semper vel τὸ *operans* et *operationem,* vel τὸ *operatio* et *terminum operatum,* vel τὸ *operans* et *terminum operatum* quoniam *unum* horum *binariorum* ponitur in casu *obliquo* in praecitatis definitionibus.—Ipsa vero realis processio est **essentialiter** *emanatio,* quoniam ista vox ponitur in casu *recto* in citatis definitionibus.

Ex alia vero parte nisi detur **operatio,** impossibile est quod *emanatio* locum habeat, sicut ex terminis patet. Quae veritas manifestat *emanationem* **fundari** in aliqua *operatione.*

α) Recapitulando igitur habemus, quod processio realis (quae est *essentialiter* realis emanatio) fundetur in operatione aliqua *reali* quam **connotat,** at non est **essentialiter** nec *operatio* neque *operatum* neque *operans.*

Sed quando unum habet *naturale suum fundamentum* et *radicem* in alio, id quod est principium et radix *unius,* est etiam principium et radix *alterius:* ita, quoniam *potentiae* animae radicantur **naturaliter** in ipsius *essentia,* propterea illud quod est principium *essentiae animae* est etiam principium *potentiarum naturalium eius.* Igitur,

quia processiones reales, Deo immanentes, fundantur *naturaliter* in operationibus Deo immanentibus, consequitur quod

β) *Principium* processionum realium Deo immanentium, sit *principium* ipsum operationum, Deo immanentium, videlicet *intellectionis* et *volitionis*.

B) *Praenoto 2.°* Ex ontologico tractatu de *causa efficiente* scimus *principium* operationum esse multiplex.

α) *Radicale* seu *remotum* principium operationis est *essentia* seu *natura* rei operantis, iuxta illud Aristotelis (II *Physic.*, text. 3) «Na« tura est principium motus in eo, in quo est, *per se* et non *secun*« *dum* accidens » (Cfr. P. III, Q. II, art. 1, o).

β) *Proximum* sive *immediatum* principium operationis est *potentia activa rei operantis*, quia evidenter ab ista fluit *immediate* operatio. — Item

γ) *Principium quod* operationis est *suppositum* vel *persona* rei operantis, iuxta illud axioma « *Actiones sunt suppositorum*, vel *Per*« *sonarum* ». — Denique

δ) *Principium quo* operationis est vel *potentia operativa* vel *habitus operativus*, vel *instrumentum* **quo adiutore** suppositum *exercet* suam operationem.

61. His ad mentem revocatis, ad solutionem propositi problematis deveniendo, statuo sequentes conclusiones

Conclusio IX. *Persona divina est* **principium quod** *processionum realium Deo immanentium.*

Nota. Est veritas tam certa apud omnes, ita ut nonnisi *cum magna temeritate* negari possit.

Prob. *Ratione theologica.* Idem est principium *operationum* Deo immanentium et *processionum realium* Deo ipsi immanentium (Cfr. n. praec. § *A*, β). — Atqui Persona divina est *principium quod* operationum Deo ipsi immanentium : persona siquidem divina est quae proprie intelligit et vult. — Ergo verissime Persona divina est **principium quod** processionum realium Deo ipsi immanentium.

62. **Conclusio X.** *Deitas seu divina essentia est* **principium radicale** *seu* **remotum** *processionum realium Deo immanentium.*

Nota. Haec quoque propositio *certissima* est apud omnes theologos.

Prob. *Ratione theologica.* Loquimur de Deo *analogice* ad creaturas. Unde, quemadmodum in creaturis essentia est *prima radix*

omnium eorum quae unicuique creaturae sunt propria, ita et in Deo Deitas est *fontale* ac *remotum principium* omnium quae Deo ipsi conveniunt, ita ut *Deitas* sit *principium radicale* et *remotum* omnium **operationum** Deo immanentium. — Sed principium **operationum** Deo immanentium est etiam principium **processionum realium** Deo Ipsi immanentium. — Ergo *Deitas* seu *divina essentia* est **principium radicale** et **remotum** processionum realium Deo immanentium. Q. E. D.

63. Restringitur hinc propositum (Cfr. n. 60) problema ad hoc aliud videlicet

Quodnam est principium **quo proximum** *processionum realium Deo ipsi immanentium?*

Quot capita, tot sunt sententiae theologorum circa hoc theologiae catholicae punctum (Cfr. Gonet, Diss. cit., art. 3, § I).

A) « Durandus in I. *Sent.* Dist. VI, q. 2 docet essentiam divi-« nam esse nedum *radicale* sed etiam *proximum* et *immediatum* « principium divinarum processionum ob summam foecunditatem quae « ipsi convenit ratione infinitatis. — Ex quo infert processiones esse « (*iuxta nostrum modum concipiendi*) **priores** actibus intelligendi et « volendi, et fore in Deo... quamvis per impossibile non esset in-« telligens. — Hic tamen auctor non sibi constare videtur : nam ibi-« dem Dist. VII, Q. II, n. 26 asserit **solas** relationes esse *principium* « *quo* divinarum Processionum » (Gonet, loc. cit.).

Durandi positio coincidit cum ea quam habuit Abbas Ioachim quum dixit (Cfr. Conc. Later. IV, Cap. *Damnamus*) quod in S.ma Trinitate Essentia divina est *generans,* seu principium *quo proximum* processionis divinae immanentis quae nominatur Generatio ; sicut art. seq. dicetur.

In idem redit sententia eorum qui cum Gabriele Biel (I. *Sent.* Dist. VII, QQ. I, II et III) tenent perfectionem aliquam Dei *absolutam,* puta *Bonitatem, Infinitatem, Intellectum, Voluntatem,* etc. esse principium *quo* **proximum** et **immediatum** processionum realium Deo immanentium (Cfr. Q. II. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.*, art. 2, o).

Contra istos ponitur

a) **Conclusio XI.** *Principium* **quo** *proximum et immediatum divinarum Processionum* **non est** α) *Deitas seu divina essentia,* β) *neque perfectio aliqua Dei absoluta,* γ) *neque etiam intellectus et voluntas Dei* **absolute** *considerata.*

Nota. Prior pars conclusionis **proxima Fidei** esse videtur: reliquae sunt *certae* apud theologos.

Prob. I.ª pars conclusionis. 1.° *Ex definitione Fidei* lata in Concil. Lateran. IV, cap. *Damnamus,* contra Ab. Ioachimum; ubi sic legitur: « Nos sacro approbante Concilio credimus et confitemur cum Petro « Lombardo quod una quaedam summa res est... quae veraciter est « Pater et Filius et Spiritus Sanctus... et illa res (*videlicet substan-* « *tia, essentia seu natura divina*) *non* est *generans, neque genita, nec* « *procedens:* sed est Pater *qui* generat, et Filius *qui* gignitur, et « Spiritus Sanctus *qui* procedit » (*Enchir.* n. 432). Unde secundum definitionem hanc Concilii propositio ista « *Essentia divina est gene-* « *rans* » est haeretica.

Iamvero de *principio* **quo** *proximo et immediato* generationis potest dici *quod sit generans.*

Ergo secundum Concilii definitionem *Essentia divina* sive *Deitas* **non est** *principium* **quo** *proximum et immediatum generationis Filii Dei.* —

Atqui *una processionum realium Deo immanentium* est quae consuevit nominari *generatio Filii Dei.* — Ergo essentia divina sive *Deitas* non est *principium* **quo proximum** *et immediatum* Processionum divinarum. Q. E. D.

2.° *Ratione theologica.* Unumquodque nominamus secundum quod illud cognoscimus: verba enim sunt naturalia signa conceptionum nostri intellectus. — Iamvero cognoscimus processiones, in Deo immanentes, *per analogiam* ad processiones immanentes quae inveniuntur in creaturis intellectualibus: patet. — Et ideo necesse est nos loqui de processionibus, Deo immanentibus, *per analogiam* ad modum quo loquimur de processionibus immanentibus quae exsistunt in creaturis intellectualibus; sicut patet ex dictis in Q. XIII. — Atqui principium **quo proximum et immediatum** processionis verbi mentalis, quod in nobis est, non est essentia animae, sed intellectus possibilis foecundatus a specie aliqua intelligibili impressa: sicut in philosophia ostenditur. — Ergo et similiter non potest in bona theologia sustineri, quod divina essentia, sive *Deitas,* sit principium **quo proximum et immediatum** processionum realium Deo immanentium. Q. E. D.

Prob. II.ª pars conclusionis. *Ratione theologica.* Quaevis perfectio Dei *absoluta* est *res communis* omnibus tribus divinis Personis;

quoniam tres divinae Personae non in *absolutis* sed in *relative oppositis* differunt. — Atqui principium **quo proximum et immediatum** divinarum processionum non est aliquid *commune* Patri, et Filio et Spiritui Sancto; secus, quemadmodum *Deus Pater,* ita et *Deus Spiritus Sanctus* generaret *Filium Dei:* quod est haereticum. — Ergo nulla perfectio Dei *absoluta* est principium **quo proximum et immediatum** processionum realium Deo immanentium. Q. E. D.

Prob. III.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Equidem intellectus divinus et voluntas divina, consideratae *absolute,* sunt aliquid *commune* omnibus Personis S.mae Trinitatis, seu sunt perfectiones quaedam *absolutae* Divinae naturae: revera quaelibet divina Persona *intelligit* et *vult.* — Atqui nulla perfectio Dei *absoluta* est principium **quo proximum et immediatum** processionum realium Deo immanentium; sicut § praec. ostensum est. — Ergo nec divinus intellectus, neque divina voluntas *absolute* considerata possunt esse principium **quo proximum et immediatum** processionum divinarum Deo immanentium. Q. E. D.

B) Expuncta opinione Durandi, sequitur opinio, quae solet attribui S. Bonaventurae (I. *Sent.* Dist. VII, q. 1), affirmans *relationes divinas personales,* puta *Paternitatem, Filiationem* et *Spirationem Activam,* esse principium **quo proximum et immediatum** processionum *realium* Deo immanentium. Huic opinioni adhaerent plerique alii theologi. — Contra hos doctores ponitur

b) **Conclusio XII.** *Propietates Dei* **relativae,** *uti Paternitas, Filiatio, etc. non sunt principium* **quo proximum et immediatum** *processionum realium Deo immanentium.*

NOTA. Est communis inter thomistas.

Prob. *Ratione theologica.* Proprietates Dei relativae, uti *Paternitas, Filiatio,* etc., non sunt **operationes** aliquae reales Deo immanentes: constat. — Atqui **principium quo** proximum et immediatum **processionum realium** Deo immanentium est quaedam **operatio realis** Deo immanens; sicut in nobis **principium quo** proximum et immediatum *realis processionis* verbi mentalis ab intellectu cognoscente est **operatio realis** immanens intellectui i. e. actualis cognitio. Constat. — Ergo Proprietates Dei relativae, uti *Paternitas, Filiatio,* etc., non sunt **principium quo** proximum et immediatum processionum realium Deo immanentium.

Huius syllogismi prop. maior confirmatur verbis S. Thomae di-

centis : « Paternitas... est... proprietas personalis habens se ad « Personam Patris, ut forma individualis ad aliquod individuum crea- « tum (*quo modo scilicet* **Socrateitas** *se habet ad* **Socratem**). Forma « autem individualis in rebus creatis **constituit** personam generan- « tem, non autem est (*principium proximum*) **quo** generans generat: « alioquin Socrates **generaret** Socratem (*quia in generatione viven- « tium* **filius** *est eiusdem* **formae** *seu* **naturae** *cum* **patre**). Unde ne- « que Paternitas (*Dei Patris*) potest intelligi (*uti principium* **proxi- « mum et immediatum**) **quo** Pater generat, sed ut constituens « Personam generantis ; alioquin (*Deus*) Pater generaret (*alium « Deum*) Patrem » (Cfr. infra Q. XLI, art. 5, o) : quod est evidenter absurdum.

64. **Corollarium V.m** In Deo, primo fonte totius realitatis, non exsistit aliud praeter realitatem *absolutam* et realitatem *relativam.* Visum est autem principium **quo proximum** *et* **immediatum** processionum realium, in Deo exsistentium, non esse realitatem *pure* absolutam (Cfr. n. 63, § α) neque realitatem *pure* relativam (Cfr. Concl. praec.). Reliquum est igitur, ut sit realitas aliqua divina **quodammodo** mixta ex *absoluto* et *relativo,* sive realitas absoluta **connotans** aliquid relativum ; quoniam, si ita non esset, non remaneret nisi concludere, quod principium **quo proximum** *et* **immediatum** processionum realiter in Deo exsistentium sit *nihilum:* quod est absurdum et in Fide erroneum.

65. Hac veritate constituta, sententia thomistarum de principio **quo proximo** *et* **immediato** processionum realium, in Deo formaliter exsistentium, enuntiatur prout sequitur

Conclusio XIII. Principium **quo proximum** *et* **immediatum** *realium processionum Deo immanentium* α) *est* **divinus intellectus** *et* **divina** *voluntas,* β) *non quidem* **absolute** *consideratae,* γ) *sed uti* **connotantes** *aliquas ex tribus proprietatibus S.mae Trinitatis.*

Nota. Est communis inter thomistas.

Prob. I.a pars conclusionis. *Ratione theologica.* Principium **quo proximum** *et* **immediatum** realium processionum Deo immanentium est principium **quo proximum** *et* **immediatum** operationum Deo ipsi immanentium, videlicet divini *intelligere* ac divini *velle* (Cfr. n. 60, *A*, β) : patet. — Atqui evidenter *divinus intellectus* est principium **quo proximum** *et* **immediatum** divini *intelligere,* quemadmodum *divina voluntas* est principium **quo proximum** *et* **immediatum** divini

velle: patet. — Ergo principium **quo proximum** *et* **immediatum** divinarum processionum est divinus intellectus et divina voluntas. Q. E. D.

Prob. II.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Etenim principium **quo proximum** *et* **immediatum** processionum realium Deo immanentium **non potest esse** aliquod **commune singulis trium** *divinarum Personarum:* secus unaquaeque Persona S.mae Trinitatis haberet **proprium** Filium et **proprium** Spiritum Sanctum; et sic non **sola** Trinitas divinarum Personarum, sed indefinitus Personarum numerus ponendus in Deo esset. Patet. — Atqui divinus *intellectus* et divina *voluntas,* **absolute** considerati, **sunt** aliquid **commune singulis** Personis S.mae Trinitatis; quia *unaqualibet earum* perfectissime intelligit et vult. Constat. — Ergo principium **quo proximum** *et* **immediatum** processionum realium in Deo exsistentium **non est** divinus *intellectus* et divina *voluntas* **absolute** considerati. Q. E. D.

Prob. III.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Divinus *intellectus* et divina *voluntas* possunt *duobus* **solis** *modis* considerari, videlicet *vel* inquantum sunt proprietates **communes singulis trium** divinarum Personarum, *vel* inquantum sunt proprietates **connotatae** a **speciali** proprietate **unius** aut **duarum** divinarum Personarum. Patet.

Atqui ostendimus, quod principium **quo proximum** *et* **immediatum** processionum *realium* Deo immanentium sit quidem *divinus intellectus* et *divina voluntas* (Cfr. hic § *I. pars*), sed non inquantum *divinus intellectus* et *divina voluntas* sunt aliquid **commune** tribus divinis Personis seu aliquid **absolute** considerati sicut § praec. ostendimus.

Ergo necessum est fateri, quod principium **quo proximum** *et* **immediatum** processionum realium Deo immanentium sit *divinus intellectus* et *divina voluntas* inquantum sunt proprietates **connotatae** a **speciali** proprietate **unius** aut **duarum** divinarum. Q. E. D.

66. **Corollarium VI.**m Ex praedictis ratio accipitur cur in mysterio S.mae Trinitatis, tametsi Filius et Spiritus Sanctus intelligant *aequaliter* ac Deus Pater, nihilominus **solus** Pater intelligendo emittit *Verbum* seu Filium: quia scilicet in *solo* Deo Patre invenitur divinus intellectus cum proprietate relativa *Paternitatis* seu **Primi Principii.** — Et similiter in eodem mysterio ratio reddi potest cur

licet Spiritus Sanctus velit et amet *aeque intense* ac Deus Pater et Deus Filius, attamen Spiritus Sanctus amando nullam aliam divinam Personam emittat a se. Hoc, inquam, contingit ex eo quod in Spiritu Sancto invenitur voluntas divina non ornata proprietatibus *Paternitatis* aut *Filiationis.*

67. **Petes 1.°** Qui fieri potest ut *eadem entitas divinae intellectionis,* exercita *a Deo Patre* parturiat Verbum quod est Dei Filius; dum *eadem divina intellectio,* inquantum exercita *a Dei Filio* et *a Spiritu Sancto,* nullum Verbum mentale intra Deum parturiat?

Respondeo hanc rem esse mysteriosam: potest tamen aliquo modo *congrue* declarari ex psichologia aristotelea. Recolendum est igitur, quod, quando intellectus intelligendo producit verbum mentale, habetur « eadem actione (*intellectiva*) **formari** et **intelligi** spe« ciem expressam (*seu verbum mentale*); sicut eadem actione imagi« nationis qua *formatur* phanthasma, *percipitur* obiectum in eo re« praesentatum. — Attamen quia actio illa *duo* habet *munera, duo* « sortitur nomina; (*nimirum*) quatenus format et exprimit ac quasi « dicit interius, obiectum, vocatur **dictio**; quatenus vero, illud di« cendo, intelligit ac percipit, vocatur **intellectio** » (Goudin, *Philos.,* IV. P. Phys., Disp. Un. Q. IV, art. 2, fin.).

Sed hic sedulo perpende quod **dictio** *intellectiva* verbi mentalis *non distinguitur* **realiter** ab ipsa **intellectione** qua producitur ipsum verbum mentale; sicut perperam Scotus (I. *Sent.* Dist. XXVII, Q. I) existimavit. Etenim, sicut scite arguit Caietanus (Com. in h. a.) contra Scotum, si **dictio** *intellectiva* verbi mentalis distingueretur **realiter** ab **intellectione** eiusdem verbi seu ab ipsa cognitione obiecti **expressi** in eodem verbo mentali, tunc **haec duo** possent saltem per Dei omnipotentiam absolutam *seorsim* inveniri; atque ita fieri, ut intellectus **dicat** intelligibiliter verbum absque eo quod **intelligat** obiectum expressum in tali verbo. Id quod plane repugnat. Tenendum est igitur quod *istae duae functiones* operationis intellectivae, videlicet **dictio** verbi mentalis et **intellectio** obiecti expressi in verbo mentali differant invicem **sola** *distinctione rationis.*

Licet autem *dictio intellectiva* non distinguatur realiter ab *intellectione,* quia, sicut dictum est, quicumque rem **intelligit,** hoc ipso **dicit** in verbo mentali id **quod finaliter** de ipsa re intellexit, nihilominus homo qui **nondum finaliter** rem intelligit, nondum producit

verbum mentale exprimens **complete** idealiter rem circa quam intelligendo versabatur. Et hoc modo contingit, quod in coelis Beati videant quidem **intuitive** Deum, attamen, quia propter debilitatem proprii intellectus non possunt **perfecte** ac **finaliter** intelligere **infinitam** Dei perfectionem, numquam **explere** poterunt cognitionem quam de Deo incoeperant, et sic numquam formare poterunt verbum mentale referens idealiter **totam infinitatem** divinae substantiae; quemadmodum late ostendimus supra Q. XII, art. 2.

A) His autem praemissis, recole ex doctrina Fidei Catholicae

α) **primo** quod in Deo **sola Trinitas** Personarum invenitur videlicet **unicus numero** Deus Pater, **unicus numero** Deus Filius, et **unicus numero** Deus Spiritus Sanctus.

β) **Secundo** memento, quod in Deo adest **unica numero** intellectio exercita **simul** a Deo Patre, a Deo Filio et a Deo Spiritu Sancto. — Item

γ) **tertio** memento quod in ipso Deo adest **unica numero** volitio **exercita simul** a Deo Patre, a Deo Filio et a Deo Spiritu Sancto.

B) Adverte praeterea quod **illa unica numero** divina intellectio

α) prouti **exercita** a Deo Patre parturit **unicum numero** Dei Verbum, seu **unicum numero** Dei Filium; quia secundum Fidem Catholicam Dei Verbum (Cfr. hic ad 2.m, et art. seq., o) est **unicus numero** Deus Filius (Cfr. *A*, α);

β) prouti **exercita** a Deo Filio non parturit **aliud numero** Dei Verbum quia **unicus numero** est Dei Filius (Cfr. *A*, α); ac tandem

γ) prouti **exercita** a Deo Spiritu Sancto non parturit **aliud numero** Dei Verbum, quia sicut dictum (Cfr. *A*, α) est, **unicus numero** est Dei Filius.

C) Similiter illa **unica numero** divina volitio (Cfr. *A*, γ),

α) prouti **exercita** a Deo Patre, **emittit Amorem** seu **Spiritum Sanctum:**

β) prouti **exerctia** a Deo Filio, **emittit eumdem** unicum numero **Amorem,** seu eumdem unicum numero **Spiritum Sanctum,** quia Spiritus Sanctus est **unicus numero** (Cfr. *A*, α):

γ) prouti **exercita** ab ipso Spiritu Sancto, **non emittit alium numero Amorem** seu **alium numero Spiritum Sanctum;** quia, sicut dictum est, secundum Fidem Catholicam **unicus numero** est **Spiritus Sanctus** (Cfr. *A*, α), sed illamet **unica numero** divina

volitio, prouti exercita a Spiritu Sancto, **terminat in** semetipsum tamquam in bonum amatum.

D) Quo modo explicavimus contingere ut **solus** Deus Pater intelligat *producendo* Verbum seu Dei Filium, pari modo explicatur qualiter in divinis **soli** Deus Pater ac Deus Filius, mutuo se amantes, **spirent active** Deum Spiritum Sanctum (Cfr. art. 5 h. q. ad 3.m et *QQ. Dispp.* Q. IV. *De Verit.* art. 2 ad 4.m et 5.m). — Ulterius

68. **Petes 2.°** *An fieri possit, ut intellectus* **Filii Dei** *producat seu emittat* **aliquod aliud Dei Verbum?**

Respondetur id esse impossibile. Etenim Dei Verbum, a mente Dei Patris exiens; utpote *essentialiter infinitus,* est terminus *adaequatus* intellectus divini et **exhauriens** totam scientiam Dei. Iamvero, intellectu et scientia divina *totaliter exhaustis* non datur in Deo locus producendi **aliud** Verbum mentale, sicut per se patet. Quia ergo **idem numero** intellectus Dei Patris est in Deo Filio, propterea, sicut intellectus in Deo Patre **post** productionem aeterni Verbi manet **exhaustus** nec potest **aliud numero** Dei Verbum producere; ita intellectus in Dei Filio, quum sit **numerice** idem cum intellectu Dei Patris, non potest **aliud numero** Dei Verbum producere. Hinc Ps. LXI, 12 dicitur **Semel** *locutus est Deus.*

α) Pari ratione ostenditur esse impossibile, quod Spiritus Sanctus *intelligendo* producat **aliquod aliud numero** Dei Verbum, et quod Ipse *amando* spiret **alium numero** Spiritum Sanctum (Cfr. infra Q. XXXVII, art. 1 ad 4.m).

69. Demonstrata exsistentia quarumdam realium processionum intra Deum, sequitur (Cfr. n. 20) ut earum numerum indicemus. Etenim Catholica Religio non numerum indefinitum processionum realium in Deo vigere praedicat, sicut fabulati olim fuere Gnostici per Aeonum progenies innumeras (Cfr. Bergier, *Diction. de théolog.*, v. Gnostiques); sed definite docet **intra** Deum realiter exsistere *tantum* duas reales processiones, *unam* ex parte divini intellectus et hanc nominat *Generationem* Filii Dei; *alteram* autem ex parte voluntatis divinae et hanc *prohibet Generationem* dicere, sed *Spirationem* Spiritus Sancti appellat. Quae doctrina Fidei manifeste *quinque* postulata includit.

α) *Primum* est: « Una processionum *realium,* in Deo immanen-« tium, egreditur ex parte *divini intellectus;* et per hanc oritur ὁ « λόγος τοῦ Θεοῦ ».

β) *Alterum:* « Processio ex parte divini intellectus egrediens, « est *vera Generatio,* sive habet characteres generationis *propriae* « substantiarum viventium; ideoque *Verbum divinae mentis* est *verus* « *Dei Filius* ».

γ) *Tertium:* « Altera processio *realis,* Deo immanens, egreditur « ex parte *divinae voluntatis* ».

δ) *Quartum:* « Et haec posterior processio nequit dici *Genera-* « *tio* quae est *propria* viventium ».

ε) *Quintum:* « Praeter has duas nulla alia processio *realis,* Deo « immanens, datur ».

70. Horum quinque capitum doctrinae Catholicae circa processiones divinas primum, videlicet

« *Una* processionum realium in Deo immanentium oritur « *ex par-* « *te divini intellectus,* et per hanc oritur *Dei Verbum* ».

Prob. *ex illo S. Ioannis* « In principio (*totius Deitatis* — Cfr. S. « August. Lib. IV, *De Trinit.* cap. 20) erat Verbum; et Verbum erat « APUD (*ideoque* realiter *distinctum a principio totius Deitatis*) Deum: « etc. » (Ioan. I, 1-2). Ecce Verbum Dei realiter exsistit in Deo. — Atqui Verbum oritur per processionem intellectualem (Cfr. n. 62). — Ergo in Deo realiter exsistit *processio intellectualis* per quam oritur *Dei Verbum.* Q. E. D. (Cfr. n. 37).

71. Convenientia huius dogmatis exposita, non remanent declaranda nisi alia quatuor (Cfr. n. 69) theoremata ad divinas processiones pertinentia: quod totidem distinctis articulis illustratur ab Angelico Doctore. Unde

ART. II. UTRUM ALIQUA PROCESSIO IN DIVINIS GENERATIO DICI POSSIT.

72. In titulo τὸ *processio* supponit exclusive pro processione *reali, formaliter* Deo immanente.

Ponitur vero ibidem particula syncategorematica « *aliqua* », quoniam inferius art. 4 h. q. ostendetur non omnem processionem *realem,* Deo *formaliter* immanentem, esse *Generationem* (Cfr. Nazarius, *Com.* in h. a.).

73. Deinde τὸ *possit dici* exponendum est *proprie* et *formaliter* seu synonime ad τὸ *cum omni proprietate et veritate* notionis Generationis; ita ut sensus articuli sit

Utrum *aliqua* processio realis, Deo immanens, possit cum omni proprietate et veritate vocari *Generatio ;* idest habeat omnes conditiones requisitas ad Generationem *proprie* dictam.

74. Sciendum est enim, quod τὸ *Generatio* sumitur quandoque in sensu *latissimo* sive *communiter,* quandoque vero *proprie.*

A) Generatio, *communiter* dicta, ea est quae se extendit « ad « omnia *generabilia* et *corruptibilia ;* et sic *Generatio* nihil aliud est « (*Cfr. V. Phys. cap. 1*) quam *Mutatio de non* esse *ad* esse » (Hic, o) *substantiale* (Cfr. Goudin, *Phys.* P. III. Q. I. art. 1) : sive est *origo corporeae substantiae ex* materia, transeunte ab *una* in *aliam* formam *substantialem ;* ex. gr. *origo cineris ex ligno,* quod comburitur, nominatur *Generatio, communiter* accepta, *cineris.*

α) Origo autem est inceptio unius entis ab alio ente (Cfr. infr. Q. XL, art. 2, o), unde exprimit « aliquid ab alio esse » (I. *Sent.,* Dist. XXIX, Q. I. art. 2, sol. 1.ª).

B) Generatio, *proprie* dicta, ea est quae invenitur in *solis* viventibus. « Et sic *Generatio* significat *originem alicuius viventis a « principio vivente coniuncto* (cum genito)... *secundum rationem simi- « litudinis in natura eiusdem speciei* » (Hic, o). Haec definitio colligitur ex Aristotele, qui Lib. VIII *Ethic.* cap. 12 dicit : *Genitum esse magis coniunctum cum generante, quam factum cum faciente ;* et Lib. VII. *Metaph.,* cap. 7, ait quod : *Genitum debet esse eiusdem naturae* (sive *essentiae specificae*) *cum generante* (Cfr. etiam Lib. III *De Anima,* text. 34).

In qua definitione τὸ *origo* stat loco *generis proximi:* reliqua autem verba tenent locum *differentiae ultimae,* separantis videlicet generationem *proprie* dictam a generatione *communiter* accepta.

α) In generatione, *proprie* dicta, terminus *qui* per eam oritur nominatur *Filius.*

β) Terminus « *a quo* » oritur Filius, nominatur *Pater.*

γ) Operatio demum per quam Filius oritur a Patre, vocatur *Genitura.*

75. Ut autem habeatur generatio *proprie* dicta, sex conditiones cumulative requiruntur, sive debent verificari.

1.ª CONDITIO est, ut terminus *qui* per generationem *proprie* dictam procedit, sit *substantia viva.* Si namque esset substantia anorganica seu *non vivens,* non haberet amplius locum nisi generatio *latissime* dicta : quod esset contra hypothesim de qua agimus. Unde *pi-*

tuita, sudor, lacrymae, et aliae *faeces* quae ex animalibus procedunt nequeunt dici *genitae* ab iis animalibus. Haec conditio innuitur per verba definitionis : « *Origo alicuius viventis* ».

II.ª CONDITIO est, ut ipse terminus *qui* per generationem *proprie* dictam oritur, *originem trahat* ab *alia substantia viva.*

Prob. Si namque substantia viva posset exoriri ex non viva, esset possibile, ut effectus esset nobilior propria causa effectrice : absurdum! Unde transformismus, quem post veteres materialistas et plerosque scholasticos renovavit Darwin, est omnino reiiciendus. Cfr. Zigliara, O. P., *Propaedeutica* etc. Lib. I, cap. 4, n. VII ; item Gredt, O. S. B., *Philos. Nat.* (edit. I), cap. II, thes. 21.ª

III.ª CONDITIO est, ut terminus *qui* per generationem *proprie* dictam oritur, trahat originem *per actionem vitalem exercitam* ab alia substantia viva. Defectu huius conditionis Eva nequit dici *proprie genita* ab Adamo, sive Adami filia ; quia non per actionem vitalem ab Adamo exercitam, sed per secationem costae ab eo passam divinitus, originem duxit ; quemadmodum Gen. II, 31 sqq. narratur (Cfr. infr. Q. XCII, art. 2 ad 3.m ; item Lib. IV *Cont. Gent.* cap. 23 *fin.*).

— Secunda et tertia conditio includuntur in citata definitione per verba « *A principio vivente* », videlicet tam a principio « *quod* » sive *supposito,* quam a principio « *quo proximo* », sive *actione,* ac utroque *vivo.*

IV.ª CONDITIO est, quod *substantia constitutiva geniti* sit desumpta *ex substantia generantis ;* ita ut si unus vivens oriretur ab alio vivente, sed non acciperet in sui propriam constitutionem physicam aliquam **saltem** portionem substantiae generantis, non posset dici *proprie genitus* ab isto. Propter hoc Adam nequit dici *proprie genitus* a Deo, nec *proprie* Filius Dei, quia Adam originem habuit a Deo per *creationem* non autem accipiendo ad sui physicam constitutionem nec **totam** nec **portionem** substantiae divinae (Cfr. Gen. 1, 27). Haec conditio innuitur per verba definitionis « *A principio vivente* « *coniuncto* » physice videlicet cum genito.

V.ª CONDITIO est, ut terminus qui gignitur habeat *naturam* (i. e. *essentiam*) *specifice* aut *numerice eamdem* cum natura specifica generantis. Necessitas huius conditionis apparet ex eo quod, illa deficiente, res, quae gignitur ex alia, nequit huius dici filia. Ita ex gr. *capillus* quamvis sit substantia viva, oriatur ex cute viva, per actionem quoque vitalem, nec non nutriatur ex succo cutis, tamen nequit

dici *filius cutis,* quia capillus vivit *vita* solum *vegetali,* et non *vita sensitiva* sicut cutis. Et similiter *vermes* qui nascuntur ex putrefactione carnis humanae, non sunt filii hominis; quia vermes **sola vita** *sensitiva* dum caro humana vivit *vita* specifice *humana:* deest videlicet identitas *essentiae specificae,* et sola identitas *essentiae generi-*
« *cae* viget inter vermes et carnem humanam. — Ista conditio includi-
tur in praecitata definitione per verba « *secundum rationem similitu-*
« *dinis in natura eiusdem speciei* » (Cfr. n. 74, *B*).

VI.ª CONDITIO est, ut is *qui generat* (i. e. Pater) et is *qui gignitur* (i. e. Filius) sint **duo Supposita** vel **duae Personae** *inter se* realiter *distinctae.* Equidem in generatione *Pater* se habet tamquam **dans** τὸ esse *Filio,* vicissim *Filius* se habet tamquam **accipiens** τὸ **esse** a *Patre.* Atqui non est possibile ut *idem* **secundum eamdem formalitatem** sit simul **dans** et **accipiens** *idem esse.* — Et ideo neces-
se est ut *Pater,* qua **Pater,** distinguatur realiter a *Filio* qua **Filio.** — Ista conditio in citata definitione includitur per verba « *originem*
« *alicuius viventis a principio vivente* » ; alicuius, videlicet *numero distincti* (Cfr. S. Thom. Lect. VI in Lib. VII *Metaph.*), nam τὸ *aliquis,* ex quo derivatur τὸ « alicuius », est **alius quis.**

76. **Scholium I.**m Quinta conditio, qua statuitur, quod in generatione, propria viventium, *Genitum debeat procedere secundum similitudinem in eadem natura sive essentia specifica cum Generante,* est intelligenda (sicut monuit ipse Aristoteles in cit. lib. *Metaphys.* cap. 8) de generationibus quae fiunt *secundum ordinem et inclinationem naturae.* « Contingit enim, quod *Genitum* non est eiusdem *natu-*
« *rae specificae* cum *Generante,* in generationibus monstruosis et
« quae fiunt praeter ordinem naturae, ut quando generatur mulus ex
« equo et asina » (Bannes, *Com.* in h. a. — Cfr. S. Th. Lect. VII. in Lib. VII. *Metaph.* et Q. III. *De Veitate* inter *QQ. Dispp.* art. 8 ad 4.um ; item Billuart, *Dissert. II De Trinit.* art. 5

A) Sciendum est ulterius, circa ortum viventium, quod quaedam accipiunt vitam transeundo *de potentialiter vivendo* ad *actualiter vivere,* prouti apparet in creaturis quae incipiunt vivere. Aliud vero vivens invenitur quod accepit *ab aeterno* ipsam vitam aeternam non transeundo de *potentia vivendi* ad *actu vivere;* prouti statim declarabimus circa Dei Filium. Est autem differentia inter duos hos modos nativitatis, quia « in viventibus quae de *potentia* in *actum* vitae pro-
« cedunt, sicut sunt homines et animalia, generatio horum viventium

« utramque *(Cfr. n. 74)* generationem includit. Si autem sit aliquod « vivens, cuius vita non exeat de *potentia* in *actum,* processio, si « qua in tali vivente invenitur, excludit omnino *primam rationem* ge- « nerationis (*quae scilicet est transitus de potentia ad actum vivendi)* « sed potest habere rationem generationis quae est *propria* viven- « tium ». (Hic, o).

77. **Scholium II.m** Definitio generationis *proprie* dictae, quam n. 74, *B,* dedimus, communis est inter scholae doctores: nonnulli tamen veteres (Cfr. inferius n. 115 et seqq.) eam modificare conati sunt, ducti hac argumentatione:

A) Natura (φύσις), aiunt, non significat essentiam vel substantiam *quidditative* seu *metaphysice* consideratam, sed significat essentiam vel substantiam prouti ornatam principiis operativis *propriis* illius substantiae.

B) Atqui principium operandi *proprium* sive characteristicum substantiae vivae, quae scilicet producere potest aliam sibi similem, est foecunditas *radicalis,* sive energia per quam unum vivum potest producere aliud vivum sibi simile.

C) Ergo, loquendo de substantia viva quae producit aliam sibi similem, τὸ *natura viva* significat essentiam sive substantiam vivam prouti ornatam foecunditate *radicali.*

D) Consequenter ex hoc ipso quod per generationem *proprie* dictam unum vivens ab alio vivente accipit **naturam** illi *specifice* similem, accipit ab eo substantiam vivam prouti ornatam modo operandi *proprio* sive *characteristico* illius viventis videlicet *radicali* foecunditate seu energia producendi aliud vivens sibi simile.

E) Inferunt propterea praenotati doctores, quod Generatio *proprie* dicta, debeat definiri vel exponi sic: « Origo unius viventis *X* « ab alio vivente *Y*, per quam originem vivens *X* accipit a vivente « *Y* non solum eamdem *specifice* essentiam, sed etiam eamdem foe- « cunditatem *radicalem* videlicet energiam capacem producendi aliud « vivens sibi *specifice* simile ».

F) *Argumentatio tamen istorum doctorum scatet erroribus ideoque est reiicienda.* Quod sic declaratur

α) Equidem « *natura* » non significat essentiam rei inquantum *ornatur propriis potentiis operativis,* sed essentiam rei *inquantum* est RADIX *propriarum potentiarum operativarum* (Cfr. vol. I. *De Deo*

Uno, n. 199) : unde propositio prima (*A*), ex qua praecitati doctores procedunt syllogizando, non est vera.

β) Deinde veteres illi doctores per *foecunditatem radicalem* non possunt designare nisi facultatem *generandi* aliud vivens *specifice* sibi simile, sicut contingit in animalibus et hominibus. Quare, ponendo loco « *foecunditatis radicalis* » sensum eius aequivalentem in propositione ultima (*E*), concludimus quod iuxta praedictos doctores, Generatio, *proprie* dicta, debeat definiri origo viventis *X* a vivente *Y,* per quam originem vivens *X* accipit a vivente *Y* non solum eamdem *specifice* essentiam, sed etiam facultatem *generandi* aliud vivens sibi simile : illatio patet. — Addo nunc hanc definitionem non posse sustineri in theologia catholica. Etenim origo secundae Personae S.mae Trinitatis a prima Persona est origo unius viventis ab alio vivente per quam originem illud ab isto accipit eamdem individuam essentiam Deitatis, sed non facultatem *generandi* aliud vivens sibi simile : quia in divinis *unicus* Filius invenitur. Ergo si definitio Generationis proposita a memoratis doctoribus esset vera, oporteret confiteri quod processio Verbi a Prima Persona S.mae Trinitatis non sit Generatio *proprie* dicta, et *perfecta.* Et consequenter oporteret confiteri, quod nec prima Persona Trinitatis haberet *perfectam* **paternitatem,** neque secunda Persona Trinitatis *perfectam* **filiationem.** Haec autem duo aliena sunt tum a ratione recta, quae nihil mancum et imperfectum in Deo agnoscere potest. Tum quoque aliena sunt a divina revelatione. Etenim Apostolus Ephes. III, 14-15 scribit : « Flecto genua mea ad Patrem D. N. I. C., ex quo *(i. e.* « *Deo Patre)* omnis paternitas (πᾶσα πατριὰ) in coelis et in terra nominatur» : quasi dicat, quod divina Paternitas sit EXEMPLAR PERFECTISSIMUM omnis alterius *paternitatis.* Et ipsemet Apostolus vocat Dei Verbum PRIMOGENITUM *in multis fratribus* (Rom. VIII, 29) vel PRIMOGENITUM *omnis creaturae* (Col. 1, 15 — Cfr. Heb. 1, 6) : *primogenitus* autem habet ex necessitate indolem *perfectae filiationis.* — Et ex his omnibus patet, qualiter notio generationis *proprie* dictae, quam exhibuerunt memorati doctores, reiicienda sit tamquam falsam et Fidei Christi non consona.

78. Titulo articuli exposito, notandum est circa eius obiectum exstitisse varios errores.

A) Gnostici etenim, modo emanatistico divinas processiones interpretantes, docuerunt Dei Verbum a Deo Patre processisse, por-

tionem divinae substantiae ab Ipso accipiendo ; eo ferme modo, quo ex Adamo processit Abel, et ex aranea bombyx. Sed horum error manifestam habet absurditatem.

B) Arius similiter negavit aliquam divinarum processionum habere indolem Generationis *propriae* viventium. Etenim nulla creatura potest dici *proprie* Dei Filia, ob defectum quintae conditionis requisitae ad Generationem *propriam* viventium (Cfr. n. 75) : consequenter nullius creaturae a Deo processio est Generatio *proprie* dicta viventis. — Sed iuxta Arii impietatem tam Filius Dei quam Spiritus Sanctus sunt duae creaturae. — Ergo secundum Arium nulla divina processio est Generatio *proprie* dicta.

C) Sabellius denique, retinendo in Deo unicam exsistere realem Personam quae *trifariam* se manifestat in mundo, negavit consequenter *veram dualitatem Personarum* vigere inter Deum Patrem et Dei Verbum. — Atqui ad Generationem *proprie* dictam requiritur ut terminus qui gignitur distinguatur suppositaliter seu personaliter a Generante (Cfr. n. 75). — Et ideo Sabellius non potuit veraciter profiteri processionem Verbi a Deo Patre habere indolem generationis *proprie* viventium.

79. Contra hos errores pono seqq. concll.

Conclusio I. *Nulla processionum realium, Deo formaliter immanentium, potest habere rationem generationis* **communiter** *dictae.*

Nota. Propositio haec nonnisi cum periculo haereseos potest impugnari.

Prob. *Ratione theologica.* Generatio, *communiter* accepta, est mutatio substantiae corporeae de *una* in *aliam* formam substantialem (Cfr. n. 74, *A*). Unde terminus «*qui*» per generationen *communiter* dictam procedit, est semper substantia aliqua corporalis. — Atqui terminus «*qui*» a Deo procedit per processionem realem, Deo *formaliter* immanentem (quoniam manet semper *intime* in ipso Deo) non potest esse realitas aliqua corporea (Cfr. Q. III, artt. 1, 2 et 5). — Et ideo nulla processionum realium, Deo *formaliter* immanentium, potest habere rationem Generationis *communiter* dictae. Q. E. D. (Cfr. hic o, et ad 1.m).

80. **Conclusio II.** *Processio Verbi, quae attenditur ex parte divini intellectus, habet indolem Generationis* **propriae** *viventium.*

Nota. Pertinet ad Fidem Catholicam.

Prob. 1.° *Argumentis Biblicis. A*) Verbum, procedens e divina

mente, est ipsa Dei Sapientia. — Atqui in S. Scriptura Dei Sapientia appellatur CONCEPTA vel PARTURITA a Deo: iuxta illud «Nondum erant «abyssi et Ego *(Dei Sapientia)* iam CONCEPTA eram *(a Deo videli-«cet)*... Ante colles Ego PARTURIEBAR *(a mente Dei scilicet)*» (Prov. VIII, 24, 25). — Ergo Verbum, a divina mente procedens, est realitas CONCEPTA, vel PARTURITA, ab ipso Deo. Seu, invertendo sermonem, habemus, quod processio Verbi Dei habet indolem *conceptionis* et *parturitionis*. Modo *conceptio* et *parturitio* sunt functiones *Generationis* propriae *viventium*. Ergo processio Verbi Dei habet indolem Generationis *propriae* viventium (Cfr. hic ad 2.m).

B) Praeterea terminus «*qui*», per Generationem *propriam* viventium procedens, nominatur *Filius*. — Atqui Dei Verbum nominatur in S. Scriptura *Filius*, vel *Unigenitus, Dei Patris*. — Ergo processio Verbi Dei habet indolem generationis *propriae* viventium. — Probo min. In evangelio S. Ioannis cap. I, v. 18 legimus: «Deum nemo «vidit unquam. *Unigenitus Filius* qui est in sinu Patris, Ipse enar-«ravit» nobis scilicet mysteria gratiae et veritatis divinae. Ecce illud, quod est *in sinu* (εἰς τὸν κόλπον) Dei Patris, i. e. in sinu divini intellectus, nominatur *Filius Dei unigenitus* (ὁ μονογενὴς υἱός) (Cfr. I. Ioan. IV, 15 et V, 20; item Matth. III, 17). — Atqui in sinu divini intellectus non adest nisi *Dei Verbum*. Ergo *Dei Verbum* nominatur in S. Scriptura *Filius Dei Unigenitus* (Cfr. hic *Sed. Cont.*).

2.° *Ex auctoritate Ecclesiae* proponitur sequens argumentum. Filius *proprie* dictus procedit per Generationem *propriam* viventium; constat. — Atqui universa Fidei Catholicae symbola agnoscunt Dei Verbum tamquam Dei Filium *proprie* dictum. — Ergo universa Fidei Christianae symbola agnoscunt processionem Verbi Dei tamquam Generationem *propriam* viventium. — Prob. min. Equidem filius, *proprie* dictus, is est qui procedit tamquam vivens eiusdem specificae substantiae cum suo patre (Cfr. n. 76). — Atqui post Conc. Nicaenum I omnia Fidei Christianae symbola continent hunc articulum: «*Credimus in... Iesum Christum, Filium Dei,* natum *ex Patre* unige-«nitum... natum non factum (γεννηθέντα οὐ ποιηθέντα), *consubstantia-«lem cum Patre* etc.» (*Enchir.*, n. 54), agnoscunt videlicet Dei Verbum, tamquam *genitum a Deo Patre,* huicque *consubstantiale*. — Ergo omnia Fidei Christianae symbola agnoscunt Dei Verbum, tamquam Dei Filium *proprie* dictum. Cfr. *Catechis. Roman.* P. I. De Secundo symboli articulo, nn. 8-9.

3.° *Ratione theologica.* Processio Verbi ab intellectu divino continet omnes sex (Cfr. n. 75) conditiones generationis, *propriae* viventium. Ergo huius generationis propriam indolem habet. — Illatio patet, Prob. antec. Revera processio Verbi intelligibilis ab intellectu Dei Patris possidet

α) **primam conditionem** generationis *proprie* dictae, quod scilicet terminus « *qui* » huius processionis, nimirum Dei Verbum, sit *substantia viva.* Etenim Dei Verbum, utpote manens in divino intellectu, est Deus, ideoque substantia viva. Unde Christus ait: « Si-« cut *(Deus) Pater* habet *vitam* in semetipso, sic dedit et *Filio* habe-« re *vitam* in semetipso » (Ioan. V, 26).

β) Possidet etiam processio Verbi Dei **secundam conditionem,** quod scilicet Dei Verbum originem ducat a *substantia viva.* Etenim Deus intelligens, a quo Dei Verbum procedit, est substantia vivens (Cfr. Ioan. I, 18).

γ) Adhuc Dei Verbi processio possidet **tertiam conditionem,** quod scilicet Verbum Dei exoriatur per *actionem vitalem.* Etenim intellectio divina, per quam Dei Verbum emittitur, est actio vitalis.

δ) Processio eadem divini Verbi possidet **quartam conditionem** quod scilicet substantia **constitutiva** Verbi Dei sit accepta *de substantia* Dei Patris. — In Deo siquidem nulla compositio invenitur. Unde *substantia* constitutiva Verbi Dei, oportet, quod sit **identica realiter** cum *substantia* Dei Patris. Unde Christus, de sua divina Persona loquens, ait: « Ego et Pater **unum** sumus » (Ioan. X, 30).

ε) item eadem processio divini Verbi possidet **quintam conditionem,** quod scilicet Dei Verbum *conveniat in* **natura specifica** cum Deo Patre. Imo ista convenientia est summa, quoniam est *realis identitas* inter *substantiam* Verbi Dei et *substantiam* Dei Patris, quia *Patris, Filii ac Spiritus Sancti una est divinitas,* sicut in symbolo pseudo Athanasii legimus (Cfr. hic ad 2.m).

ζ) denique eadem processio possidet **sextam conditionem,** quod scilicet adsit *realis distinctio* inter Dei Verbum et Deum Patrem eructantem illud Verbum. Etenim inter *principium* et *principiatum* adest quaedam *distinctio realis,* **saltem** quantum ad *relationes;* sicut ex terminis patet. — Modo Dei Verbum se habet ad Deum Patrem, sicut *principiatum* ad suum *principium.* — Ergo etc. (Cfr. hic, o).

81. **Obiic. 1.°** *Loquimur de Deo* analogice *ad creaturam inte-*

llectualem. Atqui in nobis processio Verbi mentalis non est Generatio **propria** *viventis. Ergo nec in Deo.*

R. Concedo mai. Concedo min. Nego consequens et consequentiam: et dico *analogiam* inter intellectum divinum et intellectum humanum non se extendere quantum ad *omnes* proprietates utriusque intellectus: secus non simplex analogia seu *proportio*, sed identitas perfecta inter eos vigeret. Unde, quemadmodum ex eo quod sedile est *proportionatum* sedenti, minime sequitur quod attributa quae non conveniunt sedili, non possint competere sedenti: ita, ex eo quod *analogia* adest inter intellectum divinum et intellectum humanum, minime sequitur, quod emanatio Verbi ab intellectu divino non sit *generatio* vitalis eo quod homologa emanatio verbi intelligibilis ex nostro intellectu non habeat indolem generationis *propriae* viventium.

Causa vero propter quam verbum emissum a nostro intellectu nequeat nominari filius mentis intelligentis, est defectus *primae, secundae* et *quartae* conditionum quae necessario requiruntur ad hoc ut processio verbi sit generatio *propria* viventium (Cfr. n. 75); dum omnes sex conditiones ibidem indicatae conveniant adamussim processioni Verbi emissi a Deo Patre (Cfr. n. praec.). « Intelligere, in« quit S. Thomas hic ad 2.m, in nobis non est ipsa substantia intel« lectus. Unde *verbum* quod secundum intelligibilem operationem « procedit in nobis, non est eiusdem naturae cum eo a quo proce« dit: unde non proprie et complete competit sibi ratio generationis « *(propriae viventium)*. — Sed intelligere divinum est *(realiter identi« cum cum)* ipsa substantia *(Dei)* intelligentis, ut supra Q. XIV, « art. 4 ostensum est. Unde *Verbum (in Deo)* procedens procedit ut « eiusdem naturae subsistens; et propterea hoc proprie dicitur *Ge« nitum* et *Filius*. — Unde et his *(nominibus)*, quae pertinent ad Ge« nerationem *(propriam)* viventium, utitur Scriptura ad significandam « processionem divinae Sapientiae, scilicet **conceptione** et **partu**; « dicitur enim ex persona divinae Sapientiae (Prov. VIII, 24-25) *Non« dum erant abyssi, et Ego iam* **concepta** *eram... Ante colles Ego* « **parturiebar.** Sed in intellectu nostro utimur nomine **conceptionis,** « secundum quod in verbo nostri intellectus invenitur similitudo rei « intellectae, licet non inveniatur naturae identitas », sicut expositum est.

82. **Obiic. 2.°** *Similitudo exigit* **semper** distinctionem realem

inter naturas *rerum similium. — Atqui Fides catholica non agnoscit* realem distinctionem *inter* naturam *Verbi Dei, et* naturam *Dei Patris. — Ergo inter Verbum Dei et Deum Patrem non viget* similitudo secundum eamdem naturam specificam.

R. Dist. mai. *Similitudo* quae viget in creaturis, *exigit* etc.: *Concedo;* quae viget in divinis, *exigit* etc.: *Nego.* — Concedo min. Nego consequens et consequentiam; et me explico, animadvertendo, quod, quum in hac vita ex creaturis analogice divina contemplemur, non eodem modo est accipienda similitudo in divinis et in creaturis, sed solummodo analogice. — Iamvero similitudo est convenientia plurium in eadem forma sive qualitate. Unde ad essentiam eius duo pertinet, videlicet quaedam *pluralitas numerica* in rebus quae dicuntur similes, et quaedam *unitas* formae sive essentiae *vigens* in eisdem rebus similibus. Et utrumque elementum, requisitum ad similitudinem, locum habet in divinis Personis. Etenim tres divinae Personae distinguuntur inter se realiter per *formalites relativas,* sicut inferius patebit: simul autem conveniunt realiter in *eadem unitate deitatis* quae communis est tribus divinis Personis. Unde perfecta viget similitudo quantum ad naturam inter Deum Patrem et Dei Verbum (Cfr. Grandi, *Com.* in h. a. *Dub. 2.°* arg. 2.m).

83. **Obiic. 3.°** *Omne* acceptum *est* receptum. *Sed omnis Filius habet* proprium *esse* **acceptum** *a Patre. Ergo omnis Filius habet* proprium *esse* **receptum** *a Patre. — Atqui nulla Persona divina habet* proprium *esse* **receptum** *ab alio, secus esset realitas* essentialiter *finita* (Cfr. Vol. I. *De Deo Uno,* n. 374). *Ergo nulla Persona divina potest esse vere Dei Filius.*

R. Nego mai. — Concedo *primam* min. — Nego *primum* conseq. — Concedo *secundam* min. Nego *ultimum* consequens et dico quod propositio maior est omnino falsa. Quamvis enim omne esse **receptum** in subiecto, utpote pars alicuius compositi, sit esse **acceptum** ab alio, et non possit esse realitas per se *complete* atque *perfecte* subsistens: tamen « non omne **acceptum** *(ab alio)* est **re-** « **ceptum** *(in subiecto):* alioquin non posset dici quod *tota* substan- « tia rei creatae sit **accepta** a Deo, cum *totius* substantiae *(utpote* « *rei* complete *subsistentis)* non sit aliquod subiectum **receptivum.** « — (*Consequenter* τὸ esse acceptum ab alio *potest esse* ipsum esse « per se subsistens). — Sic igitur id, quod est Genitum in divinis, « **accipit** *(proprium)* esse a Generante, non tamquam illud esse sit

« **receptum** in aliqua materia vel subiecto (quod repugnat subsisten-« tiae divini esse): sed secundum hoc dicitur *(habere)* esse **acceptum** « *(ab alio),* inquantum procedens ab alio *(in divinis)* habet *(ipsum)* « esse divinum, non quasi aliud ab esse divino exsistens. In ipsa « enim perfectione divini esse continetur et Verbum intelligibiliter « procedens, et Principium Verbi, sicut et quaecumque ad eius per-« fectionem pertinent; ut supra Q. IV, art. 2 et Q. XIV, art. 4 di-« ctum est » (Hic ad 3.m). Breviter ergo respondeo dicendum, quod « licet nullum esse *receptum in aliquo* subiecto sit esse subsistens, « ut arguitur in littera, tamen esse *receptum ab alio* **tantum,** potest « esse subsistens. Ex littera ergo dic, quod (si vis fiat in vocabulis) « Filius Dei habet esse acceptum, non autem esse receptum. Sic « enim esse *per se subsistens* et esse *receptum* contraponuntur: esse « vero *per se subsistens* et esse *acceptum* possunt stare simul » (P. Seraph. Capponi a Porrecta, *Elucid.* in h. a). Unde nihil detrahitur divinitati Verbi Dei per hoc quod ponimus illud accipere esse a Deo Patre, huiusque esse verum Filium.

84. **Inferes.** 1.° Ergo Verbum Dei, cum sit verus Dei Filius non est creatura aliqua, sed est *consubstantialis Deo Patri,* ὁμοούσιον τῷ πατρί, ut in Nicaena I, et Constantinopolitana I Synodo fuit definitum contra Arianorum perfidiam (Cfr. *Enchir.* nn. 54 et 86).

—Hanc consubstantialitatem sui cum Patre, Christus innuit, dicendo (Ioan. X, 30): « Ego et Pater unum sumus ». Quae verba exponens Augustinus, Serm. LVI *De verbis Domini* scribit: « Quod « *(Christus)* ait **unum,** audiant Ariani; quod ait **sumus,** audiant Sa-« belliani: et nec illi aequalem, nec isti, alterum negando, sin « vani ».

S. Athanasius quoque in Epistola *De Decret. Nicaenae Synodi,* circa an. 350, sub n. 20 scribit: « Cum Filii ex Patre generatio alia « plane sit a natura hominis... idcirco synodus, ea re perspecta, « Eum esse CONSUBSTANCIALEM (*cum Deo Patre*) recte scripsit; ut et « haereticorum perversitatem everteret, et Verbum aliud a factis « rebus esse ostenderet ». Et inferius n. 30 scribit: « Verbum et « Imago Patris et eidem CONSUBTANCIALE est » (Rouet de Iournel, *Enchir. PP.,* nn. 755 et 758).

Similia scribit S. Fulgentius *De Trinitate,* n. 4 (Ibid., n. 2251) Lege, si vis, Petavium Lib. IV *De Trinit.,* cap 5, et Eusebium Caesariensem Lib. VII *Hist. Eccles.,* capp. 26-36.

2.° « Quia... intellectus divinus non exit de potentia in actum « sed semper est (*in*) actu exsistens..., ex necessitate oportet, quod « semper seipsum intellexerit. Ex hoc autem quod seipsum intelligit « oportet quod Verbum ipsius in Ipso sit, ut ostensum est. Necesse « est igitur *semper Verbum Eius in Deo exstitisse.* Est igitur *co-* « *aeternum* Deo Verbum Ipsius ; nec accedit Ei ex tempore, sicut « intellectui nostro accedit ex tempore verbum interius conceptum ; « quod est intentio intellecta (*Cfr. n. 62*). Hinc est, quod dicitur « (Ioan. I, 1) *In principio erat Verbum* » (Lib. IV. *Contra Gentes,* cap. 11).

3.° Per hanc veritatem excluditur error illorum qui « opinantes « Iesum Christum purum hominem esse, et ex Maria Virgine initium « sumpsisse, et per beatae vitae meritum divinitatis honorem prae « coeteris fuisse adeptum, existimaverunt Eum similiter aliis homi- « nibus *per adoptionis spiritum* Dei Filium (*dici*), et per *gratiam* ab « Eo genitum, et per *quamdam assimilationem* ad Deum in Scriptu- « ris dici Deum, non per *naturam*, sed per consortium quoddam « divinae bonitatis ; sicut et de Sanctis dicitur (II Pet. I, 4) *Ut effi-* « *ciamini divinae consortes naturae, fugientes eius quae in mundo* « *est concupiscentiae corruptionem*... Hanc autem positionem primo « adinvenerunt quidam antiqui haeretici, Cerinthus et Ebion, quam « postea Paulus Samosatenus instauravit ; et (*quae*) postea a Pho- « tino est confirmata (*ita*), ut qui haec dogmatizant, photiniani nun- « cupentur » (Lib. IV. *Cont. Gent.,* cap. 4).

4.° Relativa sunt simul natura et cognitione, sicut philosophi post Aristotelem docent. Filius vero dicitur relative ad Patrem. Sicut ergo in divinis adest is qui dicitur verus Dei Filius, ita oportet ut in divinis exsistat verus Deus Pater. Sed de hac veritate plenius erit sermo Q. seq. art. 4.

Omnia quae intulimus, paucis complexus est S. Athanasius in epistola *De Decretis Synodi Nicaenae,* n. 20, scribens: « Cum Filii « (*Dei*) ex (*Deo*) Patre generatio alia plane sit a natura hominum ; « nec solum similis ille sit substantiae Patris sed dividi ab ea non « queat, cum item unum Ipse et Pater sint, ut idem dixit (Ioan. X, « 30) ; semperque Verbum sit in Patre et Pater in Verbo, eo modo « quo splendor se habet ad lucem (id enim dictio ipsa significat) : « idcirco Synodus (*Nicaena*), ea re perspecta, Eum esse consubstan- « cialem recte scripsit, ut et haereticorum perversitatem everteret,

« et Verbum aliud a factis rebus esse ostenderet » (Cfr. *Enchir. PP.*, n. 755).

85. Constituto quod ex parte divini intellectus exsistat processio realis Verbi, quaeque iure Generatio *viva* Filii Dei nominatur (Cfr. n. 80), succedit (Cfr. n. 69) quaestio

ART. III. UTRUM IN DIVINIS SIT ALIA PROCESSIO A GENERATIONE VERBI.

86. Secundum annotata art. 1 h. q. particulae « *sit in divinis* », quae in titulo inveniuntur, debent interpretari synonime ad τὸ *exsistat* formaliter *et* intime *in his quae sunt essentialiter Deus*. « Et eodem modo est intelligendum in singulis istius quaestionis articulis, ne oporteat idem pluries repetere » (Caiet. *Com.* in h. a.).

Item τὸ *alia*, positum in eodem titulo, debet interpretari de *alietate* quae ponat *distinctionem realem* inter plura (Cfr. Caiet. ibid.)

Sub nomine « *processio* » denique hic designatur processio realis Deo immanens, de qua loquuti sumus in art. praec. (Cfr. Nazarium, *Com.* in. h. a.).

Quare sensus quaesiti in h. a. est iste :

Utrum intime in his, quae sunt essentialiter *verus Deus, exsistat* formaliter *aliqua* realis processio, Deoque immanens, *distincta* realiter a *Generatione* Verbi ?

87. Ad cuius quaesiti completam solutionem quatuor seorsum declaranda sunt, videlicet

1.° *An in Deo exsistant* formaliter *duae processiones reales et immanentes*, idest Processio *Verbi* et *quaedam alia ?* (Cfr. n. 93).

2.° *Quisnam sit terminus productus in Deo per hanc aliam processionem ?* (Cfr. n. 98).

3.° *Utrum in Deo* processio *Verbi et* processio *Amoris* distinguantur *realiter inter se ?* (Cfr. n. 101).

4.° *An termini aerumdem* processionum distinguantur *inter se realiter ?* (Cfr. n. 103).

88. Et ut facilius solutio procedat, praenoto

1.° In substantia *pure* spirituali ex. gr. anima intellectiva, vel angelo, duas solas facultates ornatas operationibus immanentibus (Cfr. n. 34) inveniri, videlicet *intellectum* et *voluntatem*.

α) Ab *intellectu* procedit operatio immanens, quae vocatur *intellectio*.

β) A *voluntate* vero procedit operatio immanens, quae vocatur *volitio* sive *Amor* (Cfr. hic, o).

2.° nota (Cfr. n. 51, 2.° *B*) quod *nulla* operatio, praesertim si fuerit *completa* et *connaturalis agenti,* potest esse omnino *infructuosa* et *sterilis,* sed semper aliquem *fructum* sive *realem terminum* producit. Modo intellectio et volitio sunt operationes, substantiae pure spirituali quammaxime connaturales. Et ideo tam ab intellectione quam a volitione, praesertim quando sunt operationes completae, procedit *semper* terminus realis aliquis attemperatus indoli operationis a qua procedit. — Constat autem ex artt. praecc., quod

α) in creatura intellectuali ab intellectione procedat, tamquam proprius fructus, *terminus realis,* qui dicitur *Verbum mentale.* Ergo et

β) in eadem creatura intellectuali a volitione procedit, tamquam proprius fructus, *terminus realis qui* dicitur *Actualis* tendentia, *aut* inhaesio, *voluntatis in rem cognitam tamquam sibi bonam* (Cfr. hic, o et ad 1.m). « Sicut enim ex hoc quod aliquis rem aliquam intelli- « git, provenit quaedam intellectualis conceptio rei intellectae in « intelligente, quae dicitur verbum (*mentis*), ita ex hoc quod aliquis « rem aliquam amat, provenit quaedam impressio (ut ita loquar) rei « amatae in affectu amantis, secundum quam (*impressionem*) amatum « dicitur esse in amante sicut et (*verbum*) intellectum (*ponitur*) in « intelligente » (Infra Q. XXXVII, art. 1, o).

— Quae veritas confirmari potest per reflexionem psychologicam super actum amoris exerciti a nostra voluntate. Etenim quoties nostra voluntas rem aliquam amat, duo phaenomena in nobis verificantur. *Primum* est, quod actus ille amoris movet *intellectum nostrum* ad penitius considerandum perfectiones rei amatae; atque ulterius movet *nostram voluntatem* ad desiderandum, vel capiendum, vel retinendum bonum rei amatae. Unde illud Augustini: « Pondus « meum, amor meus: amore feror, quocumque feror » (Lib. XIII *Confes.*, cap. 9). *Alterum* phaenomenon quod verificatur est, quod, durante actu amoris, *in nobis viget vivida quaedam impressio rei amatae,* vi cuius impressionis noster intellectus *iucunde moratur* in perscrutando perfectionis rei amatae quam praesentialiter sub propria consideratione habet; et vicissim nostra voluntas *alas proprii affectus sic colligatas* habet *cum bonitate rei amatae* ut vel desideret realiter talem rem bonam possidere, vel tenaciter in illius *possessione quiescat* (Cfr. P. I-II, Q. XXVIII, art. 2, o, et ad 1.m). — Et hoc modo

manifestum redditur qualiter *per amorem bonum amatum manet in amante,* invenitur videlicet intra considerationem intellectus personae amantis nec non intra alas affectuum eiusdem personae amantis; atque vicissim *amans per amorem manet in bono amato,* inquantum scilicet per actum amoris tota consideratio intellectus personae amantis, atque totus affectus voluntatis eiusdem personae amantis inveniuntur possessi, occupati, et quasi conclusi intra perfectiones boni amati. Hinc illud I. Ioan. IV, 16: « Deus Charitas (ἀγάπη = *Amor*) est, et qui manet in Charitate (*i. e. Amore Dei*), in Deo manet, et Deus in eo ». Et haec mutua tendentia, aut inhaesio, inter voluntatem amantem, et bonum amatum est *terminus qui* per *actum Amoris* procedit intra voluntatem amantis.

Et secundum quod crescit ista inhaesio amantis cum amato, secundum hoc contingit ut persona amans patiatur raptum aut ecstasim erga bonum amatum, quemadmodum in mystica theologia docetur (Cfr. Capreolum *Com.* in I. *Sent.*, Dist. X, art. 2 et Dist. XXVII, q. 2.; item Caiet., Bannes, Sylvium, et Nazarium, *Com.* in h. a.; item Ferrariensem, *Com.* in Lib. IV. *Cont. Gent.,* cap. 19, et veteres Philosophos Scholasticos).

89. **Scholium.** Facile animadvertitur, quod inhaesio amantis in bono amato

quandoque est *actualis et in re;* et hoc contingit in amore, qui dicitur *Gaudium* vel *Delectatio,* quando scilicet bonum amatum *possidetur realiter* atque *pacifice* ab amante;

quandoque vero est *virtualis et in spe,* sicut contingit in amore qui dicitur *Desiderium,* quando scilicet amans *tendit actualiter* ad capiendum et posssidendum bonum a se absens.

90. **Corollarium I.**m Quoniam nos theologizamus de Angelis per analogiam ad perfectiones quae vigent in anima rationali, ideo generalizando perfectiones quae inveniuntur in parte superiore nostrae animae concludimus, quod in omni creatura intellectuali ex hoc ipso quod illi insunt naturaliter *facultas,* seu potentia operativa, *intellectus* et potentia operativa *voluntatis,* debeant quoque ex necessitate inveniri in ea

α) duas operationes reales et fructuosas, videlicet *intellectionem,* et *volitionem* sive *amorem;* et consequenter (Cfr. nn. 26 et 34) duas processiones reales, et immanentes in eadem substantia pure spirituali, videlicet

β) procesionem τοῦ λόγου, qui est terminus productus ab *intellectione,* et manens in intellectu exercente intellectionem ; et

γ) processionem *inhaesionis amantis cum obiecto amato,* quaeque inhaesio est terminus productus (Cfr. n. 88, 2.°, β) ab *actu amoris,* et manens in affectu eiusdem voluntatis amorem exercentis.

91. Praenoto ulterius, quod *conditio sine qua non* alicuius phaenomeni debet ex necessitate exsistere prius *prioritate ordinis* quam exsistat phaenomenon ipsum: aliis verbis *conditio sine qua non* alicuius phaenomeni est prior, *prioritate ordinis,* quam ipsum phaenomenon. — Atqui *cognitio* rei tamquam bonae est *conditio sine qua non* excitatur in voluntate *amor* illius rei bonae : quia nihil volitum quin praecognitum. — Et ideo in substantiis spiritualibus

α intellectio *rei* tamquam *bonae*

est prior *prioritate ordinis* quam

β) amor illius *rei praecognitae tamquam bonae.*

A) Sed n. praec. ostendimus quod in substantiis intellectualibus tam ex parte intellectionis quam ex parte volitionis attenditur processio aliqua realis, immanens in propria facultate a qua procedit. Item demonstravimus n. 36, quod processio realis attemperatur indoli operationis quam indisolubiliter comitatur. Et ideo, sicut in substantiis spiritualibus cognitio est *prior* prioritate ordinis *quam* volitio sive amor, ita in eisdem substantiis spiritualibus.

γ) processio *Verbi* ex parte intellectus intelligentis rem tamquam sibi bonam

est *prior* prioritate ordinis *quam*

δ) processio *Amoris* illius rei bonae ex parte voluntatis amantis, sive inhaerentis tali rei tamquam bonae (Cfr. hic ad 3.m).

92. **Corollarium II.**m Non potest *prioritas ordinis* extare inter *entia physica,* nisi inter ista vigeat *realis distinctio. Idem* namque *unum, manens idem,* non potest esse *semetipso* prior aut posterior quantum ad *ordinem:* constat. Unde quia, sicut dictum est n. praec., in substantiis spiritualibus processio *Verbi intelligibilis* est **prior ordine** quam processio *Amoris* ex parte voluntatis, ex necessitate sequitur, ut in substantiis spiritualibus processio *Verbi intelligibilis* distinguatur *realiter* a processione *Amoris* (Cfr. hic *Sed Cont.* et ad 3.m ; item Caiet. et Bannes *Com.* in h. a.).

93. His constitutis, ad solutionem Q. I. (Cfr. n. 87) deveniendo, animadverto exsistentiam alicuius processionis realis, Deo immanen-

tis atque distinctae realiter a processione Verbi Dei, fuisse impugnatam specialiter a Sabellianis (Cfr. n. 13, *B*) et Socinianis, qui omnes profitentur Spiritum Sanctum non distingui *realiter,* sed **solum** *modaliter,* ab aliis duabus Personis S.mae Trinitatis (Cfr. *Catechis. Racoviensem,* QQ. 237 et 271 ; item *Instit. Relig. Christ. Socin.* c. 2).

Idem cum Sabellianis et Socinianis sentiunt nonnulli Rationalistae, praesertim teutonici, profitendo Spiritum Sanctum non esse personam aliquam divinam, sed solummodo quamdam Dei virtutem, sive energiam per quam Deus creaturam intellectualem sanctificat vel ad bonum operandum movet (Cfr. Knoll, *Instit. theol. Dogm.,* Vol. I, P. I, Sect. II, § 66 ; item Paquet, *Com.* in h. a.).

Adversus istos haereticos ponitur

94. **Conclusio I.** *In Deo* **formaliter** *exsistunt duae processiones reales et immanentes, videlicet* **processio** *Verbi intelligibilis et* **processio** *Amoris Dei, sive Spiritus Sancti.*

Nota. Est veritas dogmatica.

Prob. 1.° *Argumento Biblico.* Sicut notavimus n. 36, processio attemperatur indoli operationis quam indissolubiliter comitatur. Unde sicut operationes, ita processiones, accipiunt unitatem individualem sive numericam ex unitate numerica terminorum ad quos ordinem essentialem dicunt : ita ut, si termini aliquarum processionum sint ad invicem *numero* distincti, ex necessitate etiam processiones, quae ad illos terminos essentialem ordinem dicunt, sunt ad invicem *numero* distinctae. — Atqui

— 1.° in divinis exsistunt *formaliter* Verbum et Spiritus Paracletus tamquam *termini* processionum, Deo immanentium : nam ipsum Verbum, caro factum, ait de seipso : « *Ego ex Deo* **processi** » (Ioan. VIII, 42). — Et similiter Spiritus Paracletus ponitur *terminus* divinae processionis : nam Christus Ioan. XV, 26 ait ad suos discipulos : « *Quum venerit* **Paracletus,** *quem Ego mittam vobis a Pa-* « *tre, Spiritum Veritatis, qui a Patre* **procedit,** *ille testimonium per-* « *hibebit de me* ». Item

— 2.° in divinis *Verbum* et *Paracletus Spiritus Sanctus* se habent tamquam *termini ad invicem* numero *distincti.* Et hoc patet tum ex eo quod Spiritus Paracletus **mittitur** a Dei Filio sive Verbo ; nemo vero **mittit,** proprie loquendo, seipsum: tum ex eo quod Christus ad discipulos ait: «**Ego** *rogabo Patrem, et* **alium Para-**

« **cletum** (ἄλλον Παράκλητον) *dabit vobis ut maneat vobiscum in* « *aeternum, etc.*» (Ioan. XIV, 16). «Hoc autem nomen **alius,** mascu- « line sumptum, non importat nisi *distinctionem suppositorum*» (Infra Q. XXXI, art. 2, o).

Ergo in divinis invenitur formaliter processio divina quae *termi- nat* ad Dei Verbum, et processio divina quae *terminat* ad Paracle- tum Spiritum, quaeque processio *numero* a processione Verbi distin- guitur. Consequenter in Deo formaliter exsistunt *duae* processiones *reales* et *immanentes,* una scilicet *Verbi intelligibilis,* et altera *Spi- ritus Paracleti* (Cfr. hic *Sed Cont.* et Q. X *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2, arg.ª 2.m et 3.m).

Breviter: «Secundum unam *(numero)* processionem est unus tan- « tum procedens. Sed in divinis sunt duae Personae procedentes, « scilicet Filius et Spiritus Sanctus, ut habetur in *(symbolo Fidei).* « Ergo... oportet *(in divinis)* esse duas *(numero)* processiones » (I. *Sent.* Dist. XIII, Q. I, art. 2, § *Contra*).

2.° *Ex auctoritate Ss. Patrum* veritas conclusionis demonstra- tur. Etenim Ss. Patres, praesertim in Conciliis Generalibus adunati, dogmatice sanxerunt *duas* **tantum** processiones reales et immanen- tes exsistere formaliter in Deo : quemadmodum art. 5 h. q. ostende- tur. Ergo in Deo praeter processionem Verbi invenitur formaliter alia *realiter* distincta processio divina.

3.° *Ratione S. Thomae,* quae non est demonstrativa, sed funda- tur super analogia. Etenim, sicut ostendimus in tractatu *De Deo Uno,* Q. IV, art. 2, Deus continet modo supereminenti omnes per- fectiones exsistentes in creaturis, praesertim intellectualibus. Prop- ter quod, sicut art. 1, h. q. diximus, loquimur de divinis processio- nibus secundum analogiam ad processiones exsistentes in creatura intellectuali, quaeque perfectiones sint. Atqui notum est, quod in omni creatura intellectuali *formaliter* exsistant *duae* processiones immanentes ; quarum *una* attenditur penes operationem *intellectus,* per quam scilicet procedit *verbum mentale ; alia* vero attenditur pe- nes operationem *voluntatis,* secundum quam scilicet *amans est in amato et amatum in amante:* eo modo quo explicavimus paulo ante (Cfr. n. 90). Et *utraque* ista processio realis, immanens in creatura intellectuali, est *perfectio* eiusdem creaturae (Cfr. n. 36). Ergo con- venienter in Deo ponuntur formaliter *duae* processiones reales et immanentes ; *una* secundum operationem intelligibilem, quae dicitur

processio *Verbi,* et *altera* secundum operationem voluntatis quae dicitur processio *Amoris,* sive *Spiritus Paracleti* (Hic, o).

95. **Obiic. 1.°** *Cui potest convenire numerus pluralis* 2, *potest quoque, convenire numerus* 3, 4, 5 *et sic in indefinitum. — Atqui processionibus divinis nequit competere numerus* pluralis indefinitus. *Ergo nec numerus* 2: *sed processio divina immanens est unica numero.*

R. Nego *universalitatem* maioris. Concedo minorem. Nego consequens, et dico quod officium numeri est designare partes integrantes aliquod totum, sive propietates naturam aliquam exornantes. Atqui totum non admittit semper numero indefinitas partes, neque natura proprietates numero indefinitas: sed quandoque partes integrantes naturam aliquam, sicut et proprietates naturam exornantes, sub certo numero comprehendutur. Ita ex. gr. tota natura humana integratur duabus solis partibus, anima rationali scilicet et corpore; dum linea habet partes illam integrantes numero indefinitas, sicut in algebra superiori demonstratur. Unde non sequitur, quod, si alicui rei possit competere dualis numerus, eidem debeat ex necessitate competere numerus 3, aut 4, aut his alius maior; sed unicuique rei non potest attribui ad summum, nisi numerus totalitatem illius integrans sive exprimens. Consequenter «non est necessarium procede-« re in divinis processionibus in infinitum. Processio enim, quae est «ad intra (*et de qua* solum *hic loquimur*) in intellectuali natura, terminatur in processione voluntatis» (Hic ad 1.m).

96. **Obiic. 2.°** *Quaelibet natura si fuerit simplex, nequit se communicari nisi uno modo. Atqui natura divina est simplicissima. Ergo communicari nequit, nisi unico modo. At Processio divina est quaedam communicatio naturae divinae. Ergo nonnisi unica processio adest in Deo.*

R. Dist. mai. *Quaelibet natura* **finita** non potest etc.: *Concedo: quaelibet natura* **infinita** non potest, etc.: *Nego.* — Contrad. *primam* minorem: Natura divina est *simplicissima* et **infinita:** *Concedo;* est *simplicissima* et **finita:** *Nego.* — Nego *primum* consequens. — Concedo *alteram* minorem et nego *ultimum* consequens. — Dico igitur quod inter ens **finitum** et **infinitum,** quantum ad *vim se communicandi,* invenitur duplex differentia.

Prima differentia es, quod in *ente infinito,* quaecumque formalitas consideretur, ea est *realiter* divina substantia (Q. III, art. 3 et 4);

dum in *omnibus creaturis* inveniuntur multae formalitates accidentales.

Ex hac prima differentia sequitur *altera ;* videlicet quod *substantia* creata, si sit communicabilis, nonnisi *uno modo,* seu per *unam* SPECIFICE *actionem,* communicari possit. Et quaelibet alia communicatio quae contingit in illa natura, est SEMPER communicatio alicuius ACCIDENTIS. Reipsa in homine communicatio *naturae humanae* contingit per *unam specifice operationem* quae dicitur *generatio.* Si qua autem alia communicatio contingit inter homines per operationem *intellectus,* aut *voluntatis,* aut *artis cuiusvis,* talis communicatio est *prorsus accidentalis,* quoniam per tales operationes ab uno homine non communicatur alteri nisi vel *scientia* vel aliqua alia *virtus.* — E contra, quia in Deo nihil est *accidentale,* per quamlibet operationem divinam, et **Deo ipsi immanentem,** communicatur *natura divina.* Hinc fit, ut in Deo tum per *intellectionem,* tum per *actum amoris internum* communicatur *vere* natura divina: et hoc modo ponimus *duas* in Deo processiones (Cfr. hic ad 2.m).

97. **Instant.** *Processio Verbi in Deo est infinita. Ergo* **adaequat** *et* **exhaurit** *totam vim productivam naturae divinae.*

R. Concedo antecedens. Distinguo consequens. *Ergo exhaurit totam vim productivam naturae divinae* ex parte virtutis intellectivae: *Concedo ;* ex parte virtutis voluntatis Dei: *Nego.* Solutio ex ipsis verbis nitet. Etenim ex quo in Deo ponitur distinctio *virtualis* inter *intellectum et voluntatem* divinam, pariter oportet admittere in Deo *duas* reales processiones, Deo ipsi *immanentes ;* quarum *una* est per *intelligibilem conceptionem,* et ista processio vocatur *Generatio. Altera* vero est processio quae accipitur per *actum amoris,* et haec nominatur *Spiratio,* sicut art. seq. dicetur. — Ut huius tamen processionis *Amoris* plenior habeatur notitia, propterea proponitur sequens

98. Q. II. (Cfr. n. 87). *Quisnam in divinis est* terminus « *qui* » processionis *Amoris ?*

Arius et Macedonius terminum hunc docuerunt esse creaturam quamdam (Cfr. n. 14, *A ;* et n. 15, *B*).

Sabellius vero posuit eum terminum esse ipsum **Deum** Patrem inquantum creaturam intellectualem sanctificat et ad vitam supernaturalem movet (Cfr. n. 13, *B*).

Nec defuerunt alii qui, tametsi non ore, re tamen professi sunt

eum terminum coincidere realiter cum Dei Filio (Cfr. n. 15, *B*, α; item A PORRECTA, *Append.* in h. α.).

Hos contra ponitur

99. **Conclusio II.** *Terminus* **qui** *intime in Deo procedens per processionem Amoris,* α) *est aliquid reale,* β) *non creatura aliqua sed essentialiter Deus; distinguitur vero* **realiter** γ) *tam a* **Deo Patre** δ) *quam a* **Dei Filio.**

NOTA. Est conclusio dogmatica.

Prob. I.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Operatio voluntatis divinae excedit in infinitum efficaciam operationis creatae; sicut ex terminis patet. Ostendimus autem superius n. 88, 2.º, quod ex operatione voluntatis creatae procedit intime in eadem voluntate terminus aliquis *realis.* Ergo *a fortiori* ab operatione divinae voluntatis intime in ea procedit terminus aliquis *realis.* Q. E. D. (Cfr. hic ad 2.m).

Prob. II.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Quidquid intime intra Deum manet, nequit esse creatura aliqua, sed est essentialiter Deus: constat ex terminis. — Atqui terminus, *qui* per processionem Amoris in Deo procedit, manet infime in voluntate Dei amantis (Cfr. n. 90). — Ergo terminus «*qui*» intime in Deo procedens per processionem *realem* Amoris, est essentialiter Deus (Ibid.).

Prob. III.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Superius n. 32 demonstravimus in omni processione *reali* terminum «*qui*» et terminum «*a quo*» distingui invicem *realiter.* Unde in processione *reali* Amoris, Deo immanente, terminus «*qui*» distinguitur *realiter* a principio seu termino «*a quo*» ipse Amor procedit. — Sed Deus Pater est principium *a quo* procedit Spiritus Paracletus, terminus «*qui*» processionis Amoris, Deo immanentis; iuxta illud: «**Paracletus...** qui a Patre *procedit,* etc.» (Ioan. XV, 26). — Ergo terminus «*qui*» intime in Deo promanans per processionem Amoris distinguitur *realiter* a Deo Patre (Cfr. hic ad 3.m).

Prob. IV.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Eadem numero res, praesertim si fuerit simplicissima, non producitur a pluribus operationibus invicem *realiter* distinctis, nisi illaemet operationes sint *vel* imperfectae, *vel* invicem *realiter* subordinatae. Ita ex. gr. eadem tractio navis intantum procedit a duobus hominibus, inquantum unius eorum virtus motiva non est nimis valida ad totum opus perficiendum. Et similiter in productione cuiusvis realitatis per *mu-*

tationem physicam requiritur utique operatio tam Dei quam creaturae : verum Deus et creatura non operantur *ex aequo,* sed creaturae operatio *subordinatur* operationi Dei. Sic igitur, ex oppositio, si duae operationes sint INFINITE *perfectae,* impossibile est quod *unus idemque* REALITER sit terminus *utriusque* operationis. — Atqui quaelibet processio divina *ad intra* comitatur indissolubiliter (Cfr. n. 26) aliquam operationem Deo immanentem, ideoque est realitas INFINITE *perfecta* imo ipsa Deitas. Ergo terminus, *qui* producitur ab *una* processione divina, distinguitur *realiter* a termino *qui alterius* processionis divinae. Iamvero processio divina Amoris, per quam producitur *S. Spiritus,* est *alia,* sive *distinguitur numero* a processione intelligibili qua producitur *Filius Dei,* ut dictum est tam n. 92, quam n. 94, *§ Arg. Bibl.* — Ergo terminus *qui* intime in Deo promanans per procesionem realem Amoris, distinguitur *realiter* a Dei Filio *qui* per intelligibilem processionem in Deo ipso promanat. (Ibid.).

100. **Corollarium III.**[m] Merito igitur « reprehendendus est ve- « hementer Erasmus, qui in *praefatione* super Hilarium dixit huius « aetatis Christianos nimium esse audaces et temerarios eo quod « Spiritum Sanctum Deum apellent, cum tamen antiqui Patris num- « quam ausi fuerint Eum Deum appellare, neque hoc in Scripturis « reperiatur expressum.

« Quod quidem Erasmi dictum non solum audaciae et temerita- « tis, sed erroris (*quoque*) et haeresis censura dignissimum est ; cum « sit manifestum, quod Ecclesia canit in Symbolo : *Et in Spiritum « Sanctum* DOMINUM, *et vivificantem, qui ex Patre, Filioque procedit, « qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur.* Ergo « Spiritus Sanctus est verus et unicus Deus cum Patre et Filio. — « Et mirum est quod tam impudenter neget Erasmus antiquos Patres « Spiritum Sanctum Deum appellasse, cum sit manifestum in I Conci- « lio Constantinopolitano, *capitulo septimo,* nihil aliud Patres illic « egisse quam veram Spiritus Sancti divinitatem adversus Macedo- « nium testari, et confirmare : id quod expressissime in Symbolo « Athanasii canitur in Ecclesia : *Patris, et Filii et Spiritus Sancti una « est divinitas, aequalis gloria, coeterna maiestas.* Vide etiam D. Cy- « prianum in Serm. *De Spiritu Sancto,* ubi per totum Illius Deitatem « celebrat, et tandem concludit, quod Ipse erit omnium plena suffi- « cientia, cognoscibilis Deus, et inhabitator Spiritus Sanctus ». Ha-

ctenus Bannez, *Com.* in h. a. Cfr. n. 47, *B*, et n. 49. — Sucedit nunc (Cfr. n. 87)

101. Q. III. *Utrum in* Deo *processio Verbi* et *processio Amoris* distinguantur inter se *realiter?*

R. Afirmative. — Prob. *Ratione theologica.* Quando duae res sunt *realiter* identicae, una earum *non praesupponit* alteram nec potest dici quod *oriatur* ab alia: stultum est enim affirmare quod A *praesupponat* A, vel *oriatur* ab A. — Unde ex opposito si duo entia sic se habeant, ut eorum unum *praesupponat* aliud aut ab altero *exoriatur,* necessum est ut *aliqua* REALIS distinctio inter illa duo vigeat. — Atqui processio quae est ex parte divinae voluntatis, *praesupponit* processionem quae est ex parte divini intellectus, quin imo *originem habet* ab eadem processione quae est ex parte divini intellectus. — Ergo inter utramque processionem vere datur *aliqua* REALIS distinctio. — Omnia sunt clara praeter minorem. Probo igitur min. Sicut pluries notavimus, **processio,** quae est ex parte divinae voluntatis, attemperatur sive proportionatur indoli *actus* divinae volitionis, quemadmodum **processio** quae est ex parte divini intellectus attemperatur indoli *actus* divinae cognitionis. Modo indoles propria *actus* volitionis habet duo, 1.° quidem ut sit *ordine posterior* quam *actus* intellectionis, sive quod **praesupponat** *actum* intellectionis; quia nihil volitum nisi praecognitum: 2.° habet *actus* volitionis, quod **exoriatur,** sive causetur aliquo modo, ab amabilitate obiecti *cogniti* tamquam boni; ignoti namque nulla cupido. Et ideo verissime *processio* quae est ex parte divinae *voluntatis,* **praesupponit** processionem quae est ex parte divini *intellectus,* quinimmo **oritur** ab *amabilitate* divini Verbi cogniti tamquam summe boni relate ad Dei voluntatem. Q. E. D. (Cfr. hic ad 3.m).

102. **Obiic 3.°** *Processio* attemperatur *indoli actionis quam* indissolubiliter *comitatur. Atqui in Deo* actio intellectus *et* actio voluntatis *distinguuntur solum* virtualiter. *Ergo et similiter* processio, *quae est ex parte* divinae voluntatis *distinguitur solummodo* virtualiter *a* processione *quae est ex parte* divini intellectus.

R. Dist. mai. *Processio* attemperatur *quantum ad aliqua* etc. *Concedo; quantum ad omnia* etc: *Nego.* — Conc. min. et nego conseq. Dico igitur quod processio sic attemperatur sive proportionatur actioni quam comitatur, sicut actio proportionatur potentiae a qua immediate procedit. Modo actio non quantum ad *omnes pro-*

prietates proportionatur indoli potentiae operativae a qua procedit: revera in nobis *unica numero* est potentia intellectiva, dum e contra sunt *numero indefinitae* nostrae intellectiones. Sed actio solum quantum ad *aliquas proprietates* proportionem habet ad potentiam operativam a qua exoritur. Ita ex. gr. intellectio proportionatur intellectui, a quo procedit, *primo* quantum ad gradum puritatis sive remotionis a materia (Cfr. Q. XIV, art. 1, o); quanto magis enim aliquis intellectus est spiritualis, tanto magis eius operatio est subtilis et plura comprehendit: et *similiter* intellectio proportionem habet ad intellectum quantum ad ordinem evolutivum, ut scilicet qualis fuerit ordo intellectus ad alias potentias, talis quoque est ordo operationis intellectivae ad operationes aliarum potentiarum. — Et ideo, « licet in Deo non sit *aliud* voluntas et intellectus; tamen de ratione « voluntatis et intellectus est quod (*actiones utriusque necnon*) pro- « cessiones quae sunt secundum actionem utriusque, se habeant « secundum quemdam ordinem. Non enim est procesio *amoris* nisi in « ordine ad processionem *verbi:* nihil enim potest voluntate amari, « nisi sit in intellectu conceptum. — Sicut igitur attenditur quidam « ordo *Verbi* ad *Principium* a quo procedit, licet in divinis sit eadem « substantia intellectus et conceptio intellectus (*i. e. Verbum*); ita « licet in Deo sit idem voluntas et intellectus, tamen, quia de ratione « *Amoris* est quod non procedat nisi a conceptione intellectus, (*i. e.* « *Verbo mentali*), habet ordinis distinctionem (*i. e.* quamdam *distinctio-* « *nem realem — Cfr. n. 92*) processio *Amoris* a processione *Verbi* in « divinis » (Hic ad 3.m).

103. Adserta distinctione reali inter Processionem Fili Dei et Processionem Spiritus Sancti sequitur (Cfr. n. 87, 4.°).

Q. IV. *Utrum* Spiritus Sanctus *distinguatur realiter* a Dei Filio?

Pro solutione

Dico. *Spiritus Sanctus distinguitur* realiter *tam a Deo Patre quam a Deo Filio.*

Nota. Est Fidei dogma contra Sabellium (Cfr. n. 13, *B,* β et seqq.)

Prob. *Ratione theologica.* Equidem Fidei Catholicae dogma est in Deo *tres* realiter inter se *distinctas* exsistere divinas Personas, videlicet *Patrem, Filium* et *Spiritum Sanctum.* — Hoc autem non esset verum, si Spiritus S. non distingueretur *realiter* a Deo Patre et a Deo Filio: patet. — Ergo vere ab utroque distinguitur realiter. Q. E. D. Cfr. n. 99, §§ γ) et δ).

104. His constitutis, perpende quod distinctio *realis* potest esse vel *numerica,* vel *pure numerica,* vel *specifica,* vel *generica,* vel *diversa.* — Explico.

α) Distinctio *numerica* est distinctio quae viget inter res *per se individualiter* exsistentes, nihil curando utrum tales res pertineant ad *idem* genus logicum, aut ad *eamdem* speciem logicam, aut ad *diversas* omnino categorias. Ista distinctio ex. gr. viget inter *Petrum, Angelum, Brutum, Deum, Solem,* etc.

β) Distinctio realis *pure-numerica* est illa quae viget inter res *per se individualiter exsistentes,* quae tamen pertinent ad *eamdem speciem logicam.* Huiusmodi distinctio viget inter *Petrum* et *Paulum.*

γ) Alia distinctio realis nominatur distinctio *specifica.* Et haec est illa quae adest inter res quae sunt positae sub *eodem genere logico* **proximo,** at pertinent ad *distinctas species* contentas sub illo genere : huiusmodo est distinctio quae viget inter *hominem* e *brutum.*

δ) Deinde alia distinctio realis nominatur distinctio *generica ;* et haec viget inter res positas sub *uno genere remoto.* Ita ex. gr. *Petrus* et *Quercus* distinguuntur *distinctione generica,* quia conveniunt sub *genere remoto* quod dicitur *Vivens.*

ε) Denique alia distinctio realis dicitur *diversa* : et ista distinctio adest inter res quae *sub nullo genere continentur,* sed *toto genere* distinguuntur inter se. Huiusmodi distinctio viget inter ens *substanciale* et ens *accidentale,* puta inter *Petrum* et *Lucem,* etc.

Quia ergo *realis* distinctio adest inter processionem realem *Verbi* et processionem realem *Spiritus Sancti,* e vestigio

105. Q. Utrum ista distinctio sit *numerica,* aut *pure numerica,* aut *specifica,* aut *generica,* aut *diversa ?*

Ut certa ab his quae sub dubio manere possint separemus, praeprimis

Dico. *Procesio* **Verbi Dei** *et Processio* **Spiritus Sancti** *non distinguuntur inter se per distinctionem* **diversam,** *sed per distinctionem* **genericam.**

Nota. Est certa apud omnes theologos.

Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° Illa, quae per distinctionem *diversam* distinguuntur inter se, *sub nullo gene logico* adunari possunt (Cfr. n. praec., ε) : vicissim illa, quae *sub aliquo genere com-*

muni possunt *reduci,* distinguuntur inter se per distinctionem *generi-cam* (Cfr. ibid., δ).

Atqui Procesio realis Verbi Dei, et Processio realis *Spiritus Sancti* conveniunt, secundum nostrum theologizandi modum, sub notione *generica* « *Processionis realis immanentis Deo* » ; sicut evidens est ex terminis. — Ergo inter eas duas processiones non adest distinctio *diversa,* sed *generica.* Q. E. D.

2.° Praeterea illa quae sunt *identica realiter* cum divina substantia, non sunt *totaliter diversa,* sicut per se patet. — Modo utraque processio, utpote Deo immanens, est *identica realiter* cum divina substantia. — Et ideo nequeunt distingui distinctione *diversa.* Q. E. D.

106. Sic igitur non remanet sub dubio nisi pars problematis. Utrum scilicet illae duae divinae processiones distinguantur inter se *specifice* an solummodo *numerice,* vel *pure numerice?* (Cfr. infra n.° 110).

Et ad hoc dubium solvendum ordinatur

Art. IV. Utrum processio Amoris in divinis sit Generatio.

107. In titulo verba « *in divinis sit* » debent interpretari sicut in praecc. artt.

Tὸ *processio Amoris* denotat realem processionem quam art. praec. demonstravimus intime in Deo exsistere ex parte voluntatis divinae.

Demum τὸ *Generatio* sumitur *proprie,* videlicet inquantum est origo alicuius viventis a principio vivente coniuncto secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei, quemadmodum art. 2 h. q. (Cfr. n. 74, *B*) explicavimus. Ita ut sensus istius articuli resolvat finaliter (Cfr. Caiet., *Com.* in h. a.; item inferius n. 108) sequentem quaestionem :

Utrum processio **Verbi** *et processio* **Amoris,** *quae in Deo realiter exsistunt, sint* **processiones** *specifice inter se distinctae?*

Nota. Huc tandem vere reduci inquisitionem h. a. declarari poterit hoc facili argumento. Equidem si processio *Verbi* et processio *Amoris* dicantur *eiusdem speciei,* profecto processio *Amoris* potest vocari *Generatio* proprie *dicta,* quemadmodum processio *Verbi.* Si autem processio *Amoris* nequit dici *Generatio* proprie dicta, se-

quitur quod nec est *eiusdem speciei* cum processione *Verbi*. Est evidens utraque illatio.

108. **Scholium I.m** Ne errare autem contingat ex eo quod differentiam *genericam* aut *specificam* nominemus in Deo, admoneo ex S. Thoma, quod « licet in divinis non proprie dicatur *Genus* et « *Species*, vel *Universale* et *Particulare*, tamen, ut de divinis secun« dum quamdam similitudinem creaturarum loquamur, *Pater* et *Filius* « et *Spiritus Sanctus* distinguuntur sicut *plura iudividua unius spe« ciei*, ut etiam Damascenus dicit Lilb. III. *Orthod. Fidei*, cap. 4 *in « princ.* Sed attendendum est, quod in aliquo individuo in genere « substantiae possumus *speciem* dupliciter considerare : uno modo « *speciem hypostasis* ipsius, alio modo *speciem proprietatis indivi« dualis*. Dato enim quod Socrates sit *albus* et Plato sit *niger*, et « posito quod *albedo* et *nigredo* sint proprietates *individuantes* So« cratem et Platonem, verum erit dicere quod Socrates et Plato sint « **unum** *specie* sub qua specie (*eorum*) hypostases continentur. Con« veniunt enim in humanitate sed distinguuntur secundum *speciem* « *proprietatis* : albedo enim et nigredo specie differunt ; et similiter « est in *Patre* et *Filio*. Considerantur enim ut **unum** *specie* cuius « istae hypostases sunt supposita, inquantum conveniunt in *una na« tura Deitatis* : sed secundum *speciem proprietatis Personalis* inve« niuntur differre, *Paternitas* enim et *Filiatio* sunt relationes secun« dum *speciem* diversae» *(Cfr. verba S. Basilii relata pags. 53 et 54)*.

« Sciendum est etiam, quod generatio in rebus creatis per se « ordinatur ad speciem ; natura enim intendit generare hominem : « unde et natura speciei per generationem multiplicatur in rebus « creatis. Processio autem in divinis est ad multiplicationem hypo« stasum, in quibus natura divina una numero invenitur ; unde pro« cessiones in divinis sunt differentes **quasi** secundum *speciem*, « propter differentiam *proprietatum personalium*, licet in procedenti« bus sit una natura communis » (Q. X. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.*, art. 2 ad 12.um — Cfr. hic ad 1.m et I. *Sent.* Dist. XIII, Q. un. art. 3, o).

109. His constitutis ponitur

Conclusio I. *Realis processio in Deo exsistens ex parte divinae voluntatis non est Generatio* **proprie** *dicta*.

Nota. Pertinet ad Catholicam Fidem (Cfr. Bannez, *Com.* in h. a.).

Prob. *Ratione theologica.* Terminus *qui* oritur per Generationem *proprie* dictam nominatur proprie *Filius,* vel *Genitus* : patet. — Unde si processio realis in Deo exsistens ex parte voluntatis esset Generatio *proprie* dicta, tunc terminus *qui* oritur per processionem realem divinae voluntatis (i. e. Spiritus Sanctus) posset nominari *proprie* Filius Dei. Illatio patet.

Atqui terminus *qui* oritur per processionem realem ex parte divinae voluntatis (i. e. Spiritus Sanctus) non potest, salva Fide Catholica, nominari *propie* Filius Dei. Probabo.

Ergo processio realis in Deo exsistens ex parte divinae voluntatis non est Generatio *proprie* dicta.

Propositio minor probatur. Nonnisi duobus modis terminus *qui* oritur per processionem realem ex parte divinae voluntatis potest nominari *proprie* Filius Dei, nimirum aut

1.° ponendo Spiritum Sanctum *non distingui realiter* a τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ : aut

2.° ponendo quod ὁ λόγος et Spiritus Sanctus sint DUO VERI Filii Dei

Non natur tertius modus : uti constat. —

Atqui, salva Fide Catholica, non potest sustineri nec *primus* neque *alter* modus dicendi.

Ergo nullo modo terminus *qui* oritur per processionem realem ex parte divinae voluntatis (i. e. Spiritus Sanctus) potest nominari *propie* Filium Dei.—Ultima minor probatur per partes.

I.ª PARS. « Non potest, salva Fide Catolica, dici Spiritum San- « ctum *non distingui realiter* a «τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ» constat ex eo quod hac via non *trinitas* sed *dualitas* **sola** *Personarum* poneretur in divinis, videlicet *Deus Pater* et *alia persona divina* quae *duobus nominibus* appellaretur. — Quae positio est haeretica.

II.ª PARS « Non potest dici, salva Fide catholica, quod *Dei Ver-* « *bum* et *Spiritus Sanctus* sint DUO VERI Filii Dei » Prob. Si *Dei Verbum* et *Spiritus Sanctus* essent DUO VERI Filii Dei Pratris, evidenter sequitur, quod *Dei Verbum* non posset nominari Filius **unicus** vel Filius **unigenitus** Dei Patris. — Atqui

α) primo S. Scriptura, quando loquitur de Filio Dei, in Deo ipso exsistente, hunc *simpliciter* **unigenitum** appellat : dicitur enim « Sic... Deus dilexit mundum, ut Filium **suum** *unigenitum* (τὸν « μονογενῆ) daret, ut etc. » (Ioan. III, 16) ; et iterum : « Filium

« **suum** *unigenitum* (τὸν μονογενῆ) misit Deus in mundum, ut etc. » (I. Ioan. IV, 9).

β) Similiter Fidei symbola profitentur Dei Filium *simpliciter* **unicum** esse. Etenim in Symbolo, quod vulgo dicitur duodecim Apostolorum, profitemur : « Credo... in Iesum Cristum, Filium eius « (= *Dei*) **unicum,** etc. » ; et in symbolo Nicaeno — Contantinopolitano I : Πιστεύομεν εἰς ἕνα... κύριον Ἰησοῦν Χριστόν, τὸν υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, κ. τ. λ. » (*Enchir.* n. 86).

Ergo, quia tum S. Scriptura tum Fidei Catholicae symbola profitentur Dei Filium, in S. Trinitate exsistentem, esse simpliciter *unicum* sive *unigenitum,* sequitur quod haereticum sit profiteri Spiritum Sanctum esse *verum* Dei Filium. Q. E. D.

Confirmatur conclusio ex aliis Ecclesiae symbolis. Enimvero plura symbola, ab Ecclesia solemniter recepta, negant *expresse* Spiritum Sanctum esse a Deo *genitum.* Consequenter ipsa realis processio Spiritus Sancti nequit dici Generatio *proprie* dicta. Illatio patet ex dictis. Antecedens vero probatur. Revera in symbolo, quod S. Athanasio inscribitur, legimus : « (*Deus*) Pater a nullo est « factus, nec creatus nec genitus. Filius (*Dei*) a Patre solo est, non « factus, nec creatus, *sed genitus.* Spiritus Sanctus a Patre et Filio, « non factus, nec creatus, *nec genitus* sed procedens. Unus ergo Pa- « ter... *unus Filius...* unus Spiritus Sanctus, etc. » (*Enchir.* n. 39). — Et in decreto, lato *pro Iacobitis* in Concilio Florentino, sic legitur : « Sacrosancta Romana Ecclesia... firmiter credit, profitetur et prae- « dicat.. Patrem, Filium et Spiritum Sanctum (*esse Deum*) unum in « essentia, trinum in Personis... Pater *tantum* est Pater, Filius *tan-* « *tum* Filius est, Spiritus Sanctus *tantum* Spiritus Sanctus est. Solus « Pater de substantia sua genuit Filium, *solus Filius* de solo Patre « *est genitus, solus* Spiritus Sanctus **simul** de Patre *procedit* et « Filio, etc. (*Enchir.* n. 703).

110. **Inferes 1.°** Res contentae sub eodem genere proximo, sed non sub eadem notione specifica, distinguuntur evidenter per distinctionem *specificam.* Ostendimus autem n. 105 quod processio realis Filii Dei, et processio realis Spiritus Sancti conveniunt sub *notione generica* « Processionis realis Deo immanentis ». Conclusimus vero n. praec. quod realis *processio* ex qua oritur ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ est Generatio *propie* dicta ; dum realis *processio* divina ex qua oritur Spiritus Sanctus non est Generatio *proprie* dicta : aliis verbis

istae duae divinae processiones non continentur sub *eadem specie* processionis realis. Necesse est ergo concludere, quod illae duae processiones distinguantur ad invicem per distinctionem *specificam*.

2.° Ea dicuntur distingui distinctione *pure-numerica*, quae conveniunt sub *eadem notione specifica:* qualis distinctio ex. gr. viget inter Petrum et Andream (Cfr. n 104, β). — Atqui processio Verbi et processio Spiritus Sancti non continentur sub *eadem notione specifica* (Cfr. § praec.). — Et ideo istae duae divinae processiones inter se non distinguuntur per distinctionem *pure-numericam*.

3.° Adhuc res physicae, *realiter* distinctae atque *per se* individuales, distinguuntur *distinctione numerica* (Cfr. n. 104, α). Iamvero utraque processio, Verbi scilicet et Spiritus Sancti, est realitas physica imo divina; item unaquaeque earum est realiter distincta ab altera (Cfr. art. praec.); ac rursum est *per se* individua atque singularis sicut ex terminis patet. — Ergo istae duae divinae processiones distinguuntur inter se per *distinctionem numericam*. — Sub quo tamen respectu processio divina Verbi et processio divina Spiritus Sancti distinctionem numericam patiantur, exponetur Q. seq. art. 4.

— Sic igitur recapitulando, habemus quod processio Verbi et processio Spiritus Sancti, quamvis realiter distinctae, non sint diversae sed conveniunt, sub quadam notione generica; sint quoque ad invicem specifice distinctae, itemque distinguantur per distinctionem *numericam,* non vero per distinctionem *pure numericam* (Cfr. n. 106).

111. **Obiic. 1.°** *Primogenitus habet fratres subsequentes. At Dei Verbum a S. Paulo Heb. I, 6 nominatur Dei Filius* primogenitus (πρωτότοκος). *Ergo in divinis datur alius Dei Filius qui non potest esse nisi Spiritus Sanctus. Consequenter Spiritus Sanctus est verus Dei Filius.*

R. Dist. mai. *Primogenitus habet* semper etc. *Nego;* aliquando etc. *Concedo.* — Concedo min. ad mentem S. Pauli; et nego consequentia. Est igitur « dicendum, quod mos divinarum Sripturarum est, ut primogenitum vocent non solum eum quem fratres sequuntur sed etiam eum qui primus natus sit: alioquin si non est primogenitus nisi quem sequuntur fratres, tamdiu secundum Legem primogenita non deberentur *(Sacerdotibus — Cfr. Num. XVIII, 16)* quamdiu et alia non fuerint procreata: quod patet esse falsum, cum intra unum mensem primogenita redimi mandentur secundum Legem » (P. III, Q. XXVIII, art. 3, ad 4.m). — Atqui Dei Verbum

processit a Deo Patre ante (anterioritate tamen *sola* ordinis!...) processionem Spiritus Sancti (quia ista processio a processo iam Dei Verbo exoriri intelligitur—Cfr. n. 91); item et processit antequam mundus fieret (Cfr. Ioan. XVII, 5): unde in Ps. CIX, 3 invenimus Deum Patrem dicentem ad Dei Filium «Ex utero *ante* Lucifer« rum genui te» (Cfr. Prov. VIII, 22 et sqq.).—Et ideo Dei Verbum, quia primum omnium tam ad intra, quam ad extra, Deum exsistentium processit, recte nominatur *simpliciter* omnium primogenitus.

Si cui haec responsio non satisfaciat, alteram addo. Videlicet Dei Verbum nominatur Filius Dei *primogenitus* per comparationem ad Filios Dei *adoptivos,* homines nempe et Angelos; quorum Christus est caput mysticum influens in eis varia dona Gratiae supernaturalis et Gloriae (Cfr. P. III, Q. VIII, art. 1-4): secundum quem modum Christus dicitur *primogenitus in multis fratribus* (Rom. VIII, 29) et *primogenitus omnis creaturae* (Coloss. I, 15). Ad rem S. Thomas: «Christus dicitur *primogenitus in multis fratribus* secundum «humanam naturam, non quasi univoce filius cum aliis, sed per ana«logiam: quia Ipse est *(Dei)* filius naturalis propter unionem in per«sona *(Verbi Dei),* alii autem *(sunt Dei)* filii adoptivi per assimila«tionem ad Deum quae est per Gratiam. Sicut etiam *(Christus)* «dicitur *primogenitus omnis creaturae,* inquantum *(Ipse)* secundum «Basilium (Lib. II. *cont. Eunom.*) **accipere** commune habet cum «creatura» (III. *Sent.,* Dist. IV, Q. 1, art. 2, q. 2.ª ad 2.m). — Cfr. inferius Q. XXXIII, art. 3, o; et Q. XXXIV, art. 3, o).

Breviter itaque dicimus cum Patribus Conc. Gen. Ephesini, cap. 4 «Filius Dei nuncupatus est *Primogenitus* et *Unigenitus: Primogeni«tus* comparatione *ad filios* (Dei) *adoptivos;* et *Unigenitus* per ex«clusionem *alterius Filii naturalis*». Et S. Augustinus in Lib. *De Fide et Symbolo,* cap. 4 sic habet: Christus «secundum id quod «*Unigenitus* est, non habet fratres, secundum id autem quod *Pri«mogenitus* est, fratres vocare dignatus est omnes qui post Eius «primitias in Dei gratia nascimur per adoptionem filiorum». Quibus concinit Catechismus *Conc. Trid.* scribens P. I, § *De secundo Symb. art.,* sub n. 10: «Quod ad *divinam Generationem* attinet, nullos fra«tres aut cohaeredes habet *(Christus),* cum Ipse Patris *unicus* Fi«lius, nos vero homines figmentum et opus manuum Eius simus. — «At si *humanum (Christi) ortum* consideremus, multos ille non so«lum fratrum *nomine* appellat, sed fratrum etiam *loco* habet. *Quare*

« *Primogenitus in multis fratribus* ab Apostolo (Rom. VIII, 29) vo-« catur » :

112. Sicut legenti patet, nos ex unico fonte divinae revelationis (Cfr. n. 109) ostendimus processionem Spiritus Sancti non esse generationem *proprie* dictam. Verum a tota retro antiquitate studiose quaesitum est :

Utrum ex elementis, fide catholica cognitis circa divinae Trinitatis mysterium, sumi possit argumentum aliquod *pure* philosophicum, **efficax** tamen, ad demonstrandum *evidenter* processionem, ex qua oritur Spiritus Sanctus, non esse generationem *proprie* dictam ?

A) Abbas Marcus Mastrofini (Cfr. hic pag. 23, § 3), Rev. Antonius Günther (Cfr. *Enchir.*, nn. 1655-1658), Rev. Iacobus Frohschammer (Ibid. nn. 1666-1676), et generatim Rationalistae omnes, praesertim Pantheistae Transcendentales uti Schelling et Hegel, affirmative respondent plus minusve huic quaesito ; quoniam retinent « omnia indiscriminatim dogmata religionis christianae esse *obiectum* « *naturalis scientiae et philosophiae ;* et *(quod)* humana ratio, histo-« rice *tantum* exculta, potest ex *suis naturalibus viribus et principiis* « *ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam* « pervenire, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum pro-« posita fuerint » (Cfr. *Syllab.* Pii PP. IX, prop. 9).

B) Praedictis adnumerandus est etiam Abbas Rosminius, quippe qui docuit : « Revelato mysterio SS. Trinitatis, potest *ipsius exsi-« stentia demonstrari argumentis mere speculativis,* negativis quidem « et indirectis ; huiusmodi tamen, ut per ipsa veritas illa ad *philoso-« phicas disciplinas* revocetur, atque fiat propositio scientifica, sicut « ceterae : si enim ipsa negaretur, doctrina theosophica *purae ratio-« nis* non modo incompleta maneret, sed etiam omni ex parte absur-« ditatibus scatens annihilaretur ». Est propositio XXV inter XL propp. Rosminianas, quas C. S. O. proscripsit die 14 Dec. 1887.

C) Sententia tamen Doctorum Catholicorum contrarium habet : quibus adherendo, sit

113. **Conclusio II.** *Argumentis philosophiae* **pure** *naturalis non potest in hac vita a nobis* **demonstrari** *processionem divinam, ex qua oritur Spiritus Sanctus, non esse generationem* **proprie** *dictam viventium.*

Nota. Est doctrina ad Fidem Catholicam *proxime* accedens.

Prob. 1.° *Ex auctoritate Ss. Patrum,* atque Scholae Doctorum.

Equidem vigor naturalis ingenii, nec non philosophiae pure naturalis plena possessio (si physicam experimentalem excipias quam veteres parum coluerunt) maxime affulserunt in Ecclesiae Patribus et Scholae Doctoribus, etiam dum hic vixerunt ; sicut ex eorum scriptis deprehenditur manifeste. Unde veritas, quam viri isti, doctrina ac plerumque etiam sanctitate praestantes, professi sunt non posse ab homine in praesenti vita scientifice per argumenta philosophiae *pure* naturalis demonstrari, retinenda est a nobis tamquam vere per eam methodum indemonstrabilis : peritis enim in arte credendum est. — Atqui Ss. Patres et Scholae Doctores, quoties de hac quaestione pertranctant, concorditer profitentur per argumenta philosophiae *pure* naturalis hominem in praesenti vita non posse demonstrative probare divinam processionem, ex qua oritur Spiritus Sanctus, non esse Generationem *proprie* dictam viventium. — Ergo verissime ita est. — Omnia sunt ex se clara, praeter ultimam minorem. Hanc igitur probo

A) *Ex Ss. Patribus Graecis.* α) S. Irenaeus Lib. II. *adv. Haer.*, cap. 28, n. 6, scribit : « Si quis itaque nobis dixerit : Quomodo « ergo Filius probatus a Patre est? Dicimus ei... generationem Eius « inenarrabilem exsistentem nemo novit, etc. » (Cfr. *Enchir. PP.*, n. 204).

β) S. Basilius (Hom. 29 *adversus calumniatores Ss. Trinitatis*) dicit : « Credis *(Dei Verbum)* genitum esse ? Cave : quaeras : Quo- « modo ?... Cave quaeras quae investigari non possunt ; non enim « invenies etc. ».

γ) S. Ioan. Chrysostomus (Orat. 1. *De incomprehensibili Dei natura,* n. 3) dicit : « Scio ipsum *(Patrem)* genuisse Filium : *quomodo* « autem ? ignoro. Novi Spiritum *(Sanctum)* ex Ipso esse : *quomodo* « autem ex Ipso sit ? nescio etc. » (Cfr. *Enchir. PP.*, n. 1121).

δ) S. Cyrillus Hierosolymit. (*Cateches.* XI) scribit : « Quod Deus « quidem Filium habeat, crede. *Quomodo* autem ? ne sis curiosus ; « quaerens enim non invenies. Non extollas te, ne cadas : quae tibi « mandata sunt, haec sola intellige ».

ε) S. Ioan. Damasc, (Lib. I. *De Fide Ortod.*, cap. 8) dicit : « In- « ter *generationem* et *processionem* discrimen intercedere edocti su- « mus. Ceterum *quis sit huius distinctionis modus, prorsus ne- « scimus* ».

B) *Ex Ss. Patribus Latinae Ecclesiae* adest α) testimonium

S. Ambrosii scribentis (Lib. 1. *De Fide ad Gratianum,* cap. 10): « Mihi impossibile est generationis *(Filii Dei)* scire secretum : mens « deficit, vox silet ; non mea tantum sed et Angelorum... Licet scire « quod natus scit : non licet discutere quemadmodum natus sit. Illud « negare mihi non licet, hoc quaerere metus est ; etc. ».

β) Accedit S. Augustinus scribens (Lib. I. *Cont. Maximinum,* cap. 14) : « Quid inter nasci et procedere intersit, de illa excellen- « tissima natura loquens explicare quis potest ?... Distinguere inter « illam generationem et hanc processionem nescio... non valeo, non « sufficio, etc. ».

γ) Addi potest huic Sanctorum choro S. Bernardus, qui Serm. I. *De Pentecoste,* processioni Spiritus Sancti aptat illud Ps. XVII, 13 « *Posuit tenebras latibulum suum* ». — Vide Petavium, Op. cit., Lib. VII *De Trinit.* cap. 15 ; item Tournely, Op. cit., tract. *De Ss. Trinit.* Q. II, art. 4.

C) *Ex auctoritate Doctorum Scholae* prop. min. principalis argumenti probatur per verba Petri Lombardi, totius Scholae principis. α) Is igitur Lib. I. *Sent.* Dist. XIII inquit : « Inter generationem « Filii, et processionem Spiritus Sancti, dum hic vivimus, distinguere « non sufficimus ». Et allata auctoritate S. Augustini, subdit : « Quid « autem inter *nasci* et *procedere* intersit, de illa excellentissima na- « tura loquens quis explicare potest ? Non enim omne quod procedit « *nascitur ;* quamvis omne *procedat* quod nascitur : sicut non omne « quod bipes est, *homo* est, quamvis *bipes* sit omnis qui homo est. « Hoc scio. Distinguere autem inter illam generationem et hanc pro- « cessionem nescio, non valeo, non sufficio. Ac per hoc, quia illa « et ista est ineffabilis, sicut Propheta de Filio loquens ait : *Genera- « tionem Eius quis enarrabit ?* (Isai. LIII, 8) ; ita de Spiritu Sancto « verissime dicitur : Processionem *Eius quis enarrabit ?* etc. ». — Legesis Angelicum et antiquos scholasticos in hunc locum Magistri Sententiarum.

β) Veteribus theologis concinit Illmus Bossuet (1627-1704) scribens : « Le Saint-Esprit qui sort du Père et du Fils, comme leur « amour mutuel, est de la même substance que l'un et l'autre, un « troisième consubstantiel, et avec eux un seul et même Dieu. Mais « pour quoi donc n'est-Il pas Fils, puisque Il est par sa production « de même nature ? Dieu ne l'a pas révélé... Taisez vous, raisonne- « ments humains. Dieu a voulu expliquer que la procession de son

« Verbe était une véritable et parfaite génération. Ce que c'était « que la procession de son Saint-Esprit, Il n'a pas voulu le dire, « ni qu'il y eut rien dans la nature qui représentât une action si « substantielle, et tout ensemble si singulière. C'est un secret ré- « servé à la vision bienheureuse » (*Élévations sur les mystères*, II Semaine, 5 élévation).

D) *Ex versibus*

« Quid sit *gigni,* quid *processus*
« Me nescire sum professus,
« Sed fide non dubia »,

quos usque ad saec. XV Ecclesia canebat in prosa festi Ss. Trinitatis, veritas propositionis minoris primi syllogismi magnam recipit confirmationem, sicut unicuique notum relinquitur. Etenim S. Coelestinus I (422-432) in epistola XXI ad Episcopos Galliarum, anno 431 missa adversus errores Semipelagianorum, cap. 11, nos admonet ut « obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta re- « spiciamus, quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni « Ecclesia catholica uniformiter celebrantur, ut *legem credenti lex* « *statuat supplicandi* etc. » (*Enchir.* n. 139).

2.° *Ratione theologica.* Argumentis philosophiae pure naturalis non possunt a nobis in hac vita demonstrari mysteria Fidei Christianae : constat ex terminis. Unde Synodus Vaticana, Sess. III, can. 1 *De Fide et Ratione* statuit : « Si quis dixerit... universa Fidei « dogmata posse per ratienem rite excultam, e naturalibus principiis « intelligi et demonstrari, anathema sit » (*Enchir*, n. 1816).

Atqui inter principalia Fidei Christianae mysteria recensentur tum exsistentia Processionum in uno simplici Deo, tum quod Processio, ex qua oritur Dei Verbum, sit Generatio *proprie* dicta viventium, tum demum quod Processio, ex qua oritur Spiritus Sanctus, non sit Generatio *proprie* dicta viventium. Haec minor constat ex symbolo Fidei Nicenae Constantinopolitanae (*Enchir.*, nn. 54 et 86).

Ergo vere argumentis philosophiae pure naturalis non potest a nobis in hac vita demonstrari processionem divinam, ex qua oritur Spiritus Sanctus, non esse generationem *proprie* dictam viventium. Q. E. D. Cfr. Mag. Sent., loc. cit.

114. **Obiic. 2.°** *Non minus ad Fidem pertinet dogma* « Proces- « sio Verbi divini est generatio *proprie* dicta », *quam dogma* « Pro- « cessio Spiritus Sancti non est generatio *proprie* dicta ». — *Atqui*

non obstante indole dogmatis Fidei, veritas ista « Processio Verbi « divini est generatio *proprie* dicta » *fuit a nobis superius* (Cfr. n. 80) *demonstrata per principia philosophiae pure naturalis. — Ergo et similiter nihil prohibet ut per eadem axiomata demonstrari possit veritas* « Processio Spiritus Sancti non est generatio *proprie* « dicta ».

R. Conc. mai. — Dist. min. *demonstrata* perfecte ac rigorose *per principia etc.:* Nego; *demonstrata* imperfecte atque analogice *per etc.:* Concedo. — Nego consequens, vel potius distinguo *eodem modo* illud; videlicet: *demonstrari possit* perfecte ac rigorose *veritas etc.:* Nego; *demonstrari* imperfecte et analogice *veritas etc.:* Concedo. Ad cuius distinctionis intelligentiam dico, quod demonstratio perfecta ac rigorosa requirit, ut termini in argumentatione *univoce* accipiantur (secus non rigorosa demonstratio haberetur, sed paralogismus aut simplex analogia), consequenter habet locum quando res, terminis significatae, conveniunt *univoce* sub una eadem categoria. Modo Deus et creaturae sub nulla categoria *univoce* conveniunt. Et ideo inter creaturas et Deum nulla demonstratio *perfecta* ac *rigorosa* potest habere locum. Sed inter Deum et creaturas potest locum habere demonstratio *imperfecta* et *analogica,* secundum quod scilicet Deus et creaturae conveniunt *analogice* in notione entis, aut vitae, aut perfectionis alterius. Atqui leges recte syllogizandi praescribunt circa *terminus* « Latius hos quam praemissae conclusio non vult »; quoad *propositiones* vero statuit: « Peiorem semper sequitur conclusio partem ». Et ideo in demonstratione analogica, hoc ipso quod non univocatio sed simplex analogia regit connexionem terminorum in *praemissis,* ex necessitate quoque simplex analogia regit connexionem terminorum *conclusionis.* Consequenter per demonstrationem analogicam scimus quidem praedicatum conclusionis convenire eius subiecto, at ignoramus *modum genuinum* secundum quem notio praedicati inest in subiecto conclusionis. Processiones divinae et homologae processiones exsistentes in anima humana se habent tamquam Deus et creatura. Unde sicut demonstratio **solum** *analogica* fuit illa per quam demonstravimus in Deo formaliter exsistere processionem Verbi ex hoc quod homologa processio invenitur realiter in humano intellectu (Cfr. art. 1. h. q.); ita non demonstratio rigorosa, sed **solum** *analogica,* fuit illa, per quam art. 2. h. q. demonstravimus quod processio Verbi, in Deo formaliter exsistens, sit generatio *proprie*

dicta : quoniam ibi nihil aliud egimus, nisi ostendere qualiter processioni divini Verbi *aptari possint* singulae conditiones Generationis *proprie* dictae, quamvis processioni verbi, exsistenti ex parte humani intellectus, non conveniant conditiones Generationis *proprie* dictae.

115. **Corollarium I.m** *Analogiam,* quam adhibuimus (Cfr. nn. 80 et seqq.) circa processionem divini Verbi, aptando ad divinam processionem Spiritus Sancti concludere licet, quod etiam *analogice* demonstrari potest Divinam Processionem Spiritus Sancti non esse generationem *proprie* dictam, considerando videlicet indolem homologam processionis Amoris quae in creatura intellectuali invenitur.

Verum, quia varie (Petavius, Op. cit., Lib. VII *De Trinit.* cap. 13 et 14, decem opiniones recenset) sunt a Scholae theologis propositae hac de re analogicae demonstrationes, praestat eas breviter ad trutinam revocare, ut quae sit aliis probabilior indicemus.

116. Quidam igitur theologi advertentes per *processionem Verbi* Deitatem sic communicari Filio, ut a Filio procedat Spiritus Sanctus, dum per processionem *Amoris* Deitas communicatur Sancto Spiritui quin a S. Spiritu alia procedat Divina Persona, dixerunt procesionem *Verbi* esse *Generationem, proprie* dictam, **quia** Filius a Patre accipit Deitatem *tamquam naturam foecundam ad alterius divinae Personae productionem.* E contra processio *Amoris* non est *Generatio proprie* dicta, **quia** per processionem Amoris Spiritus Paracletus accipit Deitatem *tamquam non amplius foecundam ad productionem alterius divinae Personae.* Haec explicatio introducta primum fuit a Ricardo de S. Victore (Lib. VI. *De Trinit.,* cap. 18), inde exculta ab Alexandro De Ales (*Sum. Theol.,* P. I, Q. XLIII, membro 2.°); quibus consentiunt Maior (I *Sent.,* Dist. III. Q. un.), Martinonus (Disp. XXIV *De Trin.,* § 9), et plerique alii. Addendum est praeterea, quod Alensis, loc. cit., processionem *Verbi divini* vocet processionem per *modum principalem* quia scilicet per eam procedit Persona cum facultate producendi aliam Personam; processionem autem *Spiritus Sancti* vocat processionem per *modum minus principalem,* quia per illam procedit Persona non habens facultatem producendi aliam divinam Personam. —

A) *Horum tamen Doctorum sententia est reiicienda.*

Prob. *Rationibus theologicis.* α) Etenim isti Doctores dicendo quod processio divini Verbi est Generatio vera et *proprie* dicta (Cfr. n. 74, *B*), QUIA Verbum accipit a Deo Patre naturam foecun-

dam alterius divinae Personae, dum processio Spiritus Sancti non est Generatio *proprie* dicta, QUIA Spiritus Sanctus non accipit naturam adhuc foecundam alterius divinae Personae, supponunt evidenter, quod « Generatio *proprie* dicta sit origo unius viventis *X* ab « alio vivente *Y*, et per quam originem vivens *X* accipit a vivente *Y* « non solum eamdem *specifice* naturam sed etiam eamdem foecundi- « tatem *radicalem* videlicet energiam producendi aliud vivens sibi « *specifice* simile ». — Atqui superius, n. 77, *F*, demonstravimus hanc definitionem Generationis *proprie* dictae esse falsam, neque consonam cum Fide Christiana. — Ergo evidenter Richardi, Alensis et sequacium sententia procedit ex falsa notione Generationis *proprie* dictae (de qua praecisse disputamus), ideoque est reiicienda.

β) Praeterea in S.ma Trinitate *nihil* invenitur *magis aut minus* perfectum, sed omnis divina perfectio est coaeterna et coaequalis cum aliis : quemadmodum in symbolo athanasiano profitemur cum Ecclesia Catholica. Atqui singulae processiones Deo immanentes pertinent evidenter ad Deitatis perfectionem. Et ideo propositiones istae « processio Verbi habet modum *magis principalem* » et « pro- « cessio Spiritus S. habet modum *minus principalem* » sunt expressiones *male sonantes* in theologia catholica. Consequenter additamentum ab Alensi propositum pro sua sententia est omnino improbandum. Legesis Bannez, *Com.* in h. a.

117. **Obiic. 3.°** *Loquimur de divinis* analogice *ad ea quae relucent in creaturis viventibus. Atqui in creaturis viventibus* Generatio *proprie* dicta *adest quoties terminus* procedens *accipit a suo patre naturam non solum* specifice similem *sed etiam* capacem producendi aliud vivens *sibi* specifice simile. *Ergo et in divinis ea processio est* Generatio *proprie dicta, per quam processionem terminus procedens accipit naturam divinam* tamquam foecundam alterius divinae Personae.

R. Conc. mai. — Dist. min. *Generatio...* sibi *simile ;* ita tamen ut *foecunditas radicalis* sit *dos accidentalis* in definitione generationis : *Concedo ;* secus : *Nego.* — Nego consequens et consequentiam. Dico igitur quod inter generationem quae viget in Deo et generationem quae viget in viventibus corporalibus, plantis videlicet, brutis et hominibus, duplex adest differentia.

Prima differentia consistit in hoc quod per generationem corporalem pater suo filio communicat naturam *eamdem specifice* sed *non*

eamdem individualiter : ex opposito Deus Pater Filio suo communicat unam *eamdem individuam* deitatem.

Altera differentia inter utramque generationem consistit in hoc quod in creaturis, ex gr. humanis, *una* actio generativa utpote realitas essentialiter finita, *non exhaurit totam* energiam generativam quae competit humanae naturae, consideratae tam *specifice* quam *individualiter*. (Haec namque energia est quodam modo indefinita, secundum quod scilicet ipsa humana natura potest per generationem successive communicari individuis humanis numero indefinitis). Ac propterea pater humanus potest pluries excercere propriam energiam generativam, habere inde plures numero filios et *non exhaurire totaliter* eamdem energiam quae competit *humanae naturae* tam *individualiter* quam *specifice* consideratae, sed relinquit in filios naturam humanam *cum energia* gignendi successive alios filios. E contra actio generativa propria Dei Patris est entitative infinita ideoque *unica numero,* et *exhauriens totaliter* energiam generativam quae ipsi Deo Patri convenit. Ac propterea Deus Pater, gignendo Filium, huic non communicat nisi divinam naturam iam *exhaustam energia gignendi* alium *naturalem* Dei Filium. Et consequenter Deus Pater nonnisi *unicum naturalem Filium* habere potest, quia nonnisi *unica numero* actio generativa potest locum habere in divinis : et similiter Dei Verbum gignere **alium** *naturalem* Filium non est possibile, quoniam divina natura, secundum quod est in Dei Verbo, non possidet *de facto* energiam gignendi **alium** Dei Filium *naturalem*.

Et sic patet quod nonnisi *simplex analogia* vigere potest inter modum generationis quae viget in creaturis, et modum generationis quae viget in divina Trinitate : ita ut quamvis in creaturis filius *naturalis* a proprio patre accipiat naturam ei *specifice* similem et *ornatam* foecunditate radicali, nihilominus in divinis Filius Dei *naturalis* accipit eamdem *individuam* naturam divinitatis sed *exhaustam* energia gignendi alios Filios Dei *naturales*.

— Addendum illud est denique, quod ornamentum *foecunditatis radicalis,* a Richardo, Alensi etc. insertum in definitione Generationis *proprie* dictae, resecandum sit ab huiusmodi definitione, quia est *elementum accidentale,* conveniens uni categoriae generationis quae convenit viventibus corporalibus. Cfr. n. 77. Lege Gonet, *Clypeus Theol. Thomist.* De Trinit. Disp. II, art. 4, § II.

118. Sequitur opinio S. Bonaventurae. Is itaque tam in Lib. I.

Sent. Dist. XIII, q. 2 quam in *Compend. Theol.,* Lib. I, cap. 7 tres modos processionis distinguit.

Unius dicitur *secundum voluntatem.* Sic dicimus quod Adam a Deo processit per *modum voluntatis.*

Alter modus processionis dicitur *secundum naturam.* Et ita dicimus, quod Abel ab Adamo processit per *modum naturae foecundae.* Tertius modus processionis dicitur *praeter naturam.* Et hoc modo Eva de costa Adami processit *modo praeternaturali* seu *non per modum naturae foecundae.*

Qua distinctione posita Doctor Seraphicus dicit processionem Verbi esse *Generationem* proprie dictam QUIA Dei Verbum a Deo Patre procedit per *modum naturae foecundae;* dum processio Spiritus Sancti nequit vocari *Generatio* proprie dicta, QUIA Spiritus Sanctus a Patre et Filio procedit per modum voluntatis et *non per modum naturae foecundae.* Haec opinio solum *historice* refertur a Magistro, Lib. I. *Sent.,* Dist. XIII, § *Cum autem;* defenditur autem specialiter a P. Henno (Disp. I. *De Deo Trino,* Q. 6), et *dicitur* (Cfr. Tournely, Op. cit., Q. II, *De Trinit.,* art. 4) professa etiam a Doctore Subtili in I. *Sent.* Dist. X, n. 13, et Dist. XIII, n. 20 (Cfr. Frassen, *Scotus Academicus* [Romae, 1900], tom. 3, pag. 120). Sed

A) Horum quoque DD. sententia est reiicienda.

Prob. *Ratione theologica.* Haec propositio « procedere per *modum naturae* » nonnisi tripliciter exponi potest :

α) primo scilicet synonime ad τὸ procedere per modum *necessitatis, quasi coacte,* et *absque complacentia propriae voluntatis.*

β) Secundo potest exponi synonime ad τὸ procedere per *instinctum, coeco modo,* absque *praevia cognitione* finis : quo sensu agens per *naturam* distinguitur ab agente per *intellectum.*

γ) Tertio ea phrasis potest exponi synonime ad τὸ procedere per modum *nativitatis,* accipiendo nimirum vocem « *natura* » tamquam contractionem vocis « *nascitura* » seu vocis « *nativitas* ».

Atqui quocumque modo phrasis « procedere per *modum naturae* » intelligatur in expositione sententiae Doctorum Seraphici et Subtilis, illa sententia exhibet sensum absurdum. Ergo eorum DD. sententia circa praesentem quaestionem est reiicienda. — Propositio maior est evidenter completa. Illatio vero, praesupposita veritate minoris propositionis, relinquitur nota. Probo igitur min.

Equidem, si τὸ *procedere per modum naturae* exponatur in primo

sensu (α), tunc oportebit ex sententia horum DD. profiteri quod « Dei Verbum a Deo Patre procedat per modum naturae, videlicet « *coacte et absque complacentia voluntatis* divinae ». Quae assertio non solum est absurda in hoc quod *ponit coactionem* in Deo, sed etiam contrariatur testimonio Dei Patris dicentis de Christo (Matth. III, 17) « *Hic est Filius meus dilectus* (ὁ ἀγαπητός) *in quo mihi complacui* (εὐδόκησα)». Cfr. infra Q. XLI, art. 2, o, et ad 1.m, 2.m et 5.m.

Si autem secundo modo (β) exponatur τὸ *procedere per modum naturae,* tunc ex sententia horum DD. quando dicimus quod « Dei « Filius, sive Dei Verbum, a Deo Patre procedat per modum natu- « rae », sensus huius phrasis esset, quod Dei Verbum a Deo Patre procedat *coeco modo absque praelucente cognitione.* Quae assertio continet evidentem absurditatem.....

Quod si tertio (γ) sensu exponatur τὸ *procedere per modum naturae,* tunc tota sententia horum Doctorum hunc exhibet sensum, videlicet « processio Verbi in divinis habet indolem Generationis « *proprie* dictae, QUIA Dei Verbum a Deo Patre procedit por modum « *nativitatis,* dum processio Spiritus Sancti in divinis non habet in- « dolem Generationis *proprie* dictae, QUIA Spiritus Sanctus a Deo « Patre et Filio non procedit per mondum *nativitatis* »... Quae expositio est misera ταυτολογία, nihil prorsus declarans.

Consequenter sententia S. Bonaventurae, Scoti, et horum sequacium circa praesentem quaestionem reiicienda est tamquam absurda vel insufficiens (Cfr. Bannez, *Com.* in h. a. item Billuart, Dissert. II *De S.ma Trinit.* Art. V, § *Opin. Scholae*).

119. Petrus Aliacensis in I. *Sent.* Dist. XIII, q. 8 ad declarandum processionem Spiritus Sancti non esse generationem, *proprie* dictam, in hanc ferme formam argumentatur: « Unum vivens gene- « ratur a duobus aliis viventibus, seu procedit tamquam *Filius* duo- « rum viventium, quando haec duo se habeant tamquam *Pater* et « *Mater* relate ad illud. Hoc patet in creaturis viventibus, quarum « una generatur ex aliis.

« Atqui Spiritus Sanctus procedit a Deo Patre et a Deo Filio; « qui tamen duo non se habent tamquam *Pater* et *Mater* relate ad « illum.

« Ergo Spiritus Sanctus in divinis non procedit tamquam *Filius* « Dei Patris ac Dei Verbi.

« Et consequenter Processio Spiritus Sancti a Deo Patre et a « Dei Filio non est Generatio *proprie* dicta viventium ». — Sed

A) Opinio ista Petri de Aliaco est reiicienda.

Prob. *Ratione theologica.* Revera opinio ista supponit evidenter, quod Generatio *proprie* dicta alicuius viventis **debeat esse** SEMPER processio illius viventis a *duobus aliis* quae se habeant relate ad ipsum tamquam *Pater* et *Mater.* — Quod haec sit suppositio in argumento Aliacensis, patet ex propositione *maiore.*

Atqui hoc suppositum est falsum, quia non invenitur in definitione Generationis *proprie* dictae viventis, quam superius nn. 74 et 75 dedimus : sed illud suppositum verificatur **solummodo** in viventibus *corporalibus* quae *solent* a duobus aliis generari.

Et ideo evidenter opinio Aliacensis procedit ex falsis, ac propterea est reiicienda. Cfr. Bannez, *Com.* in h. a. et Gonet *Clypeus Theol. Thomist.,* De Trinit. Disp. II, art. 4, § II.

120. **Obiic. 4.°** *Tam S. Augustinus quam S. Thomas proposuerunt pro praesenti quaestione eamdem solutionem quam exibuit Petrus Aliacensis. Ergo huius sententia non est diris devovenda. Antec. prob. Etenim S. Augustinus in* Lib. XV *De Trinit.* cap. 27, *scribit :* « Si Spiritus Sanctus Filius diceretur, amborum *(videlicet « Patris et Filii)* utique Filius diceretur : quod absurdissimum est. « Filius quippe nullus est duorum, nisi Patris et Matris. Absit au- « tem ut inter Deum Patrem et Deum Filium tale aliquid suspice- « mur... Non ergo ab utroque est genitus sed procedit ab utroque « amborum Spiritus ». *D. Thomas vero idipsum innuit Q. X.* De Pot. *inter* QQ. Dispp. *art. 2, arg. 11.m ac, 12 m.*

R. Nego tum antec. tum consequens cum sua consequentia, et dico mentem S. Augustini in loco citato non fuisse hanc, declarare videlicet *positive cur processio Spiritus Sancti non sit Generatio* proprie *dicta* : sed mens S. Doctoris eo loco est Christifidelibus indoctis *suadere* doctrinam catholicam secundum quam creditur *Spiritum Sanctum non esse Dei Filium.* Et hanc veritatem illis nititur Augustinus suadere, ducendo ad impossibile in hunc modum : « Spiritus « Sanctus procedit a Patre et Filio. Unde, si Spiritus Sanctus sit « etiam Filius Dei, oporteret concludere quod Spiritus Sanctus sit « Filius simul Dei Patris ac Dei Filii : quasi Deus Pater et Deus « Filius concurrant tamquam Pater et Mater in spirando Spiritum San- « ctum. — Haec fictio apertam continet absurditatem. — Ergo Spiri-

« tum S. iure creditur *non esse a Deo genitum,* sed *spiratum* a Patre « et Filio ». Quod sane argumentum Augustini sufficiens est rudibus ad suadendum illis Spiritum Sanctum non esse Dei Filium. — Quod vero S. Doctor ibidem sermonem habeat ad simplices christianos, nempe ad eorum dubia contra doctrinam catholicam ab eorum mentibus removenda ; non autem velit ibidem illam veritatem theologice demonstrare, apparet ex verbis quae ibidem praemittit, dicendo : « Verum, quia in illa coaeterna, coaequali et incorporali, et ineffabi- « liter inmutabili atque inseparabili Trinitate difficillimum est Genera- « tionem (*a*) Processione distinguere, sufficiat interim eis, qui ex- « stendi non valent in amplius, id quod de hac re in *sermone quodam* « proferendo ad *aures populi christiani* diximus, dictumque conscri- « psimus. Inter coetera enim etc. ».

Quod autem ad Angelicum attinet, dico eum nequaquam favere opinioni Aliacensis, sed eo loco idem quod in h. a. docere, videlicet Dei Verbum, quia *ex vi processionis* ab intellectu Dei Patris habet similitudinem, imo identitatem, cum natura Dei Patris, iure nominari Dei Filium : eiusque processionem a Deo Patre esse consequenter Generationem *proprie* dictam. E contra Spiritum, quoniam procedit a voluntate Patris et Filii tamquan mutuus eorum amor, non habere *ex vi et nativa indole amoris* similitudinem neque identitatem cum natura divina Patris et Filii, ideoque non posse nominari Filium Dei ; ac propterea eius processionem a Patre et Filio non esse Generationem *proprie* dictam, sed nominandam esse *Spirationem.*

121. Superiore opinione reiecta, alii theologi novam proposuerunt, argumentando fere in hanc fermam : « Filius est suppositum « vivens quod est viva et *perfecta imago proprii patris.* – Atqui in « divinis, licet Dei Verbum atque Spiritus Sanctus sint viventia quae « *ex vi propriae processionis* sint perfecte similia Deo Patri (quia « conveniunt in eadem una natura Deitatis cum Ipso), nihilominus « *solum* Dei Verbum procedit tamquam *perfecta imago Dei Patris.* « — Ergo in divinis *solum* Dei Verbum est *verus Dei Filius;* et con- « sequenter in divinis *sola* processio Verbi habet indolem Genera- « tionis *proprie* dictae. — Propositio maior videtur vera : similiter « *prima* minoris *pars.* Probant autem *alteram* minoris *partem* sic. Ex « psychologia scholastica scimus, quod *verbum mentale,* ex hoc ipso « quod procedit ab intellectu actualiter informato a specie intelligi- « bili impressa, est *imago* rei ab eadem specie intelligibili impressa

« repraesentatae. Atqui Deitas est species intelligibilis impressa in « divino intellectu. Et ideo *Verbum Dei*, ex hoc quod per processio- « nem intelligibilem procedit ab intellectu divino, est essentialiter « *imago intelligibilis* repraesentans Deitatem coram divino intellectu. « — E contra ex eadem scientia psychologica habemus, quod *mutua* « *inhaesio* amantis in bono amato (quae mutua inhaesio est *effectus* « — Cfr. n. 88, sqq. — actus amoris), non causatur semper a voluntate « informata a realitate alicuius *praesentis* boni amati (quia amamus « etiam *bona absentia)*; ac propterea *mutua inhaesio* quae est *ter-* « *minus* amoris, ex hoc ipso quod ab actu amoris procedit, non ha- « bet ut sit *imago* quaedam boni *actualiter exsistentis* in voluntate « amantis. Atqui Spiritus Sanctus est terminus qui procedit per actum « amoris, quo Pater et Filius Dei mutuo se diligunt. Et ideo *Spiri-* « *tus Sanctus*, attenta *natura* operationis secundum quam procedit, « non est *imago quaedam Deitatis*. — Sic igitur Verbum divinum « est *simile* Deo Patri tamquam *eius imago*, Spiritus Sanctus vero « est quidem Deo Patri *similis, sed non tamquam eius imago*. Q. E. D.».

Haec explicatio placuit Vasquesio (P. I. *Disp.* CXIII, art. 5, cap. 3, et seqq.), Alarconi, Torres (*Com.* in h. a.), et aliis; nec ab ea abhorret noster Bannez (*Com* in h. a., Dub. 1, § *Tert. Concl.*). — Sed

A) Haec quoque opinio est reiicienda.

Prob. *Ratione theologica*. Haec namque opinio videtur contradictoria affirmare. Ergo ea, utpote inepta, non est sequenda. — Prob. ant. Ad hoc ut *unum* sit *imago* alterius, *duo* requiruntur, videlicet

primo similitudo, seu convenientia utriusque *in quadam unitate formae vel qualitatis*. Si enim aliqua duo non conveniunt neque in *natura specifica*, neque *in figura, colore*, aut *alia qualitate*, illa non dicuntur invicem *similia*. Nullus revera affirmare auderet *arborem* esse similem *soli* aut *lunae*, etc.

Secundum, quod requiritur ad rationem *similitudinis*, est *origo* unius ab alio, videlicet rei quae dicitur *imago*, a re quae vocatur exemplar vel πρωτότυπος: «quia, ut Augustinus dicit in Lib. LXXXIII, « QQ, q. 74, *unum ovum non est imago alterius, quia non est* DE « ILLO *expressum (i. e. originem habens)*. Ad hoc ergo quod vere « aliquid sit *imago*, requiritur quod *ex alio procedat simile ei in spe-*

« *cie,* vel saltem in signo speciei» (Infra q. XXXV, art. 1, o), id est effigie seu figura.

Consequenter affirmare quod *persona,* ex *vi propriae originis, procedat tamquam alteri similis, simul autem quod non sit huius alterius imago,* est aperta contradictio. — Iamvero Vasquez et sequaces concedunt Spiritum Sanctum, *ex vi processionis a Patre et Filio* procedere *in similitudinem naturae utriusque ;* negant autem Spiritum Sanctum *habere rationem imaginis utriusque* — Ergo eorum positio implicatur contradictione. Cfr. Gonet, Disp. II. *De Processionibus* etc. art. 4, § III. n. 162 ; Ferre, Tract. XIV. *De Trinit.,* Q. III § III ; et Zanardi, *Com.* in h. a. § *Prima Controv.*

122. Impugnator opinionis Vasquesii fuit etiam eius consodalis P. Suarez Lib. XI. *De Trinitate,* cap. VI, quo capite, sub nn. 14 et seqq., suam de praesenti controversia superaddit opinionem. Eius argumentatio sic proponi potest. « Filius est vivens quod proprio « Patri assimilatur in eadem natura specifica seu in eodem constitu- « tivo metaphysico paternae naturae. Unde, loquendo de divinis Fi- « lius Dei est ea divina Persona quae ita a Deo Patre procedit ut « assimiletur in eodem constitutivo metaphysico divinae naturae quae « fontaliter in Deo Patre invenitur. — Atqui gradus intellectualitatis, « sive actuale intelligere est constitutivum metaphysicum divinae na- « turae. — Ergo Dei Filius is vere est qui procedit a Deo Patre, et « secum fert actualem intellectionem quae est veluti gradus specifi- « cus atque ultima differentia divinae naturae. — Iamvero *solum* Dei « Verbum est divina Persona quae a Deo Patre procedit per actua- « lem intellectionem : etenim Spiritus Sanctus procedit per actualem « volitionem quae praesupponit actualem intellectionem videlicet me- « taphysicum constitutivum naturae divinae. Consequenter *solum* Dei « Verbum est verus Dei Filius, et *sola* Eius processio est Generatio « *proprie* dicta ». — Verum

A) Etiam haec Suarezii opinio est reiicienda.

Prob. *Ratione theologica.* Sicut ex relata argumentatione apparet, P. Suarez supponit, quod *intelligere actuale,* sive actualis intellectio, sit in Deo illa perfectio, quae constituat gradum specificum seu ultimam differentiam *separantem,* iuxta nostrum theologizandi modum, Deitatem ab essentia finita ; seu sit *constitutivum metaphysicum naturae divinae.* — Atqui haec assertio Suarezii est falsa, sicut in vol. *De Deo Uno,* n. 293, § D, demonstravimus. — Ergo eviden-

ter Suarezii opinio procedit ex falsis, ac propterea est reiicienda. Cfr. Zanardus, loc. cit. item Tournely, Q. II. *De Trinit.*, art. 4, ubi plura alia contra Suarezium inducit.

123. Reiectis aliorum opinionibus, thomistae cum Angelico (Hic, o) exponunt causam cur Processio Verbi, non autem Processio Spiritus Sancti sit *Generatio* proprie dicta *viventium*, sequenti modo.

Conclusio III. *Generatio* **proprie dicta** *viventis* **potest** *quidem convenire* **alicui** *intellectui* **actualiter** *intelligenti*, **sed non alicui** *voluntati* **actualiter** *amanti vel odienti rem aliquam.*

Nota. Docetur ab omnibus.

Prob. *Ratione theologica. Generatio* proprie dicta *viventis* est actio quae **ex** substantia viva Generantis producit terminum *alium* (i. e. extra subiectivum) vivum in similitudinem eiusdem naturae specificae cum Generante, quique terminus dicitur propterea *Genitus* vel *Filius* (Cfr. nn. 75 et 76). — Unde *Generatio* proprie dicta *viventis*

— potest quidem attribui *Subiecto vivo*, a quo originatur tum *terminus* vivus (i. e. Genitus) *ad* vel *in* quem actio illa tendit; quique terminus sit aliquid extra subiectum realiter distinctum a *Subiecto Generante*, habeat tamen vere *eamdem* naturam *specificam* cum ipso Generante:

— sed non potest attribui *Subiecto vivo* a quo originatur quidem *actio vitalis*, sed **non** *terminus* vitalis *extrasubiectivus ad*, vel *in*, quem actio illa tendit; sed originatur potius *coniunctio*, vel *aversio*, illius Subiecti viventis *cum*, vel *a*, termino aliquo *extrasubiectivo*, **praexsistente** saltem cognoscibiliter in *apprehensione illius subiecti viventis.*

Atqui *intellectus*, actu *intelligens*, est *Subiectum vivum;* item ab eodem intellectu originatur non solum *actio viva cognoscitiva*, sed etiam *terminus vivus* (i. e. verbum mentale) *ad* vel *in* quem terminum actio cognoscitiva terminat; quique terminus est *aliquid extrasubiectivum*, et *realiter* distinctum a *Subiecto Generante* (i. e. intellectu cognoscente) attamen habet aliquo modo *naturam eamdem specifice* cum ipso intellectu cognoscente a quo concausatur:

— dum *voluntas* actualiter *operans* est quidem *Subiectum vivum;* item ab eadem voluntate *originatur actio viva* volitiva, *Amoris* scilicet aut *Odii;* sed ab ista actione volitiva *non causatur* **efficienter** *terminus aliquid vivus extravolitivus ad* vel *in* quem terminum actio

volitiva ordinatur, sed **tota** *illa actio volitiva* consistit in *motu* Amoris (seu *Accessus*) vel Odii (seu *Fugae*) eiusdem voluntatis *in,* vel *ab,* obiecto cognito tamquam bono *aut* malo eiusdem voluntatis. Constat.

Et ideo *Generatio* proprie dicta *viventis* **potest** etc. (Cfr. hic, o; item Lib. IV *Cont. Gent.* cap. 23; item Q. X *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2, o; item I. *Sent.*, Dist. XIII, art. 3 ad 2.m et 3.m; item I. Sent. *ad Hannibaldum,* Q. un. art. 3, o; item Caiet., et Bannez, *Com.* in h. a.; item Gazzaniga, *Praelect. Theol.,* Tom. III, Dissert. II, cap. 3.

124. Dixi in conclusione praecedente « **potest** quidem convenire **alicui** *intellectui* etc.». Nam si quaeratur: *Quinam* sit intellectus, cuius *Processio* sit *Generatio* proprie dicta *viventis,* respondendum est prout sequitur

Conclusio IV. Sola *processio ex parte divini intellectus est Generatio* **proprie dicta** *viventis.*

Nota. Est certa apud omnes

Prob. *Ratione theologica.* Revera **terminus** *qui* oritur per *Generationem* proprie dictam *viventis* debet, praeter alias quinque conditiones, esse **Substantia viva** et non **Accidens** aliquod vivum, sicut superius n.° 75, § I.a notavimus. — Unde illa **sola** processio intellectus est **vere** Generatio proprie dicta *viventis,* in qua processione **terminus** *qui* oritur non solum habet quinque ultimas conditiones *Generationis* proprie dictae *viventis,* sed etiam est quaedam *Substantia viva.* Illatio patet.

Atqui, considerando processiones intellectus Humani, intellectus Angelici et intellectus Divini, habemus quod **terminus** *qui* oritur per Processionem intellectus Humani aut Angelici est **Accidens** quoddam vivum exsistens respective in intellectu cognoscitivo Hominis aut Angeli; qui sane intellectus sunt *potentiae* quaedam vitales, ideoque *realitates* pure *accidentales:*

— dum **terminus** *qui* intime in Deo oritur per Processionem divini intellectus est **Substantia** ipsius Dei vivi tamquam *formaliter* cognita ab ipso Deo. Constat.

Ergo **sola** Processio Divini intellectus est *Generatio* proprie dicta *viventis.* Q. E. D. (Cfr. loc. cit.).

125. **Corollarium II.m** In duabus praecedentibus conclusionibus demonstravimus ex fontibus theologiae naturalis *causam veram* cur

soli divino intellectui et non divinae voluntati conveniat processio quae sit *Generatio* proprie dicta *viventis*.

Atqui Processio Verbi Dei ea est, quae convenit **soli** divino intellectui et non divinae voluntati : patet.

Et ideo per duas praecedentes conclusiones demonstrata manet rigorose *etiam* ex fontibus theologiae naturalis *vera causa* cur **sola** Processio Verbi Dei, non autem Processio divinae voluntatis, sit *Generatio* proprie dicta *viventis*. Q. E. D. Cfr. loc. cit.

126. **Obiic. 5.°** *Sicut Filius, ita Spiritus Sanctus, per* Processionem *a Deo Patre accipit* naturam divinam. *Unde sicut* Processio *Filii, ita* Processio *Spiritus Sancti, debet in Deo dici* **Generatio** *propria viventis*.

R. Nego consequens. Etenim « Processio Amoris, inquantum « huiusmodi, non habet, quod per ipsam natura aliqua communicetur « *(ipsi processo)* ; sed hoc habet inquantum est in divinis, ubi non « potest esse aliquid imperfectum. Et ideo Spiritus Sanctus secun- « dum rationem *(propriae)* processionis, communiter loquendo, non « habet quod communicetur sibi *(Divina)* natura. Et ideo talis pro- « cessio non potest dici *Generatio* secundum suam propriam ratio- « nem: ex ipsa enim ratione *Generationis* est quod natura *Genito* « communicetur. — Quamvis enim diversitas rationis non sufficiat ad « realem processionum differentiam, sufficit tamen ad differentem « nominationem » (I. *Sent.*, Dist. XIII, art. 3 ad 3.m Cfr. hic ad 2.m).

127. **Scholium II.m** « In divinis Processio, quae est per mo- « dum *intellectus*, non distinguitur a Processione quae est per mo- « dum *naturae* : distinguitur autem ab utraque Processio quae est « per modum *voluntatis*. — Et hoc propter tria

« Primo quidem : quia, sicut processio quae est per modum *natu-* « *rae* non praeexigit aliam processionem, ita nec processio quae est « per modum *intellectus* ; processio autem quae est per modum *vo-* « *luntatis*, de necessitate praeexigit processionem quae est per mo- « dum *intellectus*. (*Nihil namque possumus* amare *nisi fuerit* praeco- « gnitum).

« Secundo : quia, sicut *natura* producit aliquid in similitudinem « *sui*, ita et *intellectus*, tam **intra** quam **extra** ; *intra* quidem, sicut « *verbum* est similitudo *rei intellectae* et *intellectus* intelligentis « ipsum ; *extra* autum, sicut *forma intellecta* inducitur in *artificiatum*. « — Voluntas autem non producit suam similitudinem, nec **intus**, nec

« **extra ; intus,** quidem non, quia *Amor* qui est intranea processio « voluntatis, non est similitudo aliqua *voluntatis* vel *voliti,* sed *quae-* « *dam impressio relicta* in voluntate ex volito, au quaedam *unio* « unius *ad* alterum ; **extra** autem non, quia voluntas exprimit in ar- « tificiatum formam intellectam *prius quam* volitam *(prioritate)* se- « cundum ordinem rationis, unde *principaliter* est similitudo intelle- « ctus, licet *secundario* voluntatis.

« Tertio : quia processio *naturae* est tantum ab uno sicut ab « agente, si sit perfectum agens. — Nec obstat, quod in animalibus « generatur aliquid ex duobus, scilicet ex patre et matre ; nam solus « pater est agens in generatione, mater vero patiens. Similiter au- « tem processio *intellectus* est ab *uno solo,* sed *amicitia,* quae est « *amor mutuus,* procedit ex duobus *ad invicem* se amantibus » (Q. X. *De Potentia* inter *QQ. Dispp.,* art, 2 ad 11.m).

Art. V. Utrum sint plures Processiones in divinis quam duae.

128. Proponitur hic quaestio de *numero* Processionum realium Deo immanentium. Iamvero *duas* in Deo exsistere processiones huiusmodi, videlicet *generationem* et *spirationem* ostendimus artt. 1 et 4 h. q. Ergo evidenter huiusmodi processiones, in Deo exsistentium, non sunt *minus* quam *duae.* Superest nunc investigare

1.° An *de facto* exsistant *formaliter* in Deo aliae processiones reales immamentes praeter Generationem Verbi et Spirationem Spiritus Sancti ?

2.° An in Deo sint *possibiles* aliae huiusmodi processiones *praeter* Generationem et Spirationem ?

129. Movetur autem ista inquisitio *tum* ad constabiliendam christianam Fidem, *tum* ad evertendam insaniam Gnosticorum et petulantiam Socinianorum.

A) Gnostici equidem, a Valentino (saec. II) exorti, fabulam aeonum, a Nicholaitis (saec. I) haustam, in Deum transferentes innumeras processiones reales etiam in Deo posuerunt (Cfr. **Bergier,** *Dictionaire De Théologie,* v. Gnostiques).

B) « Moleste autem sciscitantur adversarii, praesertim Sociniani, « cur *duae* tantum in Deo sint processiones et non plures ; cum ta- « men in Deo omnia infinita sint et multa in Ipso attributa distin-

« guantur? Cur non etiam *tot* processiones, relationes et *personae* « *quot* attributa distinguantur?» (Knoll, Op. cit., Tom. I, § 107) — Cfr. Berti, Op. cit. Lib. VII, cap. 6, § *Alteratio.*

C) Pantheistae similiter, quum per divinas processiones intelligant emanationes creaturarum a divina substantia, propterea, quia a divina substantia identidem innumerae prodeunt creaturae, logice inferunt processiones divinas excedere omnem numerum.

D) « Durandus in I. *Sent.,* Dist. VI, q. 2.ª docet naturam divi- « nam esse nedum *radicale* sed etiam *proximum* et *immediatum* « principium divinarum processionum ob suam foecunditatem quae « ipsi convenit ratione infinitatis. Ex quo infert processiones in Deo « esse *(iuxta nostrum modum concipiendi) priores* actibus intelligen- « di et volendi, et fore in Deo esse, quamvis per impossibile non « esset intelligens. — Hic tamen auctor non sibi constare videtur, « nam ibidem, Dist. VII, Q. II, n. 26 asserit *solas* relationes esse « *principium quo* divinarum processionum ». Hactenus Gonet, *Clypeus Theol. Thom.* Tract. VI, Disp. II, art. 3, § 1.

E) Durandi positio coincidit cum ea quam habuit Abas Ioachim defendendo, quod in Sancta Trinitate *essentia divina* est *generans* seu principium *quo proximum* processionis divinae immanentis quae nominatur *Generatio* (Cfr. *Enchir.,* nn. 431 et 432).

F) In idem redit sententia eorum, qui cum Gabriele Biel (1. *Sent.,* Dist. VII, QQ. 1-3) tenent perfectionem aliquam Dei *absolutam,* puta *Bonitatem, Infinitatem, Intellectum* etc. esse principium *quo proximum* et *immediatum* processionum realium Deo immanentium. Cfr. Q. II. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2, o.

G) Nos pro rei veritate respondemus prout sequitur

130. **Conclusio I.** *Duae* **solae** *Processiones reales et immanentes, videlicet Processio Filii et Processio Spiritus Sancti, exsistunt* **de facto** *in Deo.*

Nota. Est Fidei dogma quod *solo* lumine divinae revelationis ostendi potest: etenim « quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus « Dei » (I. Cor. II, 11).

Prob. 1.° *Argumento Biblico.* Omnis Processio realis, intime in Deo exsistens, est in se completa et perfectissima; consequenter habet semper terminum *qui* procedit. Unde intime in Deo *tot numero* distinctae sunt processiones, *quot numero* distincti sunt termini procedentes. « Sed *(secundum S. Scripturam intime)* in Deo non

« sunt nisi duo procedentes, scilicet Filius et Spiritus Sanctus. Ergo « sunt ibi tantum duae processiones » (Hic *Sed. Cont.*), videlicet Processio Filii Dei et Processio Spiritus Sancti.

Ultima minor prob. Equidem Processio Filii a Deo Patre indicatur Ioan VIII, 42, ubi Christus de se, tamquam Deo, loquens ait ad Iudaeos : « Ego ex Deo **processi** et veni, neque enim a meipso veni, sed Ille me misit ». — Et similiter Processio Spiritus Sancti indicatur Ioan. X, 26 ubi Christus ait : « Quum autem venerit Para- « cletus, Spiritus veritatis qui a Patre **procedit,** Ille testimonium « peribebit de me ». Nec alibi fit mentio de alia processione divinae Personae. Unde vere secundum S. Scripturam in Deo sunt duo *soli* procedentes, Filius scilicet et Spiritus Sanctus. Q. E. D. (Cfr. Q. X *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2, § *Sed. Cont.*).

2.° *Ex Actis Conc-Later. IV,* cap. 2 *Damnamus* contra Abbatem Ioachim fit argumentum. Unaquaeque realis processio intime intra Deum exsistens, est essentialiter perfecta et infinite : unde habet terminum *a quo* oritur, ac terminum *qui* finit eam. Unde, si intime in Deo essent processiones reales *plus quam duae,* necesse est ut intime in Deo invenirentur termini *qui* procedentes *numerosiores quam duo.* — Consequenter si fiat hypothesis quod intime in Deo inveniretur ad minus *tres* processiones immanentes, *una* scilicet ex qua oritur Dei Verbum, *altera* ex qua oritur Spiritus Sanctus, et *tertia* ex qua oriretur Persona Innominata, tunc oportebit concedere quod intime in Deo inveniatur non Trinitas sed *Quaternitas* seu *quatuor* numero *divinae Personae,* nempe *Deus Pater, Deus Filius, Deus Paraclitus,* ac *Deus Innominatus.* Illatio patet.

Atqui istud consequens est haereticum, nam in cit. Conc. Later. IV Innocentius III *definivit* contra Abbatem Ioachimum, quod « in Deo « solummodo Trinitas est, non Quaternitas » (*Enchir.* n. 432).

Ergo haereticum est affirmare quod intime in Deo *non duae solae* Processiones reales et immanentes, sed ad minus *tres numero* distinctae inveniantur divinae Processiones reales, videlicet Processio Filii, Processio Spiritus Sancti, et Processio Innominata. Q. E. D. (Cfr. Lacordaire, confer. 48.e *De la vie intime de Dieu*).

131. Sit nunc

Conclusio II. *Impossibile omnino est, ut in Deo sint processiones reales immanentes* **plures numero** *quam* **duae,** *videlicet Generatio Filii et Processio seu Spiratio Spiritus Sancti.*

Nota. Salvo meliori iudicio, haec conclusio mihi videtur non posse *salva Fide* denegari.

Prob. *Rationibus theologicis. A*) Realitas *divinae substantiae* nihil ut PURE POSSIBILE *in semetipsa* habet sed TOTA *est in actu:* ac propterea in ipsa *realitate divina* quodcumque concipitur tamquam *possibile,* illud iam *est in actu;* et viceversa quodcumque in *realitate divina non exsistit actu,* illud iudicandum est tamquam Deo *absolute impossibile.*

Iamvero Processiones divinae *immanentes* pertinent ad realitatem divinae substantiae; quoniam quidquid intime in Deo invenitur, est substantia divina.

Ergo quum ostensum sit (Cfr. concl. praec.) in Deo non exsistere formaliter ac *de facto* processiones reales ac immanentes *plures numero* quam *duae,* restat ut omnino impossibile sit, ut in Deo etc. Q. E. D.

B) Praeterea processio omnis realis *immanens* attenditur in Deo secundum aliquam operationem eius *immanentem* (Cfr. n. 26), ac terminum aliquem realem producit *intra* ipsum Deum (Cfr. n. 99). Unde ad hoc ut essent possibiles in Deo processiones reales *immanentes* plures quam *duae,* oporteret *vel* α) ponere in Deo *aliam* operationem immanentem praeter *intelligere* et *velle, vel* β) affirmare ab *alterutra* harum operationum immanentium procedere *intra* Deum *plures* numero *realiter* distinctos terminos.

Atqui utrumvis consequens est impossibile.

Ergo intrinsece repugnat, seu est omnino impossibile, ut intra Deum formaliter exsistant aliae processiones reales praeter Generationem Verbi seu Filii Dei ac Processionem seu Spirationem Spiritus Sancti. — Illatio est clara. Probatur minor per partes.

I.ª PARS MIN. *Non est possibile* intra Deum *exsistere* realiter *aliam operationem* immanentem *praeter* intelligere *et* velle. Prob. verbis S. Thomae. Equidem « processiones in divinis accipi non possunt « nisi secundum actiones quae in agente manent *(Cfr. art. 1 h. q).* « Huiusmodi autem actiones in natura intellectuali et divina non sunt « nisi **duae,** scilicet *intelligere* et *velle.* Nam *sentire* quod etiam vi- « detur esse operatio *(manens)* in sentiente, (α) est extra naturam « intellectualem *(quia convenit etiam brutis et non Angelis),* (β) ne- « que totaliter est remota a genere actionum quae sunt *(transeuntes)* « ad extra: nam *(sicut operatio transiens perficitur per actionem*

« *procedentem ab uno in aliud, ita)* sentire perficitur per actionem « sensibilis in sensum. — Relinquitur igitur quod nulla alia processio « possit esse in Deo, nisi *Verbi et Amoris* » (Hic, o).

II.ª PARS MIN. *Non est possibile affirmare ab alterutra operationum Deo immanentium procedere* intra Deum *plures* numero realiter distinctos *terminos*. Prob. Omnis actio, *in Deo exsistens,* est *completa* et *perfecta*.

Sed omnis actio *completa* et *perfecta* habet evidenter *suum proprium terminum*.

Unde *quot numero* actiones in Deo exsistunt, *tot numero distincti* inveniuntur *termini proprii* earum actionum.

Atqui « sicut supra (Q. XIV, art. 5 et Q. XIX, art. 5) habitum « est, Deus uno simplici actu *(cognitionis)* omnia intelligit, et simili- « ter *(unico simplici actu voluntatis)* omnia vult. —

« Unde in eo non potest esse Processio Verbi ex Verbo, neque « Processio Amoris ex Amore : sed est in Eo solum unum Verbum « perfectum, et unus Amor perfectus. Et in hoc Eius perfecta fe- « cunditas manifestatur » (Hic ad 3.m).

132. **Obiic. 1.°** *Ens* essentialiter *infinitum est* unicum numero. *Atqui Processio divina immanens est ens* essentialiter *infinitum. Ergo ipsa est* unica numero.

R. Dist. mai. *Ens* essentialiter *infinitum,* et absolutum, *est* etc.: *Concedo. Ens* essentialiter *infinitum* et relativum *est* etc.: *Nego.* — Contradistinguo minorem ad sensum maioris : nego consequens ; et dico, quod, si ens aliquod fuerit realitas *absoluta* seu *non dicens* essentialem ordinem *ad alium terminum,* tunc vere istud ens, si fuerit *essentialiter infinitum,* non potest esse multiplex numero, sed est omnino *unicum numero* sicut superius Q. XI, artt. 3-4 agendo de divina substantia demonstravimus : ex eo scilicet quod in ea non adest **radix** multiplicitatis.

At, si ens aliquod includit *essentialem ordinem* ad alium terminum, et fuerit *essentialiter infinitum,* huiusmodi ens possidebit hanc essentialem infinitatem **commensurate** ad terminum ad quem ens illud dicit essentialem ordinem : nam omnes proprietates, quae alicui rei **simultanee** conveniunt, sunt semper ad invicem *commensuratae*. Constat.

Atqui Processio divina *immanens,* de qua tractamus, dicit essen-

tialem ordinem ad operationem Deo *immanentem* cum qua indissolubiliter connectitur

Et ideo Processio divina, quantumvis *essentialiter* infinita, nihilominus habet dualitatem ex hoc quod operationes Deo immanentes, cum quibus indissolubiliter connectuntur, sunt *duae* videlicet intellectio et volitio.

133. **Obiic. 2.°** *Quodlibet Dei attributum est summe in actu. Sed Processio comitatur actionem. Ergo in Deo* quot *attributa,* tot *processiones divinae.*

R. Dist. mai. *Quodlibet... in actu,* videlicet infinite perfectum: *Concedo; in actu,* videlicet principium alicuius actionis: *Nego* —Concedo minorem: nego consequens, et dico Processionem divinam comitare **solas** operationes *Deo immanentes,* sicut ex praedictis patet. — Modo attributa divina, seorsim spectata, *non omnia* sunt principia operationum *Deo immanentium;* ita ex. gr. Omnipotentia est quidem *attributum Dei,* at non est principium *actionis Deo immanentis:* patet. Et ita porro de aliis Dei attributis, exceptis intellectu et voluntate.

Unde non sequitur, quod intime in Deo **quot** numero attributa, **totidem** numero sint processiones reales immanentes.

134. **Obiic. 3.°** *Bonum est diffusivum sui. Ergo secundum* divinam bonitatem *attenditur etiam aliqua Processio seu* Diffusio Deo immanens.

R. Dist. antec. *Est diffusivum sui,* videlicet principium **immediatum** alicuius operationis: *Nego. Est diffusivum sui,* videlicet est principium ontologice capax ut per *congruas* sibi *potentias operativas* communicet se *alteri termino,* vel est ontologice capax ut *ametur* ab appetente et per *sui physicam coniunctionem* cum affectu appetentis *communicet* perfectionem aliquam eidem appetenti: *Concedo.* Nego consequens. Solutio patet ex verbis distinctionis, declaratur tamen exemplo. Ita ex. gr. *vinum* dicitur **bonum,** non ex hoc quod a se diffundat *operationem aliquam beneficam* in homines, sed dicitur **bonum** ex eo quod est **ex sese** i. e. ontologice **capax** ut ametur a sitiente, et etiam ex eo quod per *physicam* **sui** *coniunctionem* cum stomaco sitientis communicet huic stomaco perfectionem refocillationis a languore vel a siti.

135. **Scholium.** Nonnulli theologi (Cfr. Knoll, Op. cit. Vol. I, § 107, 3) ad calcem tractatus de divinis Processionibus, indolem ea-

rum exponunt, proponendo notas earum *proprias*. Sunt autem quinque huiusmodi dotes, videlicet

1.° *Immanentia,* quoniam termini harum processionum sunt per περιχώρησιν invicem ordinati, ita ut unus sit in altero; iuxta illud Christi ad Iudaeos: « Pater in Me est, et Ego in Patre » (Ioan. X, 38).

2.° *Substantialitas;* quoniam singuli termini, ad quos istae Processiones se protendunt, sunt Personae divinae, ideoque divina substantia.

3.° *Absoluta necessitas.* Etenim termini divinarum Processionum *ex necessitate divinae naturae* procedunt, inquantum scilicet Deus Pater *necessario* gignit Verbum, et rursum Pater et Filius *necessario* spirant Spiritum Sanctum, quemadmodum Deus *necessario* seipsum *intelligit* et seipsum *amat*.

4.° *Aeternitas.* Revera operationes, secundum quas Deus se intelligit et amat, sunt Deo coaevae. Sed secundum has operationes attenduntur divinae Processiones immanentes. Ergo vere Processiones in Deo exsistentes dotem aeternitatis habent. Hinc illud encomium de divina Sapientia: « *Ab aeterno* ordinata sum, et *ex antiquo* « antequam terra fieret » (Prov. VIII, 23).

5.° *Simplicitas* et *perfectio metaphysice summa.* Etenim Processiones, de quibus nunc tractamus, exsistunt *formaliter* in solo Deo qui est summe simplex et perfectus. Patet.

QUAESTIO XXVIII

DE RELATIONIBUS DIVINIS

136. **Prologus.** Ad omnem realem operationem sequitur relatio aliqua *realis* inter agens et passum, seu inter *procedentem* et *eum a quo procedit* (Cfr. art. 1 h. q.). Quum igitur in Deo exsistant realiter operationes aliquae reales et immanentes super quas divinae processiones fundantur (Cfr. Q. praec. nn. 26 et 30, sqq.) inquirendum superest de *relationibus realibus,* si quae sint in divinis, inter *procedentem,* et *eum a quo procedit.*

137. Quaestio sane *gravissima* et *obscurissima:*

α) *Gravissima* quidem, quoniam doctrina de divinis relationibus inservit ad illustranda dogmata catholica de *constitutione, distinctione* nec non *perfecta aequalitate* Personarum Smae. Trinitatis.

β) *Obscurissima* vero est praesens inquisitio 1.° quoniam *relatio,* suapte natura, est debilissimum ens quod aciem subterfugit animae contemplantis illud : 2.° quoniam notio *relationis,* quum in divinam transfertur praedicationem, suam naturam *quodammodo* mutat, redditurque *substantia* sicut Boëthius in Lib. *De Trinit.* sapienter observat.

Facem tamen in hac perdifficili controversia praeferente Angelico Doctore, tria de hisce relationibus exponemus, nimirum

1.° An exsistant in Deo aliquae relationes *reales* (art. 1 h. q.).

2.° Quid sint (art. 2 h. q.)

3.° Quot sint numero (artt. 3-4 h. q.).

Art. I. Utrum in Deo sint aliquae relationes reales.

138. De relationibus inter *Creaturas* et *Creatorem* actum est superius Q. XIII, art. 7: unde heic fit solummodo quaestio de *relationibus* quae exsistunt inter divinas Personas. Quare, sicut declaratum fuit art. 1 Q. praec., τὸ *in Deo sint*, exponi debent ac si diceretur « exsistant formaliter in his quae sunt essentialiter verus « Deus » (Cfr. Caiet. et Nazarius, *Com.* in h. a.). Videlicet titulus h. a. habet hunc sensum

Utrum aliquae relationes reales exsistant formaliter in his quae sunt realiter Deus?

139. Ad cuius quaesiti solutionem declarare oportet *quid* et *quotuplex* sit *Relatio.* — Haec vero ab omnibus philosophis ac theologis solet definiri *Ordo seu Habitudo unius rei ad aliam.* Huiusmodi est ex. gr. *Paternitas* videlicet *relatio Patris* ad *Filium ;* item *Servitus* videlicet *subordinatio unius creaturae* ad *aliam quae nominatur Dominus ;* etc. (Cfr. Vol. I, nn. 766 et seqq,).

140. **Corollaria.** Ex praedicta notione Relationis deducitur 1.° quod ipsa *ex suo proprio genere,* quum sit *Ordo* quidam, est propterea *Bonum* (Cfr. Q. V, art. 5, o), et *perfectio* (Ibid., art. 1, o), sicut recte sensit Gabriel Biel (I. *Sent.,* Dist. VII, q. 3.ª) contradicentibus Capreolo (Ibid., Q. I, ad 3.m § *contra 1.m conclus.*) et

Caietano *(Com.* in seq. art. § *Ad tert.)*. Unde nihil mirum, si aliquae Relationes *reales* intra Deum de facto exsistant.

2.° Deducitur *Relationem omnem* complecti *essentialiter* tria elementa, videlicet

α) *Subiectum,* seu *rem* ad *quam* alia refertur,

β) *Terminum,* seu *rem quae* ad Subiectum refertur, et

γ) *Fundamentum,* seu *Causam propter quam* terminus ad Subiectum eiusdem Relationis refertur.

Subiectum et *terminus* dicuntur *extrema* Relationis; *Fundamentum* vero *Medium.*

141. Varie distinguitur Relatio, videlicet

A) alia dicitur *creata* et alia *increata.*

α) Relatio *creata* est *vel* ordo unius *creaturae* ad aliam *creaturam* puta Abelis *ad* Adam, *vel* ordo unius *creaturae* ad *Deum* ex. gr. Adami *ad* Deum.

β) Relatio *increata* est ordo unius *divinae Personae* ad aliam *divinam Personam* utputa Dei Filii *ad* Deum Patrem, prouti catholica docet Fides. — Adhuc

B) Relatio distinguitur in *transcendentalem* ac *praedicamentalem.*

α) Relatio *transcendentalis* (quae a veteribus relatio *secundum dici* nominabatur) est ordo seu relatio *imbibita* in *essentia alicuius rei* et hanc referens ad *alteram rem;* seu est *entitas quaedam absoluta* connotans *essentialiter* aliquid *extrinsecum* et in ordine ad quod *exigit* definiri. Huiusmodi est ex. gr. relatio *partis* ad *totum,* item *potentiae* ad *actum,* item *agentis* ad *passum,* etc. Ideo autem relatio ista nominatur *transcendentalis* quia non constituit *unum* determinatum *praedicamentum* sed quodammodo vagatur per *omnia praedicamenta.* Quaelibet enim res, posita sub praedicamento, aut *agit* in alteram, aut *patitur* ab altera, aut est *pars* essentiae alicuius rei, aut certe est *pars* universi.

β) Relatio *praedicamentalis* (quae etiam relatio *secundum esse* nominatur) est *ordo* ad *aliud* qui ordo non constituit *essentiam* alicuius *extremi,* neque *in tali essentia* necessario *imbibitur,* sed *advenit* accidentaliter *essentiae* talis extremi ad hoc ut *ad aliud* referatur. Ex. gr. *Paternitas* in Socrate est *Relatio praedicamentalis,* quia Paternitas non constituit essentiam Socratis, neque imbibitur *necessario* in essentia Socratis, sed advenit *accidentaliter* naturae Socratis et hunc refert ad filium Socratis. — Ista relatio solet definiri

Accidens reale, cuius tota entitas *est* ad aliud *se habere.* Explicatur. Dicitur

1.° *Accidens;* quoniam relatio *praedicamentalis* invenitur in *solis* creaturis et continetur sub genere *supremo* Accidentis, sicut patet de *Paternitate creata,* de *Servitute,* de *Similitudine,* de *Aequalitate,* etc.

2.° Additur *reale;* quoniam sub *praedicamento* locantur *directe* non quidem *entia rationis* sed solum *realia.*

3.° Adduntur verba « *cuius tota entitas* » ut innuatur differentia relationis *praedicamentalis,* de qua tractamus, a relatione *transcendentali.* Etenim entitas relationis *transcendentalis* est aliquid *absolutum* connotans *ordinem* ad *aliud;* dum e contra in relatione *praedicamentali* tota essentia eius, per quam scilicet essentiam constituit *speciale praedicamentum,* consistit in τὸ *referre unum extremum* ad *alterum* (Cfr. I. *Sent.* Dist. XXXII, art. 1 ad 1.m).

4.ª Reliqua verba « *ad aliud se habere* » ponuntur in definitione relationis praedicamentalis ut indoles eius *propria* declaretur (Cfr. P. I, Q. XIII, art. 7 ad 1.m).

142. **Scholium I.**m Relatio praedicamentalis, quoniam est *una* ex novem categoriis *Accidentis* (in quas scilicet *analogice* dividitur *genus supremum* Accidentis) potest propterea considerari

primo quoad *notionem genericam* accidentis, et sub hac consideratione dicit τὸ IN seu exprimit *inhaesionem aptitudinalem* in subiecto quod ea relatio refert ad aliud.

Secundo considerari potest relatio praedicamentalis quantum ad *propriam rationem specificam,* per quam scilicet relatio praedicamentalis *differt* ab aliis octo categoriis accidentis: et sub ac consideratione relatio praedicamentalis dicit τὸ AD videlicet *referentiam* seu *ordinem subiecti* (in quo talis relatio invenitur) AD *aliud.* Et propter hoc huiusmodi relatio ab Aristotele in Lib. *De Categoriis* intitulatur πρὸς τί sive *ad aliud.*

Relatio sub conceptu IN est igitur relatio *praedicamentalis* considerata quoad *notionem genericam* Accidentis: dum relatio sub conceptu AD est eadem relatio *praedicamentalis* spectata quantum ad *elementum eius specificum* vel differentiale (Cfr. Caiet. *Com.* in h. a. et QQ. seqq.).

143. **Scholium II.**m Ad hoc ut aliqua relatio sit vere *praedicamentalis,* quatuor conditiones debet habere (Cfr. S. Thom. Op. XLII).

« **Prima** est ut habeat *subiectum reale :* accidens enim *reale* exi-« git etiam subiectum *reale.*

« **Secunda** est ut habeat rationem fundandi seu *fundamentum* « *reale :* fundamentum enim est veluti causa relationis. Unde, cum « *effectus* realis exigat *causam* realem, ut relatio sit realis, *eius* « *fundamentum* debet esse *reale.*

« **Tertia** est ut habeat etiam *terminum realem.* Cum enim relatio « consistat *in ordine ad suum terminum,* ut *realis ordo* realiter resul-« tet, oportet ut *realiter* ponatur *terminus.*

« **Quarta,** ut *extrema,* idest *Subiectum* et *Terminus, realiter* distin-« guantur : non enim datur *eiusdem* relatio *(realis) ad seipsum* ». Hactenus Goudin, Logicae Maioris, I. P., Disp. II. Q. IV, art. 1.

144. Alia divisio relationis est in *Realem, Logicam* et *Mixtam.*

Relatio *realis* est *ordo unius rei* ad *aliam,* causatus *ex ipsa rerum natura* **independenter** a qualibet *operatione nostri intellectus.* Huiusmodi est Relatio *Patris* ad *Filium, Domini* ad *Servum, Partis* ad *Totum* etc. (Cfr. hic, o; item supra Q. XIII, art. 7, o; et I *Sent.,* Dist. XXVI, Q. II, art. 1, o ; et Q. VIII *De Pot.* inter *QQ. Dispp.,* art. 1, o).

Relatio *logica,* seu *rationis,* est *ordo unius* ad *alterum* attributus *eisdem ab intellectu cogitante,* ut puta quum dicimus *Idem eidem idem.* Nam secundum quod ratio apprehendit *bis* aliquod *unum,* statuit illud ut *duo,* et sic apprehendit quamdam habitudinem *ipsius* ad *seipsum.* Et similiter est de relationibus quas nostra ratio ponit inter *Ens* et *Non ens,* inter *Genus* et *Speciem,* inter *Speciem* et *individua* etc. (Ibid.).

Relatio *mixta* est illa, in qua *unum* extremum ex sui propria natura, seu **independenter** *a quavis consideratione nostri intellectus,* refertur ad *alterum* extremum ; ita tamen ut *hoc alterum* extremum **nonnisi dependenter** *a consideratione nostri intellectus* dicit ordinem ad *primum extremum.* Huiusmodi est relatio *scientiae nostrae* ad *res naturales.* Equidem scientia nostra importat *relationem realem* ad res naturales ; nec enim definiri aut esse potest *Scientia* independenter a *rebus scibilibus* seu naturalibus : attamen huiusmodi res naturales important **solam** *relationem rationis* ad nostram scientiam, ex eo quod noster intellectus apprehendit illas res tamquam *terminum* relationis nostrae scientiae (Cfr. loc. cit.).

145. **Inferes** 1.° Entitas, attributa rebux *per considerationem*

nostri intellectus, est *ens rationis ;* dum entitas seu formalitas, quae est in rebus *independenter a consideratione nostri intellectus,* est *ens reale.* Si itaque relatio *realis* non dependet a consideratione nostri intellectus ; dum relatio *rationis* dependet *totaliter* a consideratione nostri intellectus ; et relatio *mixta* dependet *partialiter* a consideratione nostri intellectus (Cfr. n. praec.) sequitur, quod

si *duo extrema* (idest *Subiectum* ac *Terminus*) relationis per *relationes reales* se respiciant, oportet in utroque extremo inveniri *entitatem* aliquam *realem* per quam *unum* refertur ad *aliud :*

si autem *duo extrema* per *relationis rationis* se respiciant, tunc in utroque extremo non invenitur nisi *entitas purae rationis* per quam unum eorum consideratur tamquam *relatum* ad aliud :

demum si *duo extrema* per *relationem mixtam* se respiciant, hoc invenitur ut in *uno* extremo relatio sit *realis,* in *altero* autem extremo relatio est solummodo *rationis.*

Atqui duo *entia realia,* vel duo *entia rationis,* sunt semper *eiusdem* ordinis, *realis* videlicet aut *rationis :* e contra synthesis terminorum quorum unus est *realis,* alter vero *rationis,* est *diversi* ordinis, uti patet.

Et ideo habemus, quod termini, qui sunt relativi per relationem, ex *utraque* parte *realem* aut *rationis,* sunt *semper* in eodem ordine, nimirum aut ambo in ordine *reali,* aut ambo in ordine *rationis :* e contra termini relativi per relationem *mixtam* non inveniuntur ambo in eodem ordine, sed unus eorum est in ordine *reali,* alter vero in ordine *logico,* seu *rationis.*

2.° Atqui omnes tres Personae S.mae Trinitatis sunt in eodem ordine tum *naturae* tum *dignitatis.* Et ideo ex hoc capite *non est impossibile* relationem aliquam *realem* inveniri inter eas.

3.° Rursum Deus multo magis *diversi ordinis* est a creatura, quam *ens reale creatum* diversificatur ab *ente rationis ;* quia haec duo posteriora conveniunt in *Genere supremo* entis finiti, dum Deus est *extra* ac *supra omne Genus* (Cfr. P. I, Q. III, art. 5, o). Et ideo *Deus* et *Creatura* nequeunt esse termini *relativi* per relationem *utrinque realem* aut per relationem *utrinque rationis,* sed sunt termini *relativi* per relationem *mixtam* (Cfr. n. praec.) ; inquantum scilicet in creaturis est *relatio realis* ad Deum, in Deo vero non est aliqua *relatio realis* ad creaturas sed *secundum rationem tantum,*

inquantum creaturae referuntur ad Ipsum (Cfr. P. I, loc. cit.). — Exinde

4.° Novae relationes *mixtae* possunt exsurgere inter *Deum* et *Creaturas* absque ulla *mutatione physica* Dei. — Equidem ad ut *nova relatio mixta* contingat inter *Deum* et *creaturas*, sufficit quod in creaturis incipiat **nova** relatio *realis* relate ad Deum, in Deo autem incipiat **nova** relatio *rationis* per ordinem ad illam creaturam. — Atqui *novae relationes rationis*, cognitae a mente nostra in ipso Deo, non ponunt *realem compositionem* neque *physicam mutationem* in Ipso : patet. — Ergo **novae** relationes *mixtae* inter Deum et creaturas possunt exsurgere *absque ullo detrimento* divinae immutabilitatis. — Quod quidem qualiter contingat, apparet exemplo deducto ex relationibus *dextri* et *sinistri*, quae contingunt inter *columnam* et *animal*. Sicut enim columna fit *dextra* animali absque ulla mutatione physica exsistente in columna sed **solum** per translationem animalis ex *dextero* in *sinistrum* columnae, ita et nova relatio *mixta* exurgit inter Deum et creaturas per **solam** mutationem physicam creaturae, Deo immobiliter in se permanente (Ibid.).

146. **Scholium III.**m Ut aliqua relatio sit *realis*, quatuor conditiones debet simultanee habere.

α) **Prima** conditio est ut *utrumque* relationis *extremum* sit *ens reale*. Equidem, si unum talium extremorum fuerit *ens rationis* seu res a *sola* consideratione nostrae mentis dependens, tunc relatio **huius** termini ad **alterum** extremum erit fundata in ipso *ente rationis*, ideoque dependens a consideratione nostri intellectus, ac propterea erit vel relatio *mixta* aut relatio *rationis*.

β) **Altera** conditio est: ut *fundamentum relationis* sit *reale* (i. e. independens a consideratione nostri intellectus) *in utroque extremo*. — Nam si in *uno extremo* huiusmodi *fundamentum* esset *ens rationis*, tunc relatio inde scaturiens in tali *extremo* esset quoque *ens rationis*. Et sic non haberemus ad summum nisi relatio *mixta* inter talia extrema : quod est contra hypothesim de qua tractamus.

γ) **Tertia** conditio est : ut *extrema rationis sint invicem* realiter *distincta :* secus haberemus *relationem* eiusdem *ad* seipsum ; quae relatio evidenter non est *realis* sed *rationis :* quod est contra hypothesim de qua tractamus.

δ) **Quarta** conditio est : ut tam in *uno* quam in *altero* extremo *formalitas* sive *ordo*, per quem *unum* extremum refertur ad *alterum*

extremum, sit entitas *realis* sicut in n. praec. § 1.° ostensum fuit.

147. **Scholium IV.**m Ad hoc ut *relatio* aliqua sit *logica* seu *Rationis,*

primo non requiritur, ut *unum extremorum* sit *ens reale,* sed ambo possunt esse *ens rationis.* Revera quum dico *Circulus quadratus* est *non-ens,* evidenter ego inter τὸ *Circulus quadratus* atque τὸ *non-ens* pono *relationem logicam* seu *rationis* per modum *Subiecti* et *Praedicati ;* et constat *neutrum* extremorum esse *ens reale.*

Secundo non requiritur, ut *fundamentum* PROXIMUM *talis relationis in aliquo extremorum* sit *ens reale,* quinimo est **omnino necessarium** ut tale fundamentum sit *ens rationis* causatum *ex consideratione nostri intellectus :* siquidem relatio, de qua nunc agimus, est *logica* seu *Rationis,* non autem *realis* neque *mixta.*

Tertio non requiritur ut *extrema* realiter invicem *distinguantur.* Etenim *relatio rationis* vigere potest etiam inter duo **sola ratione** invicem distincta, sicut quando dico *Idem est eidem idem.*

Quarto tamen REQUIRITUR, ut respectus uniuscuiusque *extremi* ad *alterum extremum* sit *entitas rationis.* Constat ex ipsa definitione relationis Rationis.

148. **Scholium V.**m Ad hoc ut relatio aliqua sit *mixta,* necesse est ut *cumulative* verificentur sequentes conditiones.

Prima est ut in *uno* extremo sit relatio aliqua *realis* dum in *altero* sit relatio pure *logica.* Constat ex definitione relationis mixtae (Cfr. n. 144).

Altera conditio est, ut extrema *realiter* inter se distinguantur. Quum enim in *uno* extremo debeat esse relatio *realis* ad *alterum* et quum non sit possibile dari *veram* relationem realem *unius* ad *seipsum* (Cfr. n. 144), pronum est concludere in relationibus *mixtis* extrema *distingui realiter* inter se.

Tertia conditio est, ut *fundamentum* huius Relationis, ex parte **unius** extremi sit entitas *realis ;* quoniam ex tali fundamento causatur in eo extremo *relatio realis* ad alterum. Semper enim *causa* est *realis,* quando eius *effectus* est etiam realis. Patet.

Quarta conditio est, ut *unum* saltem *extremorum* (illud scilicet in quo invenitur *realis relatio* ad alterum) sit *ens reale.* Constat siquidem qualiter in ente non-reali nequeat subiectari relatio *realis.*

149. Adhuc etiam Relatio realis (Cfr. n. 144) distinguitur in *Mutuam* et *Non-Mutuam.*

α) *Realis mutua* vel *stricte mutua* dicitur relatio, quando in singulis extremis invenitur *realis* habitudo ad alterum extremum. Huiusmodi est Relatio « *Paternitas-Filiatio* » item « *Dominatio-Servitus* », et similia.

β) *Realis non mutua* est ipsa relatio *mixta* (Cfr. n. 144) in qua scilicet verificatur quod *unum* extremum per relationem *realem* refertur ad *alterum;* hoc vero *alterum* per relationem *logicam* refertur ad *primum* (Cfr. hic ad 2.m).

150. **Scholium VI.m** Quoniam relatio realis *mutua* est **stricte** *realis,* ideo ipsa exposcit quatuor conditiones necessarias pro relatione reali (Cfr. n. 146). Similiter, quia relatio *non mutua* coincidit cum relatione *mixta,* ideo easdem ac ista conditiones necessario requirit (Cfr. n. 148).

151. Relatio *realis-mutua* subdistinguitur in relationem *aequiparantiae* et relationem *disquiparantiae.*

Relatio *aequiparantiae* adest inter duo extrema quando *eodem nomine* appellatur relatio exsistens tam in *uno* extremo quam in *altero.* Huiusmodi relatio est *Aequalitas, Similitudo,* etc.

Relatio *disquiparantiae* nominatur habitudo mutua duorum extremorum, quando *diverso nomine* appellatur relatio exsistens in *uno extremo* ab ea quae exsistit in *altero extremo.* Huiusmodi relatio est habitudo *Patris* ad *Filium, Domini* ad *Servum* etc. In his enim habitudinibus verificatur, quod dum in *uno extremo* adest *Paternitas* vel *Dominatio,* in *altero* invenitur *Filiatio* vel *Servitus.* Patet.

152. His praemissis, ponitur

Lemma I.m *Semel demonstrato quod intime in Deo exsistant aliquae* PROCESSIONES reales immanentes, *necessum est fateri quod intime intra Deum exsistant* **realiter** RELATIONES aliquae reales, *videlicet* τὸ AB ALIO ac τὸ ID A QUO ALIUS.

Decl. Etenim semel demonstrato, quod intime in Deo exsistant aliquae PROCESSIONES reales immanentes, tunc necessum est consequenter fateri quod intime intra Deum exsistant realiter τὸ *procedens ab alio,* ac τὸ *id a quo procedens procedit:* hoc patet ex terminis.

Iamvero *procedens ab alio* includit RELATIONEM hanc realem, videlicet τὸ *ab alio ;* similiter *id a quo procedens procedit* includit RELATIONEM hanc realem videlicet τὸ *a quo alius.* Patet.

Ergo vere *semel demonstrato* etc. (Cfr. hic, o, et n. 155).

153. Ex lemmate praecedente apparet, quod Angelicus sapienter non de exsistentia *aliquarum* relationum, sed de exsistentia relationum *realium,* in Deo disquirit in h. a. Etenim prima inquisitio fuit soluta Q. praec. art. 1. — Et praesens inquisitio est necessario facienda, quoniam *relatio* ex proprio genere potest esse *realis* aut *logica,* sicut ex superioribus patet; esset autem superflua si relatio *ex suo genere* non posset esse nisi realis: tunc enim sufficeret demonstrare, quod in Deo exsistant *relationes* ut illico concluderetur eas esse *reales* (Cfr. Ianssens, *Com.* in h. a.).

154. Occurrit tamen hoc in loco praevio controversia. Ex historia enim philosophiae compertum habemus veteres Stoicos, Zenonem quoque, Avicennam (n. 980, m. 1037), Averrhoen (n. 1126, m. 1198. — Cfr. eius *Com.* 19 in XI *Metaph.*), Loque, Hume, Kant et plures alios tenuisse *omnem* relationem esse *ens rationis.* Cfr. art. seq. et Q. VIII. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.,* art. 1, o.

Aureolus (m. 1322) autem et Nominales concessere quidem relationes, quas Fides in Deo praedicat, esse *vere reales;* at affirmant simul *omnem relationem,* quae formaliter attribuitur creaturis, esse *ens rationis.*

Communis autem philosophorum ac theologorum sententia docet prouti sequitur

Lemma II.m *Relationes, quae* formaliter *ac* vere *attribuuntur rebus* actu exsistentibus, *sunt ens aliquod reale.*

Prob. *Ratione naturali.* Etenim illud, quod formaliter ac vere attribuitur rebus actu exsistentibus, est ens quoddam reale.

Sed *Paternitas, Filiatio, Similitudo, Aequalitas,* etc. sunt evidenter res quae vere ac formaliter attribuuntur rebus actu exsistentibus, utputa *Petro,* etc. Patet.

Ergo *Paternitas, Filiatio, Similitudo, Aequalitas,* etc. sunt vere ens quoddam reale.

Modo *Paternitas, Filiatio, Similitudo, Aequalitas,* etc. sunt evidenter relationes quaedam.

Ergo *relationes quae* formaliter etc. (Cfr. hic, o et loc. cit.).

155. Hoc errore remoto, haeretici nonnulli, licet concederent in rebus finitis relationes quasdam *reales* inveniri, negarunt tamen inter divinas Personas *relationes aliquas reales* exsistere. Et hi haeretici (Cfr. S. August. Lib. *De Haeresibus,* haer. 41) post Praxeam et Hermogenem (saec. II) ac Noetum (initio saec. III) communiter Sa-

belliani a Sabellio, Ptolemaide in Libia nato, vocantur. Quum enim Sabellius *unicam* Personam realem in Deo posuerit, quae scilicet ob *diversa officia* quae exequebatur, *diversa nomina* puta *Patris* aut *Filii* aut *Spiritus Sancti* sortiretur, collegit inde *Paternitatem, Filiationem,* et *Spirationem* in divinis non esse *tres relationes reales* (Cfr. hic, o et Q. praec. art. 1). Legesis **Bergier,** *Diction. de Théol.* v. Sabelliens. — Contra istam haeresim ponitur

Conclusio. *Relationes aliquae* reales *exsistunt formaliter* in *Deo:* seu *Relationes, quae* secundum Processiones divinas *accipiuntur inter divinas Personas, sunt reales*

Nota. Est Fidei dogma (Cfr. I. *Sent.,* Dist. XXVI, Q. II, art. 1, o; et Q. VIII *De Pot.* inter *QQ. Dispq.,* art. 1, o).

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura. A*) S. Paulus (Ephes. III, 15) scribit: « Flecto genua ad Patrem Domini Nostri Jesu Christi, ex quo « *omnis Paternitas* in coelis et in terra nominatur ». Ex quo testimonio habemus *Paternitatem,* quae est in Deo Patre, esse *causam primam* exemplarem et efficientem ex qua derivatur omnis Paternitatis quae in creaturis invenitur: ideoque Paternitas est *perfectior* in Deo Patre quam in creaturis.

Atqui in creaturis *Paternitas* est relatio quaedam *realis* Patris ad Filium.

Ergo a fortiori Paternitas, quae in Deo invenitur, est relatio aliqua realis. Consequenter relationes quaedam reales exsistunt formaliter in Deo (Cfr. Q. et art. cit. *De Pot.* § *Sed Cont.*).

B) Praeterea in divinis est verus *Deus Pater,* verus *Deus Filius,* ac verus *Spiritus Sanctus,* sicut ex superioribus S. Scripturae testimoniis patet.

Atqui « *Pater* non dicitur nisi a *Paternitate,* et *Filius* a *Filiatione.* « Si igitur *Paternitas* et *Filiatio* non sunt in Deo realiter, sequitur « quod *Deus* non sit realiter *Pater* aut *Filius,* sed secundum ratio- « nem intelligentiae tantum: quod est haeresis Sabelliana » (Hic *Sed Cont.*) Ut ergo haeresis Sabellii devitetur, fatendum est quod *Paternitas* et *Filiatio* sint in Deo *realiter.* — Hae autem sunt evidenter *relationes* quaedam *reales.* — Ergo etc. (Cfr. Suárez, Lib. V *De Trinit.,* cap. 1; et Valentia in h. a.).

2.° *Ex Ss. Patribus.* Hi siquidem constanter affirmant contra ethnicos, Arianos et Sabellianos relationes quasdam *realiter exsistere* in divinis Personis, *vel* causare *realem distinctionem* inter divinas

Personas, *vel* esse *proprietates relativas* divinarum Personarum.

Stultum est autem existimare *relationem rationis,* a *solo* nostro modo cogitandi dependentem, exsistere *realiter* in divinis Personis, *vel* causare *realem distinctionem* inter illas, *vel* esse eorum *proprietates relativas.* Patet.

Ergo Fides Ss. Patrum est relationes aliquas *reales* exsistere formaliter in divinis Personis. — Illatio est clara. — Maior autem probatur, colligendo dicta S. Patrum.

A) Boëthius (Lib. *De Trinit.,* cap. 6) scribit: « Facta quidem est « *Trinitatis numerositas* in eo quod est praedicatio *relationis,* servata « vero *unitas* in eo quod est *indifferentia* vel *substantiae,* vel *opera-* « *tionis* vel omnino eius quae *secundum se* dicitur praedicationis. « Ita igitur *Substantia* continet *unitatem, Relatio* multiplicat *Trinita-* « *tem* ». Videlicet *solae* relationes mutuae divinarum Personarum sunt causa realis distinctionis et multiplicitatis inter eas.

B) S. Augustinus (Lib. V. *De Trin.,* cap. 5) praeivit Boëthio scribens: « Quamvis diversum sit *Patrem* esse et *Filium* esse, non « est tamen diversa *substantia,* quia haec non secundum *substantiam* « dicuntur sed secundum *relativum:* quod tamen relativum non est « *accidens* quia non est *mutabile* ». Eadem habet S. Doctor ibid. capp. 7 et 11; item Lib. XV *De Trinit.* capp. 3-7; Tract. XXXIX *in Ioan.* n. 4; et alibi *cont. Arianos.*

C) S. Fulgentius *(Resp. adv. Arianos)* scribit: « *Pater* et *Filius* « relativa sunt nomina, quae *naturam* gignentis genitique non sepa- « rant, sed *unam* sine dubitatione significant. *Relativum* autem illud « dicitur, quod *ad aliud* agnoscendum referimus, ut, dum *unum* no- « minamus, *aliud* demonstremus ». Videlicet in divinis Pater et Filius *realiter* quidem distinguuntur inter se, *relative* tamen.

D) Isidorus Hispalensis (Lib. *De Different.* differ. 2) ait: « In « *relatione* Personarum **Trinitas** est, in *substantia* vero naturae « **unus** Deus est, Pater scilicet et Filius et Spiritus Sanctus ».

E) S. Anselmus (Lib. *De Fide Trin.,* cap. 3) inquit: « Non sic « sunt *Pater* et *Filius* duae res, ut in his duabus rebus intelligatur « eorum *substantia,* sed eorum relationes ». Videlicet *realis dualitas* inter Deum Patrem ac Deum Filium non attenditur penes *essentiam Deitatis* sed unica penes *relationes* secundum quas mutuo se respiciunt: et ideo *solae* relationes *Paternitas* et *Filiatio* ponunt *realem distinctionem* inter Deum Patrem ac Deum Filium. — De mente

S. Anselmi erudite discutit Cl. P. Ianssens, O. S. M., *Com.* in h. a.

F) S. Gregorius Nazianzenus (*Orat. theol. V,* n. 14) scribit: « Neque Filius est Pater, *unus* enim est Pater, sed est *id quod* Pa- « ter; nec Spiritus est Filius, quia ex Deo est, *unus* enim Unigeni- « tus, sed est *id quod* Filius: tria haec (*Pater, Filius et Spiritus* « *Sanctus*) *unum* si divinitatem spectes, et unum *tria* si proprietatum « (*i. e. relationum*) rationem habeas; ut nec *unum* Sabellio faveat, « nec *tria* pestiferae divisioni quae (*inter Eunomianus*) hac tempe- « state viget». Vide S. Doctorem sentire **solas** proprietates relativas ponere realem distinctionem inter divinas Personas. — Similia habet contra Arianos *Orat. XXIX,* n. 16.

G) S. Gregorius Nyssenus (Epist. *ad Ablabium*) scribit: « quod, « si quis nostram doctrinam (*de consubstantialitate Filii cum Patre*) « calumnietur, ac si eo quod nullum discrimem secundum *naturam* « admitat, permixtionem et confusionem *hypostasum* introducat, hoc « contra criminatores respondebimus, nos sic *naturam, diversitatis* « *expertem,* confiteri, ut non negemus differentiam qua *unus* princi- « pium est, *alius* a principio, quippe qua solummodo *alterum* ab « *altero* differre concipimus ». Videlicet *relationem mutuam* Patris *ad* Filium ipse retinet tamquam unicum principium realis distinctionis inter utramque divinam Personam.

H) S. Ioan. Damascenus (Lib. I. *De Fide Ortodoxa,* cap. 10) scribit de Deo: « Haec omnia (*i. e. nomina et preadicata*) commu- « niter in tota divinitate accipienda sunt, atque eodem modo et sim- « pliciter et individue omninoque coniunctim; distinctim autem Pater « et Filius et Spiritus Sanctus, item *causam* et *causatum,* et *ingeni-* « *tum* et *genitum* et *procedens*: quae quidem non eiusmodi sunt, ut « *naturam* denotent, sed *mutuam* inter se *Personarum relationem* « ac *exsistendi modum* ». Videlicet S. Damascenus retinet relationes mutuas divinarum Personarum esse *unicum* principium distinctionis *realis* inter eas.

— Similia docent S. Basilius (Ep. CXLIX *cont. Eunomianos*), S. Epiphanius (Lib. *Adv. Haereses*, haer. 62, n. 5, et haer. 69, n. 52), etc.

3.° *Ex Conciliis* eodem modo ac ex dictis Ss. Patrum deducitur argumentum pro nostra conclusione. Verba Conciliorum adduco:

A) Toletanum XI, celebratum an. 675, in Symbolo Fidei sic profitetur: « In relativis Personarum nominibus Pater *ad* Filium,

« Filius *ad* Patrem, Sanctus Spiritus *ad* utrosque refertur : quae, « cum *relative* tres Personae dicantur, una tamen *natura* vel sub- « stantia creditur. ...In *relativis* enim Personarum numerus cernitur ; « in *divinitatis*, vero substantia quid numeratum sit non comprehen- « ditur etc. » (*Enchir.* nn. 278-280). Ecce : solae relationes inferunt realem distinctionem inter divinas Personas.

B) Concilium Florentinum in *Decreto pro Iacobitis* an. 1441 post memoratas tres divinas Personas addit : «Hae tres Personae sunt « *unus* Deus et non *tres Dii :* quia trium est una *substantia,* una « *essentia,* una *natura,* una *divinitas,* una *immensitas,* una *aeternitas,* « omniaque *sunt* unum, ubi non obviat RELATIONIS *oppositio* (*Enchirid.* n. 703). Nihil clarius pro nostra conclusione.

4.° *Rationibus theologicis. A*) Quando aliquae *res* sunt ad invi- cem ordinatae secundum *suam propriam naturam,* tunc *relationes,* in huiusmodi rebus exsistentes, sunt *reales,* videlicet independentes a nostro modo cogitandi eas res. Ita, quoniam *Magister* et *Discipu- lus, Dives* et *Pauper* etc. sunt res *secundum* propriam *naturam* ad invicem ordinatae, propterea *Relatio* inter *Magistrum* et *Discipulum,* item inter *Divitem* et *Pauperem* est relatio *realis,* seu independens á nostro modo cogitandi res illas.

Atqui *Pater* et *Filius,* item *utraque Persona* et *Spiritus Sanctus* sunt *res* ad invicem ordinatae secundum propriam naturam : sive enim *volo* sive *nolo,* item sive *cogito* sive *non cogito,* adest semper ordo inter *Patrem* et *Filium* ac inter *utrumque* et *Spiritum Sanctum.* Patet.

Ergo Relationes, quae secundum Processiones divinas accipiuntur inter divinas Personas, sunt reales. Q. E. D. (Hic, o).

B) Praeterea secundum Fidem Catholicam contra Sabellium fateri oportet Personas divinas distingui *realiter* inter se. — At non possunt [inter se *realiter* distingui quantum ad *naturam,* quia sic sequeretur haeresis Arii ; neque possunt inter se *realiter* distingui quantum ad *perfectionem aliquam absolutam* quia in absolutis omnia sunt unum et idem in Deo. — Ergo Personae divinae distinguuntur *realiter* inter se quantum ad aliquid *relativum,* seu quantum ad *ali- quas relationes* [*reales.* Et sic oportet ponere *relationes aliquas rea- les* exsistere vere ac *formaliter* in Deo. Q. E. D. (Cfr. Q. cit. *De Pot.,* art. 1, o).

C) Brevius « argumentum [est. In divinis sunt tres Personae

« *realiter* distinctae. Sed distinguuntur per *relationes*. Ergo illae « *relationes* sunt *reales*.

« Collectio (*seu illatio*) evidens est : nam, si illae relationes es- « sent *rationis,* per eas Personae non distinguerentur *realiter*. — « *Maior* et *minor* sunt de Fide. — Ergo *conclusio* est de Fide.

« *Maiorem* esse de fide probatur ex illo I. Ioan. V, 7 : *Tres sunt* « *qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus;* « et ex illo Athanasii : *Fides Catholica haec est ut unum Deum in* « *Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur etc.*

« Quod etiam *Minor* sit de Fide probatur ex decreto Concilii La- « teranensis (*IV*), quod refertur in capitulo *Firmiter* de Summa Tri- « nitate et Fide Catholica (*ubi sic legitur*) *Haec Sancta Trinitas se-* « *cundum communem essentiam individua, et secundum personales* « *proprietates discreta* (*Enchir.* n. 428) : nomine vero *proprietatis* « *personalis* nihil aliud intelligi potest quam *Relatio*. — Eamdem ve- « ritatem decernunt sacrum Concilium Florentinum Sess. 18 et 19, « et Toletanum Septimum et Undecimum can. 1 » quorum verba paulo ante retulimus. Hoc argumentum ex integro transcripsimus ex *Com.* Nazarii, O. P. in h. a.

156. **Deduces.** 1.° Ratio, ab Angelico adducta in corpore articuli, colligit exsistentiam *relationum realium* in divinis, ex hoc quod ibidem exsistant formaliter aliquae *processiones reales* ac Deo immanentes.

Sed *illud, ex quo* relatio inter extrema consurgit, vocatur *fundamentum proximum* relationis.

Ergo processiones reales, Deo immanentes, sunt *fundamentum proximum* relationum realium quae in Deo exsistunt.

2.° Quia relationes *reales* exsistunt formaliter in Deo, evidenter sequitur in eodem inveniri *entitatem relativam*. At in ipso Deo adest manifeste *entitas absoluta* substantiae. Igitur in Deo inveniuntur simultanee ratio *entis absoluti* et ratio *entis relativi*. — At istae duae rationes *nullam* in Deitate *compositionem* inducunt, quia Deus est omnino simplex. (Q. III, art. 8). Relinquitur igitur Deitatem esse *summam* quamdam *realitatem* continentem *modo supereminenti* totam realitatem *entis absoluti* ac totam realitatem *entis relativi ;* ac propterea Deitas est vere πέλαγος οὐσίας, sicut dicit Nazianzenus in Orat. *De Natali Domini* (Cf. Caiet., *Com.* in Q. XXXIX art. 1).

3.° Eo ipso quod in Deo *nulla compositio neque ullum accidens*

potest inveniri (Q. III, art. 6 et 8), satis evidenter colligitur *relationes divinas* consideratas prouti sunt *in* Deo seu sub conceptu IN (cfr. n. 142) esse *idem realiter* cum divina substantia seu *substantificari* in Deo prout loquuntur Ss. Patres (Cfr. hic ad 1.m).

157. **Obiic. 1.°** *Boëthius in Lib. De Trinit., circa fin. scribit quod* τό Ad aliquid (*i. e. Relatio*) omnino non potest de Deo *praedicari. Sed quod in Deo realiter invenitur potest de ipso affirmari. Ergo* Relatio *non invenitur* proprie *ac* realiter *in Deo.*

R. Admitto auctoritatem Boëthii et distinguo sensum: Tó Ad aliquid, *consideratum ex parte proprii elementi Specifici* non potest etc.: *Concedo;* τό Ad aliquid *consideratum* formaliter *tamquam* Accidens, *seu ex parte suae notionis Genericae* non potest etc.: *Nego.* — Concedo *min.* Nego *conseq.* et dico quod, sicut supra n. 142 monuimus, Relatio si consideretur *generice* importat *inhaerentiam* in subiecto, consequenter importat *ordinem ad subiectum ipsum:* at Relatio accepta *formaliter,* inquantum scilicet refert *unum* ad *aliud,* dicit ordinem, non ad subiectum, sed *ad terminum* eiusdem relationis. Revera *Paternitas* in Adamo, si consideretur formaliter tamquam *accidens,* dicit ordinem ad *Adamum* qui est *subiectum* Paternitatis: si autem *Paternitas* consideretur tamquam *relatio* Adami ad Abel, dicit ordinem non ad Adamum sed ad *Abel,* qui est *terminus* Paternitatis exsistentis in Adamo. — Iamvero notio *praedicati,* formaliter sumpti, semper dicit ordinem ad *subiectum* de quo affirmatur aut negatur. Si ergo relatio *formaliter* accepta dicit semper ordinem ad *terminum,* sicut paulo ante dixi, manifeste sequitur, quod relatio divina, quae est *Paternitas,* considerata *formaliter,* nequit affirmari de *Deo Patre.* Falsum est enim *Deus Pater* est *Paternitas divina* **formaliter** *accepta* videlicet *ordo Dei Patris* ad *Filium.* Et sub hoc aspectu ait Boëthius quod «*ad aliquid*», non potest *omnino* praedicari de Deo (Cfr. hic ad 1.m).

158. **Obiic. 2.°** *In identicis relatio* unius *ad* seipsum *est relatio* logica *non autem* realis. *Atqui Boëthius* (Loc. cit.) *dicit, quod* in Trinitate relatio Patris ad Filium est *similis* relationi *eius* quod est idem ad *id* quod est idem. *Ergo ipse sentit, quod* relationes, *in Deo* exsistentes, *sunt* logicae *non vero* reales.

R. Dist. mai. *In identicis* simpliciter *relatio* etc.: Concedo; *in identicis* secundum quid *relatio* etc.: Nego. — Dist. min. *Boëthius dicit* etc. et ibi comparatio fit quantum ad aliqua: *Concedo;* et ibi

comparatio fit quantum ad omnia : *Nego.* — Nego consequens, et dico quod aliqua *duo* possunt esse idem vel *simpliciter* videlicet *secundum omnem eorum formalitatem,* vel *secundum unam* solam *formalitatem : Ego* enim sum *idem* simpliciter *cum meipso,* quia sum *unus numero ;* dum *Ego* et *Paulus* sumus *idem* solum *specie,* non autem *numero* sicut per se patet. Et ideo *plura* sunt *idem* simpliciter, quando ipsa secundum *omnem* eorum formalitatem tum *generícam* tum *specificam,* tum *numericam,* tum *essentialem* tum *accidentalem* sunt *identica ;* secus illa plura dicuntur *idem* secundum quid *tantum.* — Haec autem est differentia inter ea quae sunt *idem simpliciter,* et illa quae sunt *idem secundum quid.* Nimirum quando duae notiones sunt *idem simpliciter,* tunc « relatio quae importatur per « hoc nomem *idem* est *relatio rationis* **tantum...** quia huiusmodi re- « latio non potest consistere nisi in *quodam ordine* quem *ratio* adin- « venit *alicuius* ad *seipsum* secundum aliquas eius *duas* considera- « tiones. Secus autem est, cum dicuntur aliqua *eadem* esse *non* in « *numero* sed in natura *Generis* vel *Speciei* » (Hic ad 2.m). — Modo Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt quiden *eadem realitas,* sed *differunt numero* quoad *suas proprietates relativas.* Et ideo tres divinae Personae non sunt *idem* **simpliciter** sed **solum** secundum *Dei essentiam* et *attributa absoluta.* — Sed, sicut notavimus, quando plura *non sunt* idem simpliciter, relatio realis potest inter illamet habere locum. Unde bene cohaerent haec duo, videlicet quod *Personae divinae* sint **idem** quantum ad **sola** *attributa absoluta,* et tamen ad invicem **realiter** referantur quantum ad *relationes.* « Boë- « thius igitur *relationes* quae sunt in divinis, assimilat relationi *iden-* « *titatis,* non quantum ad *omnia* sed quantum ad *hoc solum* quod « per huiusmodi relationes non diversificatur *substantia,* sicut nec « per relationem *identitatis* » (Ibid.).

159. **Obiic 3.°** *Relationes quae consequuntur* operationem intellectus, *non sunt* reales. *Atqui processiones divinae consequuntur* operationes Dei intellectuales (*Q. praec. artt. 1 et 5*). *Ergo relationes quae consequuntur* processiones divinas, *nequeunt esse* reales.

R. Dist. mai. *Relationes quae consequuntur operationem intellectuales* in ipsis rebus cosmicis *non etc. :* Concedo ; *quae consequuntur operationes intellectuales* et intra nostrum intellectum *non etc. :* Nego. — Concedo minorem ; nego consequens ; et dico « quod *rela-* « *tiones* quae consequuntur *solam* operationem intellectus *in ipsis*

« *rebus intellectis,* sunt *relationes rationis* **tantum ;** quia scilicet eas « ratio *adinvenit* inter duas res intellectas. Sed *relationes,* quae con- « sequuntur operationem intellectus et quae sunt inter *verbum* intel- « lectualiter procedens et *illud a quo* procedit, non sunt *relationes* « *rationis* **tantum,** sed *rei ;* quia et *ipse intellectus* et *ratio* (*i. e.* « *species intelligibilis impressa*) est quaedam *res,* et comparatur *rea-* « *liter* ad id quod procedit intelligibiliter sicut res corporalis ad id « quod procedit corporaliter. Et sic *Paternitas* et *Filiatio* sunt rela- « tiones *reales* in divinis » (Hic ad 4.m).

160. Q. *Quodnam est* subiectum proximum *relationum realium* in *Deo exsistentium?*

R. *Sunt Personae divinae.* Decl. Etenim subiectum *proximum* in quo, iuxta nostrum modum theologizandi, *intelliguntur esse* relationes divinae, sunt res illae divinae quarum *una* intelligitur referri ad *alteram.* Patet.

At, loquendo de divinis, Persona *quae procedit* et Persona *a qua alia* procedit sunt res illae quarum *una* intelligitur referri ad *alteram.* Probabo.

Ergo huiusmodi personae sunt subiectum *proximum* relationum realium, quae in Deo exsistunt. — Illatio est clara.

Minor declaratur. Revera *processio,* sicut vidimus, est FUNDAMENTUM *relationum* in Deo exsistentium : quarum relationum *extrema* sunt Persona *procedens* et Persona *a qua procedit.* — Extrema autem sunt *termini* quibus insunt *respectus relativi.* — Ergo *Personae divinae* sunt *res,* quae per divinas relationes intelliguntur *mutuo* referri.

161. **Scholium VII.** Relatio divina, de qua nunc loquimur, **fundatur** in aliqua processione Dei *ad intra ;* et subiectatur **proxime** in Persona divina *quae* procedit aut in Persona divina *a qua* procedit alia. — Iamvero persona *quae* procedit, et persona *a qua* altera procedit habent quamdam oppositionem *relativam,* uti patet per pronomina *relativa* QUAE et A QUA. — Ergo relatio realis, in Deo exsistens, est ordo unius divinae Personae ad aliam sibi relative, seu vi originis, opossitam.

ART. II. UTRUM RELATIO IN DEO SIT IDEM QUOD SUA ESSENTIA.

162. Ex philosophia scimus quid sit realis relatio exsistens in *creaturis,* nunc investigare oportet quid sit *realis relatio* exsistens

formaliter *in Deo* et de qua sermo in praecedenti articulo est habitus. Et quaestio procedit unice de ipsa relatione divina secundum quod *a parte rei* invenitur in Deo, non autem secundum quod adest *in nostro modo concipiendi divina.*

163. Patitur vero quaestio ista magnas difficultates. Si namque in Deo *Relatio* et *Essentia* dicantur esse *identica realiter,* tunc, quia in Deo inveniuntur **plures** *relationes reales,* oporteret consequenter profiteri **plures** *divinas essentias:* quod est haeresis polytheistarum.

Si vero *Relationes* et *Essentia divina* dicantur distingui realiter tamquam *duae res,* tunc aliqua compositio inducitur in Deo ipso: quod est etiam haereticum. (Cfr. Q. III, art. 7).

Denique si *Relationes* et *Essentia divina* ponantur inter se *sola ratione* distingui, tunc *Pater, Filius* et *Spiritus Sanctus,* qui **solis** *relationibus* ad invicem distinguuntur, distinguerentur inter se **unice** per *distinctionem rationis:* et sic rediret haeresis Sabelli (Cfr. n. 155).

Ad omnes has difficultates removendas ordinatur praes. art.

164. Circa titulum vero articuli recolendum est ex Q. XIII, art. 12 (Cfr. Vol. I, n. 799),

1.° quod *identitas,* considerata *positive* ac *formaliter,* est *convenientia plurium in quadam essentiae unitate* (Cfr. S. Thom. Lect. XVII in *V. Metaphys*); sive prouti Aristoteles (loc. cit.) habet: « Identitas « unitas quaedam essentiae est, aut plurium, aut cum quis *uno* ut « pluribus utitur; utputa quum dicat «Ipsum sibi Ipsi idem» ut *duobus* « enim «Ipso» utitur ».

Duplex distinguitur identitas: una dicitur *Realis,* alia vero *Rationis* seu *Definitionis.*

α) *Realis identitas* inter duas notiones adest, quando realitas correspondens *uni* notioni nihil differt a realitate qua *alteri notioni* correspondet, quamvis definitiones earum notionum inter se aliquam differentiam prae se ferant. Ita ex. gr. adest realis indentitas inter *Animal* τοῦ Hominis atque *Rationale* eiusdem Hominis, quia unica essentia Humana correspondet utrique notioni.

β) *Identitas Rationis* inter duas notiones invenitur quoties definitio unius notionis *aeque* convenit alteri. Ita ex. gr. adest *rationis* identitas inter *Adamum* et *Protoparentem Hominum,* item inter *Christus* et *Messiam* etc.

2.° Recolendum est ex dictis in Q. III art. 4 (Cfr. Vol. I,

n. 213) quod *Distinctio* est *carentia identitatis inter plura;* distincta enim vocamus ea, quorum unum non est aliud.

A) Distinctio alia dicitur *realis,* alia *rationis* seu *definitionis.*

α) Si antecedenter ad quamlibet considerationem nostri intellectus *unum* non est *alterum,* tunc habetur *distinctio realis.* Huiusmodi distinctio viget ex. gr. inter *Petrum* et *Paulum,* inter *Totum* et *Partem,* inter *Substantiam* et *Accidens* etc.

β Si autem nonnisi dependenter a nostrae mentis consideratione *unum* non est *aliud,* tunc habetur *distinctio rationis.* Huiusmodi est distinctio inter *Animalitatem* τοῦ Hominis et *Rationalitatem* eiusdem Hominis, item inter *Hominem* et *Animal Rationale* etc. — Adhuc

B) Distinctio *realis* distribuitur in *Maiorem* et *Minorem*

α) *Realis Maior* distinctio habetur, quando *vel* unum extremorum potest ab altero realiter separari, *vel* ipsa extrema habent inter se oppositionem relativan. Exemplum *prioris* habes inter *Animam* et *Corpus,* inter *Petrum* et *Paulum* etc. Exemplum *posterioris* habes inter *Paternitatem* et *Filiationem,* quae utique sunt *oppositae relative* et *relative* se excludunt ab *eodem subiecto* et *sub eadem ratione:* non enim est possibile, quod idem *secundum idem* sit **simul** *Pater* et *Filius* relate ad *eumdem terminum.*

β) Distinctio *Realis Minor* sive *Modalis* ea est, quae viget inter *rem* et *proprium Accidens Modale,* utputa inter *Petrum* et *eius sessionem,* item inter *lineam* et *eius rotunditatem,* etc. — Rursum

C) Distinctio rationis subdividitur in distinctionem *rationis ratiocinantis,* et distinctionem *rationis ratiocinatae.*

α) Distinctio *rationis ratiocinantis* est illa quae a nostro intellectu ponitur inter duo distinctionis membra **absque** ullo fundamento *proxime* exsistente in ipsis rebus. Huiusmodi est distinctio quam pono inter Petrum tamquam *Subiectum,* et Petrum tamquam *Praedicatum,* quando dico *Petrus* est *Petrus.*

β) Distinctio *rationis ratiocinatae,* quae etiam *virtualis* nominatur, est illa quae a nostra mente ponitur inter duo distinctionis membra **cum** aliquo fundamento *proxime* exsistente in eisdem rebus. Huiusmodi est distinctio quam facimus inter *Animal* τοῦ Hominis ac *Rationale* eiusdem Hominis.

165. **Scholium I.**m Praeter distinctionem *realem* et distinctionem *rationis* Scotus (Cfr. *Com.* eius in Lib. I. *Sent.,* Dist. II, Q. I) aliam *quasi* **mediam** introduxit, quam *formalem actualem ex natura*

rei nominavit. Haec distinctio, Scotistis fatentibus, consistit inter plura, quae invicem non possunt realiter separari, attamen independenter a quavis consideratione nostrae mentis **unum** eorum *exigit diversam* definitionem ab **altero,** seu *non est identicum realiter* cum **altero.** — Hanc distinctionem ponunt Scotistae ex. gr. inter τὸ *Animal* ac τὸ *Rationale* quae sunt in Homine. — Attamen

Reiicienda est haec Scoti positio. Prob. Et sane inter contradictoria, sicut inter *affirmationem* et *negationem,* non datur **medium:** secus Hegelii positio esset vera. — Modo haec duo, videlicet *identitas duorum* antecedenter *ad nostrae mentis considerationem* et *non-identitas eorum duorum* antecedenter *ad nostrae mentis considerationem,* opponuntur invicem per modum *affirmationis* et *negationis:* id patet. — Ergo inter ista duo non datur aliquod **medium.**

Atqui *distinctio realis* est *non-identitas duorum* antecedenter *ad nostrae mentis considerationem;* dum *distinctio rationis* est *identitas duorum* antecedenter *ad nostrae mentis considerationem* (Cfr. n. praec. 2.°, *A*).

Ergo non datur, seu est impossibile ponere distinctionem **mediam** inter *distinctionem realem* et *distinctionem rationis.* Q. E. D.

NOTA. Reducitur autem commode *distinctio formalis actualis ex natara rei* ad distinctionem *rationis ratiocinatae* quam etiam *virtualem* nominavimus (Cfr. n. praec. 2.°, *C*); sicut patet per exemplum ibi positum, et quo Scotistae pro sua distinctione adducunt (Cfr. Goudin, *Philosoph.* IV. P. Disp. I, Q. III, art. 2).

166. Ulterius « considerandum est, quod in quolibet novem ge- « nerum accidentis est *duo* considerare: quorum *unum* est *(ipsorum* « *elementum* QUASI *genericum videlicet)* **esse** quod competit unicuique « ipsorum secundum quod est *accidens.* Et hoc *(elementum* **quasi** « *genericum)* communiter in omnibus est **inesse** *in subiecto:* acci- « dentis enim esse est inesse. — *Aliud* quod potest considerari in « unoquoque *(genere accidentium)* est propria *ratio (seu elementum* « QUASI *differentiale)* uniuscuiusque illorum generum. Et *(hoc elemen-* « *tum* QUASI *differentiale et* QUASI *specificum variat de* uno *ad* alterum « *accidentium genus, quoniam)* in aliis quidem generibus a Relatio- « ne, utpote *quantitate,* et *qualitate* etiam propria ratio *(specifica* « *uniuscuiusque)* generis accipitur secundum comparationem ad sub- « iectum *(eiusdem accidentis);* nam *quantitas* dicitur *mensura sub-* « *stantiae, qualitas* vero *dispositio substantiae:* sed ratio *propria*

« relationis non accipitur secundum comparationem ad illud *(subie-* « *ctum)* in quo est, sed secundum comparationem ad aliquid *extra (videlicet per comparationem ad terminum eiusdem relationis. Paternitas equidem, formaliter seu specifice considerata, est ordo ad Filium.*

« *Exinde sequitur, quod)* si consideremus etiam in rebus creatis « relationes secundum id quod relationes sunt *(videlicet secundum* « *earum elementum specificum),* sic inveniuntur esse ASSISTENTES *(ad* « *subiectum)* non intrinsecus *(in eodem)* affixae, quasi significantes « respectum quodammodo contingentem *(seu osculantem)* ipsam rem « relatam prout ea tendit in alterum (*terminum relationis. — E con-* « *verso)* si... consideretur relatio secundum quod est *accidens,* sic « est inhaerens subiecto *(relationis)* et *(consequenter)* habet esse « accidentale in ipso » (Hic, o). Ex. gr. *Paternitas* Adami, considerata quatenus *accidens,* inhaeret in Adamo, et habet *esse accidentale* in ipso : at eadem *Paternitas* considerata formaliter quatenus *relatio* est ordo *non inhaerens* in Adamo sed *assistens inter* Adam *et* Abel, contingens tamen *solum* Adam eumque referens ad Abel.

167. **Scholium II.**m Facile deprehenditur relationem *generice* consideratam esse ipsam relationem sub conceptu IN ; relationem vero, consideratam *specifice,* esse relationem sub conceptu AD (Cfr. n. 142). Similiter quum distinctio inter elementum *genericum* et elementum *differentiale,* quae efformant essentiam *specificam* alicuius rei, sit distinctio *rationis ratiocinatae* (Cfr. art. seq.), sequitur quod *relatio,* spectata *generice* seu sub conceptu IN, nonnisi *ratione ratiocinata* distinguatur a *relatione* considerata *specifice* seu sub conceptu AD. Res patet : at

168. Q. I. *Utrum* Relatio *spectata sub* conceptu AD, *videlicet* ipsa referentia unius extremi *ad* aliud, *sit* ens reale, *aut* rationis ?

R. Utrumque *permissive* est concedendum, nimirum est *ens reale* si relatio est *realis,* est vero *ens rationis* quoties est relatio *rationis.* Quum enim relatio sub conceptu AD coincidat *realiter* (Cfr. n. praec.) cum relatione sub conceptu IN, simulque constituant unam *integram* relationem, evidenter *qualis* est haec *integra* relatio, *talis* quoque est relatio sub conceptu AD et *talis* quoque relatio sub conceptu IN (Cfr. Q. VIII *De Pot.* art. 2, o ; et Caiet. *Com.* in h. a. § *Ad has dubitationes*).

169. Q. II. *Utrum* Relatio, *considerata sub* conceptu AD, *sit* inhaerens *in, vel potius* assistens *ad, subiectum ?*

R. Utraque pars potest esse vera. Equidem relatio sub conceptu AD est *realiter* eadem ac relatio sub conceptu IN (Cfr. n. 167). Iamvero relatio sub conceptu IN inhaeret *realiter* in illo extremo relationis quod refertur AD aliud, quando *relatio* est *realis,* dum *intelligitur* tamquam inhaerens in illo extremo, quando *relatio* est *rationis :* constat. Ergo a pari relatio, considerata sub conceptu AD, inhaeret *realiter* in subiecto quando est sermo de relatione *reali,* at non inhaeret *realiter* sed solum **intelligitur** *inhaerere* in extremo quod AD aliud refertur quando relatio est *rationis.* « Nihil prohibet, « ait S. Thomas Q. et art. cit. *De Pot.,* aliquid esse inhaerens quod « tamen *non significatur* ut inhaerens, sicut etiam *Actio* non signifi- « catur ut *in* agente sed ut *ab* agente ; et tamen constat *Actionem* « esse *in* agente. Et similiter, licet, *ad aliquid,* non significatur ut « *inhaerens,* tamen oportet ut *sit* inhaerens. Et hoc quando *rela- « tio* est *res aliqua (i. e. realis) ;* quando vero *(relatio)* est *secundum « rationem tantum,* tunc non est *inhaerens* » vere ac proprie in aliquo extremo, licet *intelligatur* tamquam inhaerens in *extremo* quod se habet *ad alterum* (Cfr. Caiet, loc. cit.). Unde non bene ait Porretanus affirmando *relationes omnes,* acceptas formaliter, *non inhaerere* in subiecto sed esse illi *assistentes* ac veluti *extrinsecus affixas* (Cfr. n. seq.).

170. Sciendum est namque, quod Gilbertus Porretanus, olim (a. 1070-1154) Pictaviensis Episcopus, advertens relationem, spectatam quantum ad *specificam* suam *formalitatem,* **significari** ut quoddam medium inter *substantiam* quae refertur ac *terminum* ad quem refertur, dixit quod relationes in rebus creatis non essent accidentia : *accidentis* enim *esse* est *inesse.* Unde hanc opinionem usque ad divinas relationes extendens posuit « relationes non esse *in* per- « sonis sed eis quasi assistere. Et quia essentia divina est *in* per- « sonis, sequebatur quod relationes non sunt essentia divina ; et « quia omne accidens inhaeret, sequebatur quod non essent acciden- « tia » (Q. VIII *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2, o — Cfr. hic, o) : sed quod *realis distinctio* adesset inter *essentiam divinam* atque *divinas relationes.* Unde Gilbertus non sinebat confiteri posse *Paternitatem divinam* aut *Dei Filiationem* esse *divinam essentiam.*

Hunc eumdem errorem saec. sequenti professus est Abbas Ioachim.

Contra Gilbertum dimicavit specialiter S. Bernardus, Abbas Clarevallensis, et illius error fuit proscriptus in Conc. Rhemensi celebrato an. 1148 sub Eugenio PP. III (Cfr. *Enchir.* n. 389). — Contra Abatem Ioachim vero animadvertit Concil. Lateran. IV cel. an. 1215, cap. 2 *Damnamus* (Ibid. un. 431-432).

Ad remotionem huius erroris sit

Conclusio I. *Realis relatio, in Deo exsistens, ex. gr.* Paternitas, Filiatio *et* Processio, α) *est* realiter *identica cum Divina substantia,* β) *a qua tamen differt* sola *ratione seu definitione.*

Nota. Prior pars est Fidei dogma ; altera autem est communis theologorum assertio.

Prob. I.ª pars conclussionis. 1.° *Ex S. Bernardo* qui Lib. V. *De Consideratione,* cap. 8 inquit : « Personarum proprietates *(i. e. Rela-* « *tiones)* non **aliud** quam Personas, ipsaeque non **aliud** quam unum « Deum, unam divinam substantiam, unam divinam naturam, unam « et divinam et summam Maiestatem Fides Catholica confitetur ». Unde et Lib. IX, cap. 5 dicit « divinas relationes esse **perfectio-** « **nem,** non, ut alii complures theologi, **perfectiones** ». Perpende, prudens lector, profunditatem sententiae!...

S. Bernardo concinunt S. Isidorus Hispalensis (Lib. *De Differentiis,* Diff. 2), S. Anselmus (Lib. *De Fide Trinit.,* cap. 3) etc. Testimonia Ss. Patrum lege, si vis, apud Petavium Lib. II *De Deo,* capp. 3-4.

2.° *Ex Conciliis. A*) Conc. Rhemense in symbolo Fidei haec habet : « Credimus et confitemur **solum** Deum Patrem, Filium et « Spiritum Sanctum aeternum esse, nec aliquas omnino res, sive *re-* « *lationes* sive *proprietates,* sive *singularitates* vel *unitates* dicantur, « vel alia huiusmodi adesse Deo *quae sint* ab aeterno, et *non sint* « Deus » (Cfr. *Enchir.* n. 391). — Atqui relationes reales, in Deo exsistentes, sunt in Deo ab aeterno. — Ergo ipsae sunt *realiter* Deus, seu *identiae realiter* cum divina substantia.

B) Conc. Later. IV in cap. *Damnamus* ait : « Nos, sacro appro- « bante Concilio, credimus et confitemur cum Petro Lombardo, « quod... in Deo solummodo *Trinitas* est, non *Quaternitas* etc. ». (Cfr. *Enchir.* n. 432). — At si, iuxta Porretanum, in Deo *Relatio* esset distincta realiter a *Divinitate,* evidenter in Deo esset *Quater-*

nitas videlicet *Divinitas, Paternitas, Filiatio* et *Processio.* — Ergo, quum vetet Concilium *Quaternitatem* ponere in divinis, necesse est profiteri, quod realis relatio, in Deo exsistens, sit identica *realiter* cum Divinitate seu divina essentia.

C) Concilium Florentinum denique in Decreto pro Iacobitis confitetur quod in Deo « omnia sunt unum, ubi non obviat relationis « oppositio » (Cfr. *Enchir.* n. 703). — Atqui *divina essentia* seu *substantia* non habet oppositionem relativam nec cum *Paternitate* neque cum *Filiatione,* neque cum *Spiratione passiva Spiritus Sancti,* sed potius identica est cum unaquaque harum relationum. — Ergo essentia divina est realiter identica cum unaquaque relatione reali in Deo exsistente.

Verba Synodi Toletani XI pro thesi nostra habes in *Enchir.* nn. 278-281.

3.° *Ex liturgia Ecclesiae Romanae.* « Omnis res, quae non est « divina substantia, est creatura. Sed *Relatio* realiter competit Deo. « Si ergo non est divina essentia, erit creatura : et ita ei non erit « adoratio latriae exhibenda. Contra quod in praefatione *(De Ss.* « *Trinitate)* cantatur : *Ut in Personis* proprietas *(i. e. relatio) et in* « *Essentia* unitas, *et in Maiestate* **adoretur** aequalitas » (Hic *Sed Cont.*). Ergo realis relatio, in Deo exsistens, est identica realiter cum divina substantia. Q. E. D.

4.° *Rationibus S. Thomae. A*) « Quidquid in rebus creatis habet « esse accidentale, secundum quod transfertur in Deum, habet esse « substantiale : nihil enim est in Deo, ut accidens in subiecto ; sed « quidquid est in Deo, est eius essentia. — Sic igitur ex ea parte « qua *relatio* in rebus creatis habet esse accidentale in subiecto, re- « latio realiter exsistens in Deo habet esse essentiae divinae, idem « omnino ei exsistens » (Hic, o. — Cfr. Q. VIII *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2, o).

B) « Praeterea omne suppositum, in quo sunt diversae res, est « *(realiter)* compositum. — Sed in Persona *(Dei)* Patris est Paternitas « et essetia *(divina).* — Si igitur Paternitas et essentia divina sunt « duae res *(realiter distinctae),* sequeretur, quod Persona *(Dei)* Pa- « tris sit realiter composita : quod patet esse falsum *(quum Deus sit* « *omnino simplex — Cfr. supra Q. III, art. 7, o).* — Oportet ergo « quod Relatio in divinis sit ipsa *(Dei)* substantia » (Q. VIII. *De Pot.*

inter *QQ. Dispp.*, art. 2, *Sed Cont.* Cfr. I. *Sent.*, Dist. XXXIII, art. 1, *Sed Cont.*).

Prob. II.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Distinctio rationis viget inter duo, quoties illa, quamvis sint realiter identica, exhibent tamen distinctas *formalitates* seu *definitiones* (Cfr. n. 164). — Atqui alia *formalitas* exprimitur nominando Dei *essentiam* seu *substantiam,* et alia formalitas nominando *Paternitatem* vel *Filiationem,* etc. Etenim relationes huiusmodi dicunt respectum ad oppositum terminum; qui sane respectus non includitur quando nomino essentiam vel substantiam divinam: constat. — Ergo realis relatio, in Deo exsistens, differt ratione seu definitione a divina substantia seu essentia. Q. E. D. (Cfr. hic., o et loc. cit.).

171. **Corollaria.** 1.° Eatenus relatio divina differt *ratione* ab essentia Dei quatenus in *definitione* relationis includitur respectus ad terminum oppositum, qui sane respectus non includitur in *definitione* essentiae divinae. — Iamvero respectus ille inclusus in relatione divina, est *realis,* independens videlicet a nostra mentis consideratione (Cfr. art. praec.). — Ergo distinctio, quam ponimus inter relationem et essentiam seu substantiam divinam, habet *fundamentum proximum* in ipsis divinis Personis, et non est fabricata ab operatione nostri intellectus. Consequenter huiusmodi distinctio est *rationis ratiocinatae,* non autem *rationis ratiocinantis.* (Cfr. I. Sent., loc. cit., ad 3.m; item supra n. 164, 2.° C).

2.° Est evidens, quod « quaecumque sunt eadem *re* et *ratione,* « oportet, quod in quocumque est *unum* sit *aliud.* (*Ita ex. gr. quia* « vestis *et* indumentum *sunt idem* re *et* ratione, *propterea ubicumque* « *invenitur* vestis, *invenitur etiam* indumentum). Non autem hoc opor- « tet *(verificari)* de his quae sunt eadem *re* sed non *ratione:* sicut « instans est idem (re, *non autem* ratione *prouti*) est *principium* fu- « turi et *finis* praeteriti, non tamen *principium* futuri dicitur esse in « praeterito, sed id quod est futuri *principium (dicitur esse in prae-* « *terito).* — Et similiter *(quia* Paternitas *et* Essentia divina *sunt idem* « re *sed non* ratione, *propterea)* non dicitur quod Paternitas est in « Filio, sed *(est in Filio)* id quod est *(Patris)* scilicet essentia » (Q. VIII. De Pot. art. 2 ad 10.m. — Cfr. I. Sent., loc. cit. ad 2.m).

3.° Et ob eamdem causam bene inquit S. Augustinus in Lib. VI *De Trinit.* cap. 6, quod *Deus non* eo *Deus est* quo *Pater est,* videlicet « Deus dicitur non eo **Deus** quo **Pater** propter diversum mo-

« dum significandi divinitatis et Paternitatis : ut expositum est in « corpore articuli » (Q. et art. cit. De Pot. ad 14.m Cfr. hic ad 1.m).

4.° Hinc etiam sequitur quod «sicut in rebus creatis in illo quod « dicitur relative *(puta homo servus),* non solum est respectum ad « alterum *(puta* servitutem *in nostro casu)* sed etiam aliquid absolu- « tum (*in nostro casu* τὸ Homo), ita et in Deo : sed tamen *aliter* et « *aliter.* Nam id, quod invenitur in creatura praeter id quod contine- « tur sub significatione nominis relativi, est ALIA *res :* in Deo autem « non est alia res sed una et eadem *(divina substantia)* quae non « perfecte exprimitur relationis nomine quasi **sub significatione** ta- « lis nominis comprehensa. — Dictum est enim supra Q. XIII arts. 2 « et seqq., cum de divinis nominibus agebatur, quod plus continetur « in perfectione divinae essentiae quam aliquo nomine significari « possit. Unde non sequitur, quod in Deo praeter relationem sit ali- « quid *aliud* secundum *rem,* sed solum considerata nominum ratio- « ne » (Hic ad 2.m — Cfr. Caiet. *Com.* in art. 1 Q. XXXIX § *ad evid. horum* etc.).

172. Post solemnem damnationem erroris Gilberti Porretani, ab Ecclesia latam in Conciliis Rhemensis et Lateranensi IV, nullus doctorum catholicorum ausus est eam propugnare. Aliqui, tamen theologi, prurigine nova dicendi in sacra theologia permoti, in eumdem errorem minus caute inciderunt. Pauca de his adinventionibus theologicis.

A) Durandus (I. Sent. Dist. XXXIII, q. 4) vult in Deo relationes distingui a divina essentia per distinctionem *realem minorem* seu *modalem* (Cfr. n. 164, 2.° B), quasi relatio divina sit *modus* quidam entitativus divinae substantiae. — At

α) **Conclusio II.** *Durandi sententia est omnino reiicienda.*

Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° Modus ille entitativus, quem iuxta Durandum important divinae relationes, *aut* est aliquid creatum et finitum, aut aliquid increatum et infinitum; non datur tertium membrum uti patet.

Atqui modus ille nequit dici, quod sit aliquid *finitum* et *creatum,* quoniam nihil huiusmodi manet intra Deum ; neque *adoratione latriae* est venerabile (quali adoratione colitur a nobis divina relatio. — Cfr. n. 170, 3.°).

Erit ergo ille modus aliquid *essentialiter infinitum* et *actus purus:*

consequenter erit *identicus realiter* cum divina substantia, et non ab hac *modaliter distinctus.*

2.° Praeterea qualiscumque modus entis imaginetur positus *intra* Deum, aut est aliquid *adiectum ad divinam essentiam et hanc afficiens,* aut est aliquid *separatum* realiter *a divina substantia* atque huic adsistere. — Atqui neutra harum fictionum seu hypothesum potest theologice sustineri. — Ergo nec Durandi positio potest theologice sustineri. — Maior est evidenter completa ; illatio est clara, supposita veritate minoris : haec igitur probatur per partes

I.ª pars min. « *Divina relatio* nequit cogitari tamquam *modus en-* « *tis,* qui sit *adiectus* et *afficiens* divinam essentiam ». Id probatur 1.° quia, facta hac hypothesi, tunc oporteret affirmare, quod divina essentia sit susceptiva aliquarum affectionum seu modorum entis : quod est impossibile (Cfr. Q. III, art. 6). 2.° quia tunc quaelibet Persona divina resultaret *ex* divina substantia et *ex* modo *aliquo reali* distincto ab ipsa divina substantia eamque *afficiente,* et sic esset *composita realiter :* quod fuit damnatum in Conciliis Rhemensi et Lateranensi IV.

II.ª pars min. « Nec etiam dici potest *relationem divinam* esse in « Deo *modum realiter separatum* a Dei essentia ». Id probatur. Si enim ita esset, tunc *in Deo* inveniretur non vera *Trinitas* sed *Quintuplicitas,* videlicet *Divina essentia* et *Quatuor Relationes reales* ad invicem distinctae, et *separatae a Divina substantia.* Quae positio est haeretica, sicut definitum fuit in Conc. Lateranensi IV, cap. *Damnamus.* — Relinquitur ergo quod relationes non sint modi quidam *distincti realiter* a Dei substantia.

B) Sequitur sententia Duns Scoti, qui tum in I. *Sent.* Dist. II, Q. 1 et Dist. VIII, Q. 4 tum aliis in locis docet *relationes* aliaque Dei attributa distingui ab *essentia divina* per distinctionem *actualem formalem ex natura rei,* quam scilicet distinctionem ipse tamquam *mediam* inter distinctionem *realem* et distinctionem *rationis* retinuit (Cfr. n. 165) — Contra eam sit

β) **Conclusio III.** *Opinio Scoti est etiam reiicienda.*

Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° Distinctio *actualis formalis ex natura rei,* secundum Scoti placitum, viget inter duas formalitates, quae invicem non possunt realiter separari, attamen, independenter a quavis consideratione nostrae mentis, **una** earum NON EST *identica realiter* cum **altera.** (Cfr. n. 165). — Atqui, licet *relationes divinae*

ac *essentia divina* non possunt invicem realiter separari, nihilominus, independentes a consideratione nostrae mentis, **una** earum EST *identica realiter* cum *altera*. Probabo. — Ergo inter *essentiam divinam* et *relationem divinam* non datur distinctio *actualis formalis ex natura rei*. Q. E. E. — Maior et illatio constant per se.

Prop. min. probatur ex Concil. Later. IV, cap. *Damnamus,* ubi definitum est, quod in Deo « quaelibet trium Personarum EST... essentia seu natura divina » (*Enchir.* n. 432), ubi plena identitas et nulla distinctio ponitur inter Personam divinam et essentiam seu naturam divinam. — Similiter S. Augustinus in Lib. VII *De Trinit.*, cap. 6 ait : « Non **aliud** est Deo esse, **aliud** Personam esse, sed **idem** « **omnino** ». Si ergo ex parte sui **idem omnino** sunt Dei Persona et Dei essentia, *a fortiori* in ipso Deo **idem omnino** sunt essentia divina, et relatio personalis ipsius Dei.

2.° Praeterea compositio est distinctorum unio. Si ergo *actu ante omnem* operationem *nostrae mentis* **essentia** et **relatio** in Deo distinguerentur *vere* et *formaliter,* tunc in Deo et *ex parte ipsius Dei* ac **independenter** ab operatione nostri intellectus adesset aliqua *vera* et *formalis* compositio. — Atqui hoc illatum est haereticum, quia Concilia, Ss. Patres, ac Theologi uno ore confitentur Deum esse ens omnino simplex, actum omnino purum (Cfr. Q. III, art. 7). — Ergo non datur inter essentiam divinam ac Dei relationes distinctio *actualis formalis ex natura rei,* quam Scotus voluit.

3.° Addi potest, quod positio ista procedat ex *falso supposito,* videlicet ex eo quo Scotus falso existimavit dari distinctionem **mediam** inter distinctionem realem ac distinctionem rationis (Cfr. n. 165). Et ideo ista positio destituitur omni veritate.

173. **Obiic. 1.°** *Nulla* substantia *potest esse* relatio, *sicut nec* qualitas *nec* quantitas. *Repugnat ergo ponere in Deo* identitatem *inter* relationes *ac Dei* substantiam.

R. Dist. antec. *Nulla* substantia finita *potest* etc.: *Concedo ; nulla substantia* infinita *potest* etc.: *Nego.* — Nego consequens et dico substantiam finitam *coarctari sub* una categoria substantiae et propterea non posse esse *accidens.* — At divina substantia est posita *extra* ac *supra* omnes categorias tamquam omnium categoriarum *primum principium :* et propter hanc eminentem sui transcendentiam absorvere in se totam perfectionem entis *absoluti* ac entis *relativi*. Et secundum hoc realitas *absoluta* et realitas *relativa* sunt *unum*

et *idem* realiter in Deo, differunt tamen ratione seu definitione inter sese.

174. **Obiic. 2.°** *Secundum Boëthium* (Lib. *De Trinit.* circa fin.) Substantia *in divinis continet* unitatem, Relatio *multiplicat* Trinitatem. *Atqui principium* unitatis *nequit esse* realiter *principium* multiplicitatis. *Ergo in Deo* Relatio *et* Substantia *non possunt esse* realiter *identicae.*

R. Conc. maiorem. Dist. min. *Principium* unitatis *qua tale* nequit etc.: *Concedo; Principium* unitatis *quatenus virtualiter infinitum,* nequit etc.: *Nego.* Nego consequens et dico, quod una eademque realitas potest secundum *diversas* suas formalitates esse principium *unitatis* simulque principium *distinctionis* seu multiplicitatis: praesertim si ea realitas sit ens *simpliciter* infinitum, comprehendens totam perfectionem entis *absoluti* et totam perfectionem entis *relativi.* Et propter hoc *Deitas* est *realiter identica* cum divina *substantia* et cum divinis *relationibus* in Deo manentibus (Cfr. Q. VIII. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2 ad 8.^{m} et 9.^{m}).

175. **Obiic. 3.°** *Ante omnem operationem nostri intellectus* divina substantia *Patris communicatur* Dei Filio, *at non illius* divina Paternitas. *Ergo ante omnem operationem nostri intellectus* Paternitas actualiter formaliter ex natura rei *distinguitur* ab essentia divina. - Ita Scotistae.

R. Concedo *antecedens* et nego *consequens* cum consequentia. Etenim sicut Fides Catholica nos docet, per processionem divini intellectus « *essentia* communicatur entitative *Filio,* at Paternitas « entitative negatur de illo et non **solum** *formaliter*: alias Pater et « Filius formaliter *solum* et non entitative distinguerentur. — Ergo, « si ex hoc quod *essentia* divina communicatur Filio et non *Paterni-* « *tas* aliqua realis distinctio colligitur, debet colligi nedum *formalis* « sed etiam *entitativa.* - Unde, ut supra vidimus, Gilbertus Porreta- « nus eodem fundamento ductus, asseruit relationes divinas *realiter* « *entitative* distingui a divina essentia, eique esse *solum* assistentes, « sive *extrinsecus affixas* » (Gonet, Op. cit. Disp. II *De Relat. Divin.*, art. 1 §. III, n. 29). Quae conclusio evidenter non potest admitti, quum laedat unitatem divinae substantiae. — Unde ad obiectionem Scotistarum respondemus, quod in Deo essentia et relationes distinguntur **solummodo** virtualiter, et quod haec distinctio virtualis sufficit ut Deitas, quatenus *essentia,* communicetur Filio; et Deitas,

quatenus *Paternitas,* non comunicetur Dei Filio, eo prorsus modo, quo, propter *virtualem* distinctionem intellectus divini ab eius voluntate, processio Filii distinguitur sufficientissime realiter a processione Spiritus Sancti (Cfr. infra Q. XXXIX, art. 1 ad 2.m; et Q. VII *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 1 ad 5.m).

176. **Infertur** ex dictis, quod Relationes divinae in Deo realiter exsistentes, utpote *realiter identicae* cum divina substantia, sint aliquid *per se subsistens,* quemadmodum per se subsistens est divina substantia cum qua identificantur. — Hic solvitur

177. Q. III. Quid est Relatio divina prouti a *parte rei* exsistit in Deo?

R. Ex art. 1 h. q. scimus hanc relationem realem esse *realem respectum* unius divinae Personae ad aliam Personam sibi relative, seu vi originis, oppositam. In praesenti articulo autem ostendimus hanc ipsam relationem esse *identicam realiter* cum divina substantia (Cfr. n. 171, 4.°). Cum ergo divina substantia sit realiter ipsa substantia unicuiusque Personae divinae, propterea possumus relationem realem in Deo exsistentem definire hoc modo *Substantia* **unius** divinae Personae *secundum quod habet* oppositionem relativam ad **aliam** divinam Personam, sive secundum quod est *quae ab alia,* vel *a qua alia,* persona procedit.

Art. III. Utrum Relationes quae sunt in Deo, realiter ad invicem distinguantur.

178. Cognita exsistentia et quidditate relationis realis in Deo exsistentis, exponendum est: Quot numero sint huiusmodi Relationes?

179. Ad cuius quaesiti solutionem adverte, quod numerus supponit *distinctionem realem* inter partes numeratas. Unde prius ostendendum est dari realem distinctionem in relationibus, et postea colligendae sunt in numerum hae distinctae unitates. — *Primum* fit ab Angelico in hoc articulo, *alterum* in sequenti.

180. Circa titulum h. a. adverte τὸ *Relationes* nullo signo syncategorematico affici, ideoque non esse accipiendum *universaliter,* quia de distinctione *Spirationis Activae* tam a *Paternitate* quam a *Filiatione* tractatur a S. Thoma inferius Q. XXXII, art. 2, sed intelligendum esse *indefinite;* ita ut sensus huius quaesiti sit.

An Relationum realium *in Deo exsistentium* **nonnullae** *sint* realiter *ad invicem distinctae?* (Cfr. Caiet., Nazarius, Sylvius, Molina, Vasquez, etc. *Com.* in h. a.).

181. Huic quaesito negative respondent

A) Sabelliani et omnes Unitarii qui realem distinctionem inter Personas Ss. Trinitatis proterve negant. Quum enim divinae Personae **solis** relationibus *mutuo* oppositis possint *realiter* distignui, haeretici negantes realem distinctionem inter Personas divinas coguntur logice affirmare, quod *relationes* reales, in Deo *formaliter* exsistentes, nec etiam ad invicem *realiter* distinguerentur.

B) Similiter omnes illi, qui negant dari in divinis relationes aliquas reales, negant consequenter *distinctionem realem* inter easdem relationes. Finge namque relationes omnes, *in Deo immanentes*, esse lusum nostrae rationis, et in hac hypothesi etiam *distinctio* inter easdem relationes erit lusus *nostrae rationis*, non vero *aliquid reale*.

C) Contrarium autem tenent omnes Catholici Doctores cum Ecclesia Catholica, sicut mox patebat. — Prius tamen quam dogma Fidei constituamus, nonnulla philosophica problemata ad hanc quaestionem pertinentia praeponimus. Unde sit

182. Q. I. Undenam sumitur *dictinctio specifica* Relationum?

Respondeo argumentando in hanc formam. Distinctio *specifica* cuiusque entis desumitur ex parte proprii elementi *specifici* seu *differentialis*. Ita quoniam *mensura extensionis* est diversa ab *Anima*, propterea *Geometria*, quae tractat de mensura corporum extensorum distinguitur specifice, seu est Scientia specifice distincta, a *Psychologia* quae tractat de Anima.

Atqui in *Relationibus* notio τοῦ IN est elementum eius quasi *genericum*, dum notio τοῦ AD est eius elementum quasi *differentiale* (Cfr. n. 142).

Ergo distinctio *specifica* Relationum desumitur ex parte proprii elementi AD, quod illis relationibus est **quasi** *specificum* seu *differentiale:* ita ut si elementum AD proprium **unius** relationis differat ab elemento AD proprio **alterius** relationis, tunc illae duae relationes *differunt specie*.

183. **Corallarium I.**^{m} Quoniam in relatione notio τοῦ IN est eius elementum **quasi** *genericum*, facile colligitur relationes accipere distinctionem **quasi** *genericam* ex parte τοῦ IN videlicet ex *diversa*

natura Subiecti in quo relatio inhaeret. Unde omnes relationes inhaerentes in homine sunt *eiusdem generis* quia omnes in *una specie* humanitatis inhaerent. E contra scientia *Geometriae* quae infuit in Euclide est *diversa* **quasi** *generice* a scientia *Geometriae* quae inest in Angelo, quia natura humana est diversa a natura angelica. Patet. — At

184. Q. II. Undenam desumitur *unitas numerica* Relationum?

R. Ea quae differunt *genere* ex. gr. Homo et Angelus, item ea quae differunt *specifice* ex. gr. Homo et Asinus, omnia haec differunt **semper** *numero* inter se. Unde, si duae relationes differunt inter se *generice* aut *specifice,* ipsae **a fortiori** differunt *numerice.*

Si autem relationes sint *eiusdem generis,* utputa *Paternitas* Adami, *Servitus* Pauli, *Dominatus* Pharaonis, et aliae huiusmodi relationes quae solent in *humanis individuis* inesse, istae relationes differunt inter se *numerice* ex distinctione *numerica subiectorum* in quibus insunt. Etenim accidentia desumunt propriam *numericam unitatem* ab unitate numerica subiecti in quo inhaerent.

Et similiter si relationes sint *eiusdem speciei,* ipsae differunt *numerice* ex *numerica* distinctione subiectorum in quibus inhaerent. — Ratio est eadem ut antea. — Unde ex. gr. *Paternitas* quae fuit in Adamo, et *Paternitas* quae fuit in Davide sunt accidentia *eiusdem speciei,* quia referentia unicuiusque earum est ad *eumdem specifice* terminum, i. e. Filium : at distinguuntur *numerice* ex eo quod Adam differt numerice a Davide.

Sic igitur, recapitulando omnia, habetur quod *relationes* distinguuntur inter se numerice quando sunt *diversi generis* aut *diversae speciei,* vel quando insunt *diversis* numero *subiectis.*

185. **Corollarium II.**m Exinde fit manifestum, quod, si plures relationes insint *uni* numero *subiecto, multitudo numerica* earum nonnisi ex *diversa formalite* terminorum ad quos referuntur, desumi potest. Re quidem vera in Isaac erant *Paternitas* respectu *Iacob* et *Filiatio* relate ad *Abraham,* at illae duae relationes differebant *numero* eo quod *Iacob* et *Abraham* sunt termini *numerice* distincti. Constat.

186. His praenotis, ponitur

Conclusio. *Relationes reales, in Deo formaliter exsistentes, distinguuntur realiter inter se.*

Nota. Est Fidei dogma.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Equidem ex testimoniis S. Scripturae, superius n.° 47 contra Sabellianos adductis, apparet evidenter divinas Personas esse inter se *realiter distinctas.* Consequenter formalitates, secundum quas divinae Personae inter se *realiter* distinguuntur, oportet esse quoque *realiter* inter se distinctas.

Atqui divinae Personae nonnisi per *relationes* invicem *oppositas* distinguuntur realiter inter se; quia Deus est omnino simplex (Q. III, art. 7).

Ergo omnino necessum est, ut huiusmodi relationes, in Deo formaliter exsistentes, sint *realiter* inter se distinctae.

2.° *Ex Conciliis. A*) Toletanum XI in symbolo Fidei docet de Ss. Trinitate, quod « in *relatione* Personarum *numerus* cernitur; « in divinitatis vero *substantia* quid numeratum sit *non comprehendi-* « *tur.* Ergo in hoc solum numerum insinuant quod *ad invicem* sunt; et in hoc numero carent quod *ad se* sunt » (*Enchir.* n. 280).

B) Lateranense IV in cap. *Firmiter* statuit « Haec Sancta Trini- « tas, secundum communem essentiam individua, et secundum per- «sonales proprietates (*i. e. relationes est*) discreta » videlicet numero *distincta* (*Enchir.* n. 428).

C) Florentinum Concilium denique Sess. XVIII in solemni decreto (quod a P. Ioanne de Monte Nigro, Latinorum theologo, fuit compositum) testatur: « Est vero secundum Doctores tam Graecos « quam Latinos *sola relatio* quae multiplicat Personas in divinis « productionibus, quae vocatur relatio *originis,* ad quam duo tantum « spectant, *a quo alius* et *qui ab alio* » (Cfr. Harduinus *Concil. Collectio,* Tom. IX, pag. 203).

Ex quibus auctoritatibus fit sequens argumentum. Concilia Generalia agnoscunt *distinctionem numericam* in relationibus divinis, siquidem fatentur eas esse *numero* distinctas, vel *numero multiplicare* divinas personas. — Iamvero illa, quae habent inter se *distinctionem numericam,* distinguuntur *realiter* inter se: patet. — Et ideo Concilia Generalia agnoscunt *distinctionem realem* in relationibus realibus quae sunt *formaliter* inter divinas Personas.

3.° *Ex auctoritate.* Etenim « dicit Boëthius in Lib. *De Trinit.,* « cap, 6 quod *Substantia in divinis continet* unitatem, *Relatio mul-* « *tiplicat* Trinitatem. Si ergo relationes non distinguuntur ab invicem « *realiter,* non erit in divinis Trinitias *realis,* sed *rationis* tantum: « quod est Sabelliani erroris » (Hic *Sed Cont.*) caput.

4.° *Ratione theologica.* Ea, secundum quae aliqua duo *realiter* distinguuntur, oportet esse etiam *inter se realiter* distincta. — Atqui extrema, inter quae viget realis relatio quae in Deo est, distinguuntur *realiter* secundum relationes. — Ergo necesse est etiam divinas relationes esse invicem *realiter distinctas.* — Maior et illatio syllogismi ex se patent.

Prob. min. « Ex eo quod *aliquid* alicui attribuitur, oportet quod « attribuantur ei omnia quae sunt de ratione *illius :* sicut cuicumque « attribuitur (τὸ) *Homo,* oportet quod attribuatur et (τὸ) *esse ratio-* « *nale.* — De ratione autem relationis est respectus unius *(extremi)* « ad alterum *(extremum),* secundum quem *(respectum)* aliquid alteri « opponitur relative. — Cum igitur in Deo *realiter* sit relatio, ut di- « ctum est art. 1 h. q., oportet quod *realiter* sit ibi *(i. e. in Deo re-* « *lativa)* oppositio. — Relativa autem oppositio in sui ratione *(seu* « *definitione*) includit distinctionem *(extremorum talis relationis).* — « Unde oportet *(i. e. necessum est)* quod in Deo sit **realis distin-** « **ctio** non quidem secundum rem absolutam (quae est essentia) in « qua est summa *unitas* et *simplicitas,* sed secundum rem relativam » (Hic, o), videlicet secundum ipsas reales relationes. — Consequenter termini, inter quos viget realis relatio divina, debent distingui *realiter* secundum ipsas relationes. Q. E. D.

187. **Obiic.** *Quae sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se. Atqui quaelibet* Relatio divina *est* realiter identica *cum divina substantia* (Cfr. n. 170). *Ergo* unaquaeque relatio divina *est* identica realiter *cum quavis altera.*

R. Dist. mai. *Quae sunt... inter se* quantum ad illud elementum secundum quod *identificantur* cum illo tertio : *Concedo ;* quantum ad alia elementa secundum quae *non identificantur* cum illo tertio : *Nego.* – Dist. min. *Atqui quaelibet.. substantia* ita tamen ut *differat ratione* a divina substantia : *Concedo ;* aliter : *Nego* — Dist. conseq. *Ergo unaquaeque... quavis altera* quantum ad illud elementum secundum quod utraque relatio *identificatur* cum divina substancia : *Concedo ;* quantum ad illud elementum secundum quod utraque relatio *non identificatur* cum essentia divina : *Nego.* — Solutio est facilis. Nam, si duae res quantum ad *unum solum* suorum elementorum fuerint identicae, non possunt dici *totaliter* vel *simpliciter* identicae. Ita ex. gr. ex eo quod *Homo* quantum ad *aliquid sui* et *Bos* similiter quantum ad *aliquid sui* sint idem cum τῷ *Animali,* non licet in-

ferre simpliciter *Ergo* Homo *est* idem realiter *ac* Bos, sed debet cum *distinctione* seu *restrictione* inferri, dicendo *Ergo* Homo *quantum ad* partem animalem est idem realiter *ac* Bos *quantum ad* partem animalem. — Potest tamen simpliciter inferri, dicendo *Ergo* Homo *et* Bos *distinguuntur* realiter *ab invicem,* quia *Homo* et *Bos* in propriis rationibus formalibus important notas invicem *oppositas,* videlicet *Rationale* et *Irrationale.* Unde « et similiter licet Paternitas sit « idem secundum rem cum essentia divina, et similiter Filiatio *(sit « idem secundum rem cum divina essentia),* tamen haec duo *(Pater- « nitas et Filiatio)* in suis *(propriis)* rationibus important oppositos « respectus *(videlicet* τὸ a quo alius *procedit ac* τὸ qui ab alio *pro- « cedit).* Unde distinguuntur ad invicem » (Hic ad 1.m Cfr. Caiet. *Com.* in h. a.).

188. **Corollarium III.m** Relationes divinae immanentes intantum distinguuntur realiter inter se, inquantum habent invicem respectus *mutuo* oppositos, inquantum scilicet earum una dicit τὸ *qui ab alio,* et altera exprimit τὸ *a quo alius.* Exinde infertur quod si plures relationes divinae non habeant invicem *mutuam* oppositionem, inter eas adest **sola** distinctio *rationis,* non vero *realis.*

Art. IV. Utrum in Deo sint tantum quatuor Relationes reales, scilicet Paternitas, Filiatio, Spiratio et Processio.

189. Art. 1 h. q. demonstravimus exsistere formaliter in Deo *aliquas* relationes reales *fundatas* super *processiones* Deo immanentes. Has relationes art. 2 h. q. vidimus identificari *realiter* cum divina substantia, distingui tamen *ratione* seu ex propria *formalitate* ab eadem divina substantia, inquantum scilicet relatio *ex sua propria formalitate,* seu *formaliter* sumpta, importat ordinem ad *terminum correlativum.* Et propter hunc ordinem ad terminum correlativum ostendimus art. praec. nonnullas relationes reales divinas *distingui realiter* inter se, inquantum scilicet aliquae earum habent respectus *invicem oppositos.* — Remanet nunc investigandum

1.° Quot numero sint huiusmodi relationes reales, in Deo *formaliter* exsistentes?

2.° Quibus nominibus vocentur?

3.° An omnes illae sint *invicem realiter* distinctae?

190. Sit igitur

Q. I. Quot numero sint *relationes reales* in Deo *formaliter* exsistentes?

Huic quaestioni satisfacit sequens

Conclusio I. *Relationes reales, in Deo* formaliter *exsistentes, non sunt nisi quatuor.*

Nota. Est certa omnium doctorum sententia.

Prob. *Ratione theologica.* Relationes reales, in Deo exsistentes, accipiuntur secundum processiones Deo immanentes, sicut n. 136 indicavimus. — Atqui processiones reales, Deo formaliter immanentes, sunt **duae tantum,** videlicet processio secundum *operationem intelligendi,* et processio secundum *operationem amoris* (Cfr. Q. XXVII, art. 5). — Ergo in Deo tot numerandae sunt relationes reales, quot habere exigunt processio secundum operationem *intelligendi* et processio secundum operationem *volendi.* Illatio est evidens.

Iamvero *unaquaeque* harum processionum exigit habere *duas* formaliter *oppositas* relationes *reales,* quarum **una** est *Procedentis* a principio, **alia** autem est *Principii* a quo alius procedit: constat.

Ergo in Deo non possunt esse nisi *quatuor* relationes reales; **duae** *fundatae* super actionem divini intellectus, et **duae** aliae *fundatae* super actionem divinae voluntatis. Q. E. D. (Cfr. hic, o). — Sequitur

191. Q. II. *Quibus* **nominibus** designantur *quatuor* relationes *reales* in Deo *formaliter* exsistentes?

Huic quaestioni respondetur, ut sequitur

Conclusio II. *Quatuor Relationes reales, exsistentes* formaliter *in Deo, nominantur* Paternitas, Filiatio, Spiratio, *et* Processio.

Nota. Est doctrina certa apud omnes catholicos doctores.

Prob. *Ratione theologica.* Demonstravimus n.° praec., quod in Deo non sunt nisi **quatuor** *relationes reales,* **duae** fundatae super processionem quae comitatur operationem divini intellectus, et **duae aliae** fundatae super processionem quae comitatur operationem divinae voluntatis.

Iamvero **processio,** quae comitatur operationem divini *intellectus,* nominatur *Generatio* propria *viventis* (Q. praec. art. 2, o): ac rursus *relationes,* quae comitantur *Generationem* propriam *viventis,* sunt Paternitas in *eo qui generat,* et Filiatio in *eo qui gignitur:* patet. Et similiter quia **processio,** quae comitatur operationem divinae *vo-*

luntatis, non habet nomen *speciale* sibi proprium (Q. praec. art. 4), propterea neque *relationes,* quae secundum eam accipiuntur, habent *nomen* sibi *speciale,* sed *Relatio* principii huius processionis consuevit nominari *Spiratio, Relatio* autem procedentis per eam processionem consuevit nominari *Processio :* quamvis haec duo nomina, *Spiratio* et *Processio,* pertineant ad ipsas processiones vel origines potius quam ad relationes significandum.

Sic igitur quatuor relationes reales, exsistentes *formaliter* in Deo, convenientissime nominantur *Paternitas, Filiatio, Spiratio* et *Processio*. Q. E. D. Cf. hic o. — Sequitur

192. Q. III. *Utrum* unaquaeque *quatuor relationum realium, in Deo exsistentium,* distinguatur realiter *a tribus aliis?*

Huic quaesito satisfacit

Conclusio III. *In Deo non exsistunt* realiter *nisi* **tres** Relationes reales *ad invicem* realiter *distinctae, videlicet* Paternitas, Filiatio *et* Spiratio Passiva *seu* Processio.

Nota. Docetur ab omnibus theologis catholicis.

Prob. *Ratione theologica.* Iuxta proverbium Scholae « in Deo « omnia sunt unum, nisi obviet relativa oppositio ».

Atqui oppositio relativa adest evidenter inter *Paternitatem divinam* et *Filiationem divinam* (idest processionem *ab alio* per actum Generationis), quia Paternitas divina excludit Processionem ab alio: similiter oppositio relativa adest evidenter inter *Paternitatem divinam,* et *Processionem ab alio per actum Amoris elicitum a voluntate eiusdem Dei :* demum oppositio relativa adest inter *Filiationem Dei* (videlicet processionem *ab alio* per actum **intellectionis** seu Generationis divinae) atque *Processionem ab alio* per actum Amoris *elicitum a voluntate eiusdem Dei ;* quia *actus Amoris* **oritur,** seu **procedit,** *a re* cognita tamquam *Bona.* Unde, si duorum mutua oppositio exprimatur per symbolum $\rightleftarrows$, habemus in Deo



Ex opposito in Deo *Spiratio Activa* non opponitur relative ad *Paternitatem.* Revera in Deo *Spiratio Activa* significat principium *actus Amoris;* dum *Paternitas* divina significat principium *a quo* procedit Dei *Filius.* — Modo nulla oppositio adest inter principium *a quo Dei Filius* procedit, et principium *a quo* procedit *actus Amoris* Dei; quia *eadem* **una** numero *Persona* potest esse **simul** principium **generans** (sive principium *a quo* procedit Dei *Filius* et **amans** (seu principium *a quo* procedit in Deo *actus Amoris*) *eumdem Dei Filium:* patet. — Ergo verissime in Deo *Spiratio Activa* non opponitur **relative** ad *Paternitatem* divinam.

Similiter in Deo *Spiratio Activa* non opponitur relative ad *Filiationem* Dei. — Revera *Spiratio Activa* significat in Deo principium *a quo* procedit *Actus Amoris:* dum *Filiatio Dei* significat in Deo *Personam* divinam procedentem per *Generationem* proprie dictam viventis: constat. — Atqui *eadem* **una numero** *Persona* potest habere *Filiationem* (videlicet *processionem per Generationem* ab alio) atque **simul** *Spirationem Activam* (videlicet *esse principium* a quo procedit *actus Amoris*): patet. — Ergo verissime in Deo *Spiratio Activa* non opponitur **relative** ad *Filiationem* sed amice cum ista **identificatur.** — Unde si mutua duorum identitas exprimatur per signum habemus in Deo

Sic igitur, hucusque demonstrata in unum recapitulando, habemus quod *in Deo non exsistunt* realiter *nisi* **tres** Relationes reales *ad invicem* realiter *distinctae, videlicet* Paternitas, Filiatio *et* Spiratio Passiva *seu* Processio (Cfr. hic, o; item infra Q. XXX, art. 2 ad 1.m; item Q. XXXII, art. 4, o; et I. *Sent.* Dist. XXVII, Q. I, art. 1, o).

193. **Corollarium.** Quoniam e quatuor relationibus realibus, in Deo formaliter exsistentibus (Cfr. n. 190), Spiratio Activa non distinguitur realiter nec a Paternitate neque a Filiatione (Cfr. n. praec.), sequitur, quod in Deo **tres** tantum sint *relationes reales* ad invicem *realiter distinctae,* videlicet Paternitas, Filiatio, et Spiratio Passiva *seu* Processio. Et quia, sicut dicemus, Relationes reales ac

realiter ad invicem distinctae multiplicant vero Personas in divinis, propterea in Deo sunt solummodo tres divinae Personae videlicet Pater, Filius et Spiritus Sanctus.

194. **Obiic. 1.°** *Idem est* medium *positum inter* duo extrema, *sicut eadem est* via *de* Athenis *ad* Thebas, *et de* Thebis *ad* Athenas. *Sed* relatio *est* medium *quoddam positum inter* duo extrema. *Ergo* eadem *est* relatio *de* Patre *ad* Filium, *ac* relatio *de* Filio *ad* Patrem, *videlicet* Paternitas *et* Filiatio *sunt* idem *realiter.*

R. Dist. mai. Idem est medium, *absolute consideratum,* inter duo extrema: *Concedo;* idem est medium, *relative consideratum,* inter etc.: *Nego.* — Contradistinguo min. ad sensum mai. Nego consequens, et dico, quod medium positum inter duo extrema, puta linea positam inter *Solem* et *Lunam,* potest considerari, uno modo *absolute* secundum quod scilicet est *quaedam quantitas,* et hoc modo habet ex sese *speciem quamdam naturalem* **independenter** *ab extremis.* Unde medium, sic *absolute* consideratum, manet semper sibimet *realiter* identicum sive ab *uno* sive ab *altero* extremo consideretur.

At si medium, positum inter duo extrema, consideratur relate ad *unum* extremorum, tunc *speciem* trahit a *tali* extremo. Unde, quia extrema haec non coincidunt realiter, propterea medium, consideratum per ordinem ad *unum* extremum, non coincidit, sed *habet oppositionem,* cum eodem medio considerato relate ad *aliud* extremum. Ex. gr. linea a Sole ducta *versus* Lunam habet *oppositionem relativam* cum linea ducta a Luna *versus* Solem.

Atqui *Paternitas* et *Filiatio* sunt quidem respectus *medii* inter duo *extrema* videlicet Patrem et Filium: attamen *Paternitas* exprimit ordinem ad unum extremum idest *Filium,* dum *Filiatio* exprimit ordinem ad alterum extremum nempe *Patrem.* Et ideo *Paternitas* et *Filiatio* non sunt realiter unum et idem sed *distinguuntur realiter* (Cfr. hic ad 5.m).

195. Manifeste divinus intellectus dicit *relationem* ad veritatem, et divina voluntas importat *relationem* ad bonitatem: exinde oritur

Q. IV. *Utrum relatio* divini intellectus *ad* veritatem, *et relatio* divinae voluntatis *ad* bonum *sint* relationes *reales?*

R. *Negative.* Prob. Etenim *relatio realis* requirit *distinctionem realem* inter *duo extrema;* sicut superius n.° 146, γ demonstravimus.

Atqui in Deo *realiter idem* **omnino** sunt *divinus intellectus* et *res intellecta,* item *divina voluntas* et *res volita:* nam Deus non *intelligit*

neque *amat* nisi seipsum et creaturas secundum quod sunt participationes divinae naturae (Cfr. Q. XIV, artt. 2 et 5; item Q. XIX, artt. 1 et 2); dum in nobis et Angelis *intellectus* et *res intellecta*, item *voluntas* et *res volita* non sunt realiter identica.

Ergo « in his in quibus *(realiter)* differt *intellectus* et *intellectum*, « *volens* et *volitum*, potest esse realis relatio et *scientiae* ad rem « scitam et *volentis* ad rem volitam. — Sed *(sicut monuimus)* in Deo « est idem omnino *intellectus* et *(obiectum) intellectum*, quia *(Deus)*, « intelligendo se, intelligit omnia alia: et eadem ratione *(idem omni-* « *no in Deo)* sunt *voluntas* et *volitum*. Unde in Deo huiusmodi rela- « tiones non sunt reales, sicut nec relatio eiusdem ad idem» (Hic ad 1.m).

196. **Obiic. 2.°** *Verbum Dei est res intellecta a Deo Patre. Si ergo res intellecta a Deo Patre non habeat* **relationem realem** *ad Deum Patrem, sequitur quod Verbum Dei* **non distinguatur realiter** *a Deo Patre. Quae est haeresis Sabelliana.*

R. Dist. antec. Verbum Dei est res intellecta, *i. e. res formaliter ut intellecta*, a Deo Patre: *Nego;* res intellecta *sed formaliter uti procedens* ab intellectu Dei Patris: *Concedo.* — Nego consequens et dico quod « etsi Deus intelligat Verbum suum, atque ita Verbum « sit *res intellecta (a Deo Patre)*, aliquid tamen importatur in *Verbo*, « quod res intellecta, inquantum huiusmodi, non importat. In hoc enim « quod dicitur *res intellecta*, non denotatur aliqua processio ab intel- « lectu, cum res intellecta *(ut sit vere talis)* non debeat procedere ab « intellectu. In hoc autem quod dicitur *Verbum*, semper denotatur « processio ab intelligente, cum *Verbum* non sit *(idest non exsistat* « *actualiter)* nisi quatenus ab intelligente procedit. — Et, quia inter « *procedens* et *principium a quo* realiter procedit oportet esse distin- « ctionem ac etiam relationem realem, ideo inter *Verbum* et *Patrem* « est relatio *realis*, non autem inter *Patrem* intelligentem et *rem* quae « intelligit » (Sylvius, *Com.* in h. a. — Cfr. hic ac 1.m).

197. **Scholium I.m** Ex eadem causa, ex qua provenit ut idea *Hominis*, in Deo exsistens, non distinguatur *realiter* ab idea *Equi* quae in Deo ipso exsistit, provenit quoque, quod *relationes* inter ideas, quae exsistunt in intellectu divino, *non sint* nec etiam *reales:* sed illi « respectus ideales sunt intellecti a Deo. Unde ex eorum « pluralitate non sequitur, quod sint plures relationes *(reales)* in « Deo, sed quod Deus cognoscat plures relationes » (Hic ad 3.m)

imitabilitatis essentiae suae a creaturis : in qua quidem imitabilitate Dei a creaturis consistit formaliter ratio Ideae (Cfr. supra Q. XV, artt. 1, et 2).

198. **Scholium II.m** In responsione ad 4.m Angelicus mentionem facit de hac quaestione : Utrum scilicet relatio *aequalitatis* et relatio *similitudinis,* quae vigent inter divinas Personas, sint *reales* an *rationis*. At has quaestiones nos cum ipso S. Thoma examinandas relinquimus inferius Q. XLII art. 1 ad 4.m ubi et *negative* solventur.

QUAESTIO XXIX

DE PERSONIS DIVINIS

199. **Prologus.** Quia Personae divinae secundum relationes originis distinguuntur (*Prol.* Q. XXVII), ideo « praemissis... his quae « de *processionibus* et *relationibus* praecognoscenda videbantur, ne- « cessarium est aggredi *(tractatum)* de *Personis*. — Et primo *(dicen-* « *dum est de Personis)* secundum *(earum)* considerationem absolu- « tam *(QQ. XXIX-XXXVIII)* : deinde *(de eisdem)* secundum compa- « rativam considerationem (*QQ. XXXIX-XLIII*)

« Oportet autem (*tractantes*) absolute de Personis, (*eas*) primo « quidem in communi considerare (*QQ. XXIX-XXXII*) ; deinde de « singulis Personis (*specialiter disputare — QQ. XXXIII-XXXVIII*).

« Ad communem autem considerationem Personarum quatuor per- « tinere videntur. Primo quidem significatio huius nominis Persona « (*in divinis — Q. praes.*). Secundo vero numerus Personarum (*divi-* « *narum — Q. seq.*). Tertio ea quae consequuntur numerum Perso- « narum (*divinarum — Q. XXXI*). Quarto vero ea quae pertinent ad « notitiam Personarum (*Q. XXXII*) » (*Prol.* h. q.), secundum quod scilicet in praesenti vita nobis innotescunt divinae Personae.

200. Cupiens vero Angelicus exponere quid significet in divinis nomen **Persona,** synthetica methodo procedit, ita ut prius in communi exponit

Quid sit *Persona* (art. 1 h. q.), et

Qua ratione (*Persona*) differat ab *hypostasi, subsistentia* et *essentia* (art. 2 h. q.).

Deinde specialiter statuit

An exsistant **Personae** in divinis (art. 3 h. q.) et

Quidnam significet nomen **Personae in divinis** (art. 4 h. q.).

201. Praeclaram videlicet methodum prosequitur Aquinas. Etenim sapienter animadvertit Theodorus Abucara, saec. IX scriptor, « iis qui verorum dogmatum amatores defensoresque sunt, necessa- « rium esse vocabulorum distinctionem et explanationem. Nam, accu- « rata illorum notitia destituti complures qui sapientes habebantur, « a veritate aberraverunt, et ad absurda quaedam et blasphema de- « lapsi sunt, atque ab recta in Deum Fide ceciderunt » (Cfr. Petavius, Op. cit., Lib. IV, cap. 1). Unde S. Hilarius exagitans Arianos in Libris *De Trinit.* primum librum concludit hac oratione ad Deum: « Tribue nobis *(Domine)* verborum significationem, intelligentiae lu- « men, dictorum honorem, veritatis fidem, et praesta ut quod credi- « mus, et loquamur ». Hactenus Pictaviensis praesul et Doctor. — Sit igitur

ART. I. DE DEFINITIONE PERSONAE.

202. Hic quaeritur definitio **Personae** secundum quod de ea est usus in humano sermone. Eo vero tendit articuli littera, ut optima appareat definitio quam de *Persona* assignat Boëthius, quando in Libro *De duabus Naturis* (al. Lib. IV. *De Trinit.*), cap. 2 ait: « Per- « sona est natura rationalis individua substantia ».

203. Sciendum est igitur, quod nos Latini nominamus *Personam* id quod Graeci πρόσωπον vocant. Eadem tamen est origo sive ἔτυμον utriusque vocis. Nam « secundum Boëthium, Lib. cit., cap. 3, sum- « ptum est nomen *Personae* a personando, eo quod in tragediis et « comaedis recitatores sibi ponebant quamdam larvam ad represen- « tandum illum, cuius gesta narrabant decantando. Et inde est, quod « tractum est in usu, ut quodlibet individuum hominis, de quo potest « talis narratio fieri, *Persona* dicatur. Et ex hoc dicitur πρόσωπον in « graeco a πρός quod est *ante,* et ὠπος quod est *facies,* quia huius- « modi larva ante faciem ponebant» (I. *Sent.* Dist. XXIII, Q. I, art. 1, o). Hactenus de origine utriusque vocis.

204. Nunc ad rem, per nomen designatam, deveniendo, prius removendae sunt falsae neotericorum notiones de *Persona.*

A) Laurentius Valla (1418-1468) in Lib. VI *Elegantiarum*, cap. 34,

Boëthii definitionem de *Persona* carpit, contendens nomen *Personae* non denotare substantiam sed **qualitatem** aliquam **animae** vel **corporis.** Solemus namque dicere Titium vel Caium esse *personam regis,* aut *iudicis,* aut *retoris,* aut *divitis* aut *sapientis* etc. — Sed

a) *Valla opinio est reiicienda.* — Prob. α) Equidem Tullius (Lib. *De Oratore*) ait: « Hominum esse *innumerabiles personas* », ubi vides individua humanae naturae appellari personas.

β) Similiter in iure tum civili tum canonico frequens est usus nominis *Personae* ad significandum humana individua, ut patet in §§ *De statu hominum,* legg. 1 et 2, et in tit. *Per quas Personas* etc.

γ) Adhuc in Act. X, 34 legimus: « Non est *personarum* acceptor « Deus = Οὐκ ἔστιν προσωπολήπτης ὁ Θεός »; et Gal. II, 6 similiter « Deus *Personam Hominis* non accipit » (Cfr. Sap. VI, 8). Ubi manifeste *Persona* designat non *qualitatem* individualem alicuius sed ipsum *individuum* humanae naturae.

δ) Praeterea Conc. Later. IV, cap. *Firmiter,* sanxit quod « Pa« ter, et Filius et Spiritus Sanctus *tres* quidem *Personae* (*sunt*) sed « una substantia » (Cf. *Enchir.* n. 428). Videlicet in divinis invenitur *realitas* designata per nomen *Personae:* quae tamen realitas in Deo non est *qualitas,* sed substantia intellectualis ac individua ipsius Dei; uti per se patet. Similia statuta inveniuntur « Conc. Florentino in *Decreto pro Iacobitis* (*Enchir.* n. 703), a Conc. Toletano XI in *Symbolo Fidei* (Ibid. n. 278), a Synodo Hispalensi II, cap. 23; et a multis aliis.

ε) Idem quoque usus vocis *Personae* invenitur apud S. Athanasium in symbolo Fidei, ubi legimus « Alia est Persona *Patris,* alia *Filii,* alia *Spiritus Sancti* » (*Enchir.* n. 39): item apud S. Hieronymum in epistola *ad Damasum R. P.* quae incipit *Quoniam vetusto errore;* apud S. Augustinum Lib. V. *De Trinit.* cap. 9 et Lib. VII, cap. 6; apud S. Hilarium in Lib. *De Synodis,* etc. (Cfr. Suárez, Lib. I *De Trinit.* cap. 1). Unde non minus arroganter ac temerarie quam inscite ludimagister Valla reprehendit Boëthium circa significationem vocis *Personae,* dum constat eum loquutum fuisse more S. Scripturae, Conciliorum, Ss. Patrum, et Iurisperitorum.

B) Molitus est quoque impugnare *indirecte* definitionem Personae, a Boëthio traditam, Ioannes Lockius (1632-1704) qui, advertens quamlibet personam frui *unitate propriae conscientiae* por totum suae

vitae cursum, intulit humanam personam *constitui* ab unitate propriae conscientiae. Unde iuxta Lockium Persona definiri debet *Substantia habens unitatem propriae conscientiae* (Cfr. Locke, *Essai philsophique concern. l' entendem. humain* Lib. II, cap. 27, § 9).

Hanc eamdem opinionem sequuti sunt postmodum Iakobi, Kuhn, Maine de Biram, Dievingen, et plerique alii a rationalistarum castris. — Attamen

b) *Locki opinio est omnino reiicienda.* Prob. Si Persona esset substantia habens unitatem propriae conscientiae, tunc, quia in Deo sunt tres *numero* distinctae Personae, oporteret credere, quod in Deo essent tres *numero* distinctae substantiae divinae et non *una numero* divina substantia. Illatio est clara.

Atqui haeresis tritheistarum (Cfr. n. 14) est ponere, quod in Deo sint tres *numero* distinctae substantiae : nam Fides Catholica profitetur, quod « alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti : « sed Patris, Filii et Spiritus Sancti **una** est **divinitas** etc. » (*Enchir.* n. 39).

Ergo, salva Fide Catholica, non potest retineri opinio Lockii dicentis quod Persona sit substantia habens unitatem propriae conscientia (Cfr. Cousin, *Philosophie de Lockie,* Lect. VI ; item Zigliara, *Sum. Phil.,* Ontol. Lib. III, cap. 1. art. 4, nn. X et XI).

C) Non disimiliter a Lockio egit Ab. Antonius Günther (1783-1863), qui in sua *Propedeut. Theol.,* Vol. I, p. 155, pp. 284-285, et p. 585 definit Personam hoc modo *Est natura sui conscia.* — At

c) *Haec quoque definitio Personae est perniciosa.* Prob. α) Haec namque definitio offendit in primis eadem inconvenientia circa Trinitatem divinarum Personarum, quae notavimus contra Lockium. Patet. Unde est reiicienda.

β) Praeterea in definitione Guëntheriana τὸ *conscientia* non potest designare nisi *vel* operationem substantiae intellectivae considerantis actuales suas affectiones, *vel* aptitudinem substantiae intellectivae ad illam operationem exercendam. — Atqui humana natura in Christo, quia fuit perfecta et integra, habuit *tum* actum conscientiae, *tum* aptitudinem ad hunc actum : constat. — Et ideo *humana natura* in Christo fuit *Natura sui conscia.* Illatio est evidens.

Si ergo *Persona* est idem ac *Natura sui conscia,* oporteret confiteri, quod in Christo adesset *duplex Persona,* videlicet *Verbi* et *Humanae naturae :* quod est haeresis Nestoriana (Cfr. n. 14, *C*).

D) Abbas Rosminius non dissimiliter a Güntherianis definivit *Personam* dicendo *Est natura praedita libera voluntate.* — Sed

d) *Rosmini definitio est etiam falsa.* Prob. α) Ista namque definitio offendit eadem inconvenientia, quae §§. praec. pro definitionibus *Personae* datis a Lockio et a Günther notata sunt : unde est reiicienda. Patet.

β) Praeterea positio Rosminii est periculosa in Fide Catholica. « Nam vel conceditur *duplex* libera voluntas in Christo, *divina* sci- « licet et *humana,* prout docet catholica Fides ; et ex praefata do- « ctrina Rosminiana de *Personalitate* sequerentur duae Personalita- « tes in Ipso, quod est haeresis Nestoriana ; vel conceditur *una* « **tantum** personalitas nempe divina, secundum quod tradit Catholica « doctrina ; et tunc ex eodem errore Rosminiano sequeretur *negatio* « *voluntatis humanae* in Christo : quod est haeresis Monothelitica » (Lorenzelli, *Metaph. Gen.,* P. III, Lect. I, n. VI).

205. Reliquum est ut declaremus notionem quam de Persona tradit loc. cit. Boëthius. Qua de causa nota 1.° quod « licet univer- « sale et particulare inveniantur in omnibus generibus, tamen spe- « ciali (*idest digniori* — Cfr. Caiet. *Com* in h. a.) quodam modo « invenitur in genere substantiae (*Quae quidem dignitas apparet* « *animavertendo quod quaelibet)* substantia individuatur (*sive habet* « *unitatem numericam*) per seipsam (*i. e. per elementum aliquod con-* « *stitutivum essentiae substantiae*) sed accidentia individuantur (**sem-** « **per** proxime *aut* remote) per subiectum (*inhaesionis*) quod est « substantia. Dicitur enim **haec** *albedo,* inquantum est in **hoc** subie- « cto (Cfr. Goudin, *Philos.,* IV. P. Disp. I, Q. III, art. 1 : item *nost.* « *Com.* in I. P. Q. III, artt. 2 et 3, nn. 196, 202 et sqq.) Unde etiam « convenienter individua substantiae habent aliquod *speciale* nomen « prae aliis (*individuis*). Dicuntur enim hypostases, vel primae sub- « stantiae » (Hic, o), dum reliqua individua accidentalia retinent nomen commune τοῦ *individuum* vel *singulare.*

2.° adverte quod « adhuc quodam specialiori et perfectiori modo « invenitur *particulare* et *individuum* in substantiis rationalibus (Hic, « o). Sicut (*enim*) substantia individua proprium habet quod *per se* « exsistat, ita proprium habet quod *per se* agat ; nihil enim agit, nisi « ens actu. Et propter hoc *calor,* sicut non *per se* est, ita non *per* « *se* agit.—Hoc autem quod est *per se* agere, excellentiori modo « convenit substantiis rationalis naturae quam aliis. Nam **solae** sub-

« stantiae rationales habent *dominium* sui actus ; ita quod in eis est « *agere* et *non-agere :* aliae vero substantiae *magis* aguntur *quam* « agant. Et ideo convenientius fuit, ut substantia individua rationalis « naturae speciale nomen haberet (Q. IX *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* « art. 1 ad 3.m). Et hoc nomen est Persona » (Hic, o).

3.° perpende, quod τὸ *individuum* vel *singulare* est magis extensum quam *individuum substantiale;* et similiter τὸ *individuum substantiale* est magis extensum quam *Persona,* quae est individuum rationalis naturae. — Et rursum, sicut *individuum substantiale* differt ab *individuis accidentalibus* per hoc quod individuum substantiale habet *ex se* quamdam completionem, quoniam *per aliquid* **suae** *essentiae* habet *individualitatem ;* ita *individuum rationalis naturae* seu *persona* differt ab aliis *individuis substantiis* per hoc, quod persona habet naturam intellectualem, quod non convenit aliis substantiis individuis quae non sunt Personae. Consequenter *Persona* habet super omnes alias notiones triplicem dignitatem seu perfectionem ; quarum

α) *prima* est, quod sit in *genere substantiae ;*

β) *secunda,* quod sit *particularis* et *individua,* ita ut nec *dicatur* nec *dici possit de pluribus;*

γ *tertia* perfectio personae est, quod sit *naturae rationalis* seu *intellectivae.* Et propter hoc nonnulli, tempore S. Thomae, solebant definire Personam, dicendo : *Persona est hypostasis distincta proprietate ad nobilitatem pertinente* (Cfr. I. *Sent.* Dist. XXV, Q. I, art. 1 ad 8.m ; et hic art. 3 ad 2.m).

206. His notatis, statuitur sequens

Conclusio. *Conveniens est definitio Personae tradita a Boëthio.*

Nota. Docetur ab omnibus Scholasticis.

Prob. *Ratione naturali.* Persona, sicut dictum est n. praec. § 3.°, habet triplicem perfectionem videlicet *substantiae, individualitatis* seu singularitatis perfectae, et *naturae* seu essentiae *inteligentis.*— Atqui haec triplex perfectio continetur in definitione Boëthiana, cum dicitur *Persona est substantia individua rationalis naturae.* Patet. — Ergo definitio Personae, tradita a Boëthio, est conveniens (Hic, o).

Confirmatur. « Hoc nomen *Persona* secundum suam communita- « tem (*i. e. in tota sua latitudine*) acceptum (*Cfr. hic ad 1.*m) non « est nomen intentionis (*logicae*) sicut hoc nomen *Singulare,* vel « *Genus* vel *Species ;* sed est nomen *rei* cui accidit aliqua intentio,

« scilicet intentio *Particularis* et *in natura determinata* scilicet intel-« lectuali vel rationali. Et ideo in definitione *Personae* ponuntur *tria*, « scilicet

« *Genus* illius *rei,* quod significatur in nomine Personae, dum « dicitur *Substantia ;* et

« *Differentia,* per quam contrahitur ad naturam determinatam in « qua ponitur *res* quae est Persona, in hoc quod dicitur *Rationalis* « *naturae ;* et

» ponitur etiam aliquid pertinens ad *intentionem* illam sub qua « significat nomen *Personae* rem suam ; non enim significat substan-« tiam rationalem *absolute* sed secundum quod subintelligitur intentio « *particularis,* et ideo additur *individua* » (I *Sent.,* Dist. XXV, Q. I, art. 1, o — Cfr. n. praec., 3.°).

207. **Scholium.** Nomen « Substantia (*quod in definitione* Perso-« nae *ponitur*) accipitur communiter prout dividitur per *primam* et « *secundam.* Et per hoc, quod (*ibidem*) additur *individua,* trahitur « ad standum pro substantia *prima* (Hic ad 2.m) Et sic hoc nomen « *individuum* ponitur in definitione Personae ad designandum modum « subsistendi (*omnino incommunicabiliter*) qui competit substantiis « particularibus » (Hic ad 3.m).

Tò *Rationalis* autem, quod in definitione *Personae* habetur, non accipitur *rigorose* et *stricte,* sed large prout idem valet ac *intellectualis* (Cfr. I. *Sent.* loc. cit. ad 4.m)

Nomen tandem *Naturae,* quod invenitur in praedicta definitione, accipitur pro *essentia* specifice *sumpta.* « Conveniens (*autem*) fuit, « quod in definitione Personae, quae est *singulare* alicuius generis « determinati, (*Boëthius*) uteretur nomine *Naturae,* quam *Essentiae* quae sumitur ab esse quod est communissimum » (Hic ad 4.m).

208. **Corollaria.** 1.° « Triplex incommunicabilitas est de ratione « *Personae ;* scilicet

« *partis,* secundum quod (*Persona*) est (*ens specifice*) completum ; « et *universalis,* secundum quod (*Persona*) est (*realitas per se*) subsi-« stens ; et

« *assumptibilis,* secundum quod id quod assumitur, transit in « personalitatem *alterius,* et non habet personalitatem *propriam* » (III. *Sent.* Dist. V, Q. II, art. 1 ad 2.m)

Atqui rationalis « anima est pars humanae speciei. Et ideo, licet « sit separata, quia tamen retinet naturam *unibilitatis*, non potest

« dici substantia individua quae est *hypostasis* vel substantia prima, « sicut nec *manus* nec quaecumque alia partium hominis.

« Et sic non competit ei neque definitio personae neque nomen » (Hic ad 5.m).

2.° Evidens est, quod *natura intellectualis* culmen dignitatis possideat inter alias naturas. Item *modus essendi per se* absque subiecto inhaesionis *vel* comparte essentiae propriae est *perfectio*. Ergo, quia haec duo, *natura* scilicet *intellectualis* et *modus essendi per se* comprehenduntur in ratione *Personae,* propterea in communi loquendo « Persona significat id quod est perfectissimum in tota natura, « scilicet subsistens in rationali natura » (Cfr. art. 3 h. q., o.) — Ubi observa, quod, quando « B. Thomas hic dicit personam significare « id quod est perfectissimum in tota natura, non ita est accipiendum, « quasi *personalitas* sit perfectior quam *natura ;* sed quia (*natura*) « intellectualis tunc dicitur esse modo perfectiori, cum *per se* et *in-* « *communicabiliter* subsistit : nam persona et *naturam* ipsam includit, et quae complementum naturae est, *personalitatem* ». Hactenus Sylvius, *Com.* in art. 3 h. q. (Cfr. Caiet., Bannez, Nazarium etc. *Com,* in loc. cit.)

Art. II. Utrum Persona sit idem quod Hypostasis, Subsistentia, et Essentia.

209. « Hic agit S. D. de ratione huius nominis **Persona** in com- « paratione ad sex alia nomina quae sunt *Hypostasis, Subsistentia,* « *Essentia, Substantia, Suppositum* et *Res naturae :* de solis tamen « primis tribus, ut praecipuis ac magis usitatis, propositum est quae- « situm (*in titulo h. a.*). — In quo adverte

« *primo* sermonem hic esse de Persona communiter sumpta, prout « extenditur ad personam *creatam* et *increatam,* atque ideo coetera, « ad quae fit comparatio, accipienda esse in eadem communitate.

« *Secundo* scito ditionem illam **idem** non significare tantum iden- « titatem *realem* sed etiam *formalem* inter dictorum nominum signifi- « cationem, ut patet ex discursu litterae (*corporis articuli*) et ex I. « Sent. (*Dist. XXIII, art. 1*) ubi sic proponit (*Angelicus hoc idem*) « quaesitum : Videtur quod dicta nomina nullam distinctionem ha- « beant, sed sint quasi synonima » (Nazarius, *Com.* in h. a.).

210. Videtur, autem prima fronte articulus iste ad contentiosam pertinere theologiam, non ad eam quae Fidem aedificat. — Verum non est ita, sed iuvat ad catholice exponendum contra haereticos testimonia Patrum antenicoenorum, vel qui circa tempora Arii vixerunt. Ariana siquidem face exorta, lites gravissimae coeperunt exagitari inter Latinos et Graecos. Latini siquidem perpendentes vocem ὑπόστασιν significare *substantiam,* nolebant profiteri in divinis esse tres hypostases, ne scilicet viderentur cum Ario *tres substantias* facere *Patrem, Filium* et *Spiritum Sanctum* (Cfr. S. Gregor. Natianz., *Orat. XXI,* n. 35). Et hac de causa S. Hieronymus in Ep. XV (*al.* 57) *ad Damasum PP.,* n. 4 scribit *sub voce hypostasis latere venenum,* eo quod tota saecularium litterarum schola nihil aliud ὑπόστασιν nisi οὐσίαν noverat. Ex adverso Graeci considerantes vocem *Persona* apud romulaeos scriptores significare *larvam* qua mimi et histriones in theatris suam faciem ad varios homines repraesentandos velabant, nolebat in divinis profiteri esse tres personas ne inde viderentur sentire *in Deo adesse unicum suppositum gerens vices trium aliorum propter diversas larvas seu exteriores habitudines assumptas,* atque ideo in Sabellianam perfidiam declinare (Cfr. art. seq. ad 3.m).

211. Refert Socrates (Lib. V. *Hist. Eccl.,* cap. 5) ad sedandas turbas inter Latinos et Graecos exortas Hosium fuisse a Constantino Magno missum Alexandriam; ubi, quum pervenit, tamquam ex cathedra loquens sanxit, ut in posterum vox οὐσία pro *essentia,* et vox ὑπόστασις ab omnibus pro *persona* deinceps adhiberetur. Sed iste usus nonnisi serius post tempora Concil. Chalcedonensis, anno 451 celebrati, communis evasit (Cfr. Kleutgen, *Tract. De Deo,* n. 740, § *Scholion*).

212. Ostensa utilitate praesentis articuli, ad eius expositionem deveniendo, noto

A) nomen *Substantiae* tripliciter sumi

α) Uno modo *large;* secundum quod scilicet *substantia* significat **essentiam** cuiusvis rei, tum si haec res pertineat ad **categoriam** Substantiae, tum si pertineat ad **categoriam** Accidentium. Quo modo solemus dicere, quod alia est substantia *lucis,* alia *quantitatis,* alia *hominis,* alia *equi,* etc. — Substantiam, sic *large* acceptam, Graeci οὐσίαν nos vero Latini *essentiam* vocamus.

β) Alio modo vox *Substantia* accipitur *minus large;* et hoc modo designat **essentiam** cuiusvis Substantiae consideratae *tantum*

quoad principia eius *specifica,* ut quando dicimus **Substantiam** Petri esse τὸ *Animal Rationale.* — Substantiam, hoc modo acceptam, Peripatetici *substantiam secundam* vocant.

γ) Tertio modo vox *Substantia* accipitur *strictissime* et *magis concrete,* et hoc modo significat *essentiam substantialem* consideratam cum *omnibus suis principiis individualibus ;* ut puta quum dicimus τὸ *Homo,* vestitum principiis individualibus Petri, esse *Substantiam* eiusdem Petri. — Haec *substantia,* individualiter considerata, dicitur in Scholis *Substantia prima* sive *individua,* a Graecis autem nominatur ὑπόστασις (Hic, o. — Cfr. Q. IX *De Pot.,* art. 1, o ; et I. *Sent.* Dist XXIII, art. 1, o).

B) Adhuc substantia haec *individualis* potest considerari tripliciter

α) *Primo* quidem, secundum quod talis substantia individua existit *per se,* et non *in alio* tamquam **subiecto inhaesionis.** Haec substantia individualis, considerata quatenus *ens* non indigens *subiecto inhaesionis,* vocatur a Graecis οὐσίοις, a Latinis vero *Subsistentia* vel **melius** *res subsistens.* Illa enim subsistere dicimus, quae *non in alio* sed *in se* exsistunt.

β) *Secundo* eadem substantia individualis potest considerari quatenus *supponitur* sive *continetur sub* categoria alicuius *substantiae naturalis ;* et sub hoc adspectu vocatur *Res naturae.* Ita ex. gr. *Petrus, Paulus* etc. dicuntur *Res naturae.*

γ) *Tertio* eadem substantia *individua* potest considerari quatenus realitas **sustentans** omnia accidentia quae illi substantiae inhaerent, et hoc modo considerata ipsa substantia individualis vocatur ὑπόστασις vel simpliciter substantia (Ibid.). « Hypostasis, inquit Da« mascenus (Lib. III. *Orthod. Fid.* cap. 6), definitur essentia cum « accidentibus. Quocirca hypostasis est illud quod habet id quod « commune est **cum** propria *nota,* et insuper *per se* exsistat ».

213. **Scholium I.**[m] Ne ex aequivocatione errare contingat, adverte quod *subsistentia,* accepta pro οὐσίοσι vel re subsistente, differt toto coelo a *subsistentia,* accepta *formaliter* pro modo sive actu illo essendi quo substantia iam individua fit *sui iuris* et non indigens aliquo subiecto ad hoc ut *sit et operetur.* Nam haec subsistentia *formalis* est modus quidam entitativus **superadditus** substantiae individuae : e contra subsistentia, quam in hoc articulo memoramus, est ipsa *substantia* individua (Cfr. dicta in Vol. I, Q. III, art, 3, nn. 205

et seqq.). Unde, ne error contingat, voco *subsistentiam formalem* perfectionem illam *qua* substantia individua fit sui iuris quoad *esse* et *operari;* aliam vero *subsistentiam,* de qua fit sermo in hoc articulo, appello *adiective* seu *concrete* dictam.

214. **Corollarium.** Si igitur *substantia individua* potest sub triplici adspectu considerari, i. e. quatenus *subsistens,* quatenus *res naturae,* et quatenus *hypostasis,* sequitur quod substantia individua, seu prima, est *realiter identica* cum subsistentia *adiective* dicta, item cum *re naturae,* et cum ὑπόστασι: differunt autem invicem ratione modo prius dicto (Cfr. loc. cit.).—Statuitur inde

215. **Conclusio I.** *In rebus finitis et compositis* Essentia *distinguitur* REALITER *a* Persona, *item ab* Hypostasi, *item a* Re Subsistente, *necnon a* Re Naturae.

NOTA. Est communis inter theologos.

Prob. *Ratione naturali.* Equidem in rebus compositis *Essentia,* quia exprimit seu significat principia specifica earum, i. e. *Genus proximum* et *differentiam ultimam,* NON INCLUDIT autem **principia individualia** earumdem rerum (Cfr. n. 212, *A*, α)

Atqui in rebus finitis et compositis *Persona,* quia est *substantia* **individua** *rationalis naturae* (Cfr. n. 206), INCLUDIT evidenter **principia individualia** humanae naturae:

item in eisdem rebus finitis seu compositis *Hypostasis* est rei essentia INCLUDENS **principia individua** eiusdem rei (Cfr. n. 212, *A*) γ):

item in eisdem rebus finitis seu compositis *Res Subsistens* seu οὐσίοσις, quia exprimit **quamdam substantiam individuam** (Cfr. n. 212, *B*, α), INCLUDIT evidenter **principia individua** talis rei:

denique in rebus eisdem finitis seu compositis *Res naturae,* quoniam exprimit **quamdam substantiam individuam** (Cfr. n. 212, *B,* γ), evidenter INCLUDIT *aliqua* **principia individualia** talis rei.

Ergo *in rebus finitis et compositis* Essentia etc. (Cfr. Hic, o et loc. cit.).

216. **Scholium II.**m Adverte praecedentem conclusionem esse veram *solum* in rebus finitis; non autem in Deo, in quo, ob summam eius simplicitatem, Persona divina est *realiter identica* cum divina Essentia seu Deitate, nec non cum Subsistentia divina (Cfr. Q. III, art. 3). Unde Ss. Patres, loquentes de S.ma Trinitate, ponunt in Deo tres *Subsistentias* loco trium *Personarum.* Revera in

Concil. Lateranensi, sub S. Martino I celebrato an. 649, in can. 1 legimus: «Si quis secundum Ss. Patres non confitetur proprie et «veraciter... Unum Deum in *Tribus Subsistentiis* consubstantialibus «et aequalis gloriae... condemnatus sit» (Enchir. n. 254). Et iam antea in Concilio Constantinopolitano II (Oecum. V) celebrato an. 553, can. 1 definitum legimus: «Si quis non confitetur Patris, et Fi- «lii et Spiritus Sancti... Unam Deitatem in *Tribus Subsistentiis,* sive «*Personis* adorandam, talis anathema sit» (Enchir. n. 213). Similia in posterioribus Conciliis leguntur.

217. **Conclusio II.** *Persona* α) non distinguitur realiter, β) *sed* **solum** ratione *ab hypostasi naturae rationalis,* item *a subsistentia naturae rationalis,* et *a re naturae rationalis* seu *intellectivae.*

Nota. Est certa apud Scholasticos.

Prob. **utraque pars** simul. *Ratione theologica.* Etenim illa quae habent diversa quidem nomina, sed eamdem prorsus significationem, distinguuntur quidem inter se *ratione* sed *non realiter:* ita ex. gr. *Petrus* et *Cephas,* quae de principe Apostolorum dicuntur, distinguuntur quidem inter se *nominaliter* seu *ratione*. non autem *realiter.* Patet.

Atqui haec tria *Hypostasis naturae rationalis* (Cfr. n. 212, *A,* γ), item *Subsistentia naturae rationalis* (Cfr. n. 212, *B,* α) ac tandem *Res naturae rationalis* (Cfr. n. 212, *B,* β), habent quidem inter se *diversa nomina* uti patet, sed *eamdem* prorsus *significationem* cum realitate designata per nomen *Persona* (Cfr. n. 206): sicut quisque videre potest considerando definitiones superius positas.

Ergo verissime *Persona* α) non distinguitur *realiter,* β) sed solum *virtualiter* seu *ratione* ab etc. Q. E. D. Cfr. hic, o.

218. **Scholium III.**m Ad complementum praesentis doctrinae reminiscendum est ex dictis in art. 3 Q. III (Cfr. Vol. I, nn. 199 et seqq.) quod

α) in nulla re *essentia* et *natura* distinguuntur *realiter* inter se, sed solum *ratione ratiocinata,* inquantum scilicet *res,* prouti exprimit synthesim proprii *generis proximi* ac *differentiae ultimae,* vocatur *essentia;* dum eadem *res* prouti **prima** radix *virium agendi* nominatur *natura* (Ibidem, n. 200): item quod

β) in substantiis **corporalibus** *essentia* earum et *individualitas* earum distinguuntur *realiter* inter se: ex. gr. *natura humana* distinguitur *realiter* a *principiis individualibus* quibus eadem natura affici-

citur in Petro, aut Paulo etc. — Et hoc est evidens: quoniam, si illa duo essent **realiter** *identica,* tunc, sicut *diversa* sunt in Petro et Paulo *principia individualia,* ita quoque et *diversa* esset eorum *natura humana,* et sic Petrus et Paulus non essent in *eadem specie:* quod est falsum (Ibid., n. 203). — E contra

γ) omnes substantiae **spirituales** ex propria natura habent *individualitatem* et *naturam specificam.* Unde in eis *individualitas* et *natura specifica* differunt **sola** *ratione* (Ibid., n. 204).

Ex istis tribus memoratis colligitur satis evidenter, quod

A) *in omni substantia materiali,* actualiter exsistente *in hoc mundo,* natura earum *specifica* sumpta *differat realiter* ab earum natura *individualiter* considerata, sicut *pars* a *toto;* quia *natura* earum *individua* complectitur etiam principia *individualia* praeter principia *specifica* (Ibid., n. 202, et hic, o).

B) In *Angelis* autem natura *specifica* et natura *individualis* differunt *sola ratione;* quia scilicet **solum** ratione distinguitur essentia specifica Gabrielis ab individualitate eiusdem Gabrielis (Cfr. loc. cit.)

219. **Scholium IV.**[m] Iterum ostensum fuit (Cfr. Vol. I, n. 208), quod in *omni substantia creata* modus seu perfectio entitativa, qua talis substantia redditur *Suppositum* vel *Persona* (videlicet *subsistentia* formaliter *sumpta* — Cfr. n. 213) differat realiter a natura *substantiae individuatae* sive a *subsistentia* adiective *dicta* (Ibid.).

Atqui tam in *supposito* quam in *persona* includitur perfectio entitativa subsistentiae *formaliter* acceptae. Patet.

Ergo in *omni substantia creata* suppositum vel persona *differt realiter* ab earum substantia individua; quoniam suppositum vel persona est quoddam *totum,* cuius substantia individua est quaedam eorum pars (Cfr. Vol. I, n.° 210).

Art. III. Utrum nomen Personae sit ponendum in divinis.

220. Nota hic fieri sermonem de *Persona* considerata quantum ad eius *reale* ac *formale* significatum, demptis imperfectionibus quas secum habet, quando invenitur in creaturis intellectualibus. Et rursum τὸ *sit* debet accipi pro *exsistat realiter,* et non solummodo iuxta nostrum modum intelligendi.

221. In corpore articuli solvuntur duo quaesita, videlicet

primo: Utrum ratio Personae exsistat *realiter* in Deo?

secundo: An ratio Personae dicatur *univoce* de Deo et de creaturis?

222. Superius (Cfr. n. 204, § *A*) memoravimus Laurentii Valla errorem dicentis *Personam* non significare *substantiam quamdam* sed *qualitatem* animi aut corporis humani. Unde intulit rationem Personae convenire Deo non proprie sed improprie ac metaphorice, quo modo scilicet dici solet Deum *induere* Personam hominis *irati,* aut *liberalis,* vel *misericordis,* etc.

Nonnulli Protestantes itidem perpendentes vocem *Personae* nonnisi **semel,** videlicet II. Cor. II, 10, et quidem in sensu repraesentationis moralis, dici de divinis, horrent ponere Personas *veras* ac *proprie* dictas in divinis (Cfr. hic arg.^{m} 1.^{m}; et S. August. Lib. VII. *De Trinit.,* cap. 4, n. 8).

Similiter veram personalitatem a Deo removent Pantheistae praesertim Idealistae qui retinent Deum esse ens constitutum in perpetuo fieri. — Contra quos omnes ponitur

Conclusio I. *Ratio Personae invenitur* realiter *et* proprie *in divinis.*

Nota. Est Fidei dogma.

Prob. 1.° *Argumento Biblico.* S. Scriptura, de divinis loquens, utitur *nominibus* vel *praenominibus personalibus.* Christus revera in Evangelio ait: « *Ego* et *Pater* unum **sumus** » (Ioan. X, 30); item « Clarifica *me tu, Pater,* apud temetipsum » (Ibid., XVII, 5); tandem « Quum venerit *Paracletus,* quem *Ego* mittam vobis a *Patre... Ille* « testimonium perhibebit de *Me* » (Ibid. XV, 26).

Atqui verba S. Scripturae sunt interpretanda in sensu litterali et proprio nisi sequatur absurdum: alioquin nulla absurditas sequitur, si pronomina *Ego, Tu, Ille,* etc. in citatis locis intelligantur *proprie* de Personis Divinis.

Ergo reipsa ex testimonio S. Scripturae convincimur in divinis exsistere *vere* et *proprie* Personas.

Maior et **prima pars minoris** non indigent probatione. Unde

Prob. **II.ª pars minoris,** videlicet *nulla absurditas sequitur,* si pronomina *Ego, Tu, Ille* etc. in praecitatis locis *intelligantur* proprie *de Personis.* Etenim nihil absurdi habetur ponendo aliquid *per se subsistens* in natura divina; quoniam *subsistere per se* est summa perfectio. — Atqui subsistens in natura divina idem est ac Dei Per-

sona *proprie* dicta : patet. — Ergo nulla absurditas resultat ponendo in Deo Personas *proprie* dictas. — Consequenter nulla absurditas sequitur, si pronomina *Ego, Tu, Ille* in praecitatis locis S. Scripturae intelligantur de Divinis Personis. Q. E. D.

2.° *Ex auctoritate Ss. Patrum et Conciliorum.* Et sane sermones Ss. Patrum et Conciliorum Generalium, quando *dogmatice* sententiam ferunt, debent *proprie* et non solummodo *metaphorice* intelligi ; secus per eorum definitiones quaestiones cum haereticis non manerent resolutae ac preremptae sed potius magis involutae et adauctae. — Atqui Ss. Patres et omnia Concilia Generalia a Niceno usque ad Vaticanum nos docent in divinis exsistere tres realiter distinctas Personas videlicet *Patrem, Filium* et *Spiritum Sanctum.* — Ergo ratio Personae exsistit *vere* ac *proprie* in divinis. Q. E. D.

Prob. minor. Et quidem de Conciliis Generalibus res est evidens, legendo symbola Fidei quae in eisdem Conciliis composita fuerunt, et quorum verba superius relata sunt.

Similiter de Ss. Patribus res certa est. Etenim « dicitur in sym- « bolo Athanasii : *Alia est* Persona *Patris, alia Filii, alia Spiritus* « *Sancti* » (Cfr. hic *Sed Cont.*) — Et S. Fulgentius in Lib. *De Trinit,* cap. 3 dicit: « Cum quaereretur a Patribus (*circa mysterium Ss. Tri-* « *nitatis*) **quid tria ?...** dixerunt *Tres* Personas, *Unam* Essentiam ; « ut una essentia declararet Deum (*syngulariter*), tres autem Perso- « nae Ss. Trinitatem (*Personarum*) ostenderent ». Similia ibidem, cap. 4 (Cfr. *Enchir. Patrist.,* n. 2251).

3.° *Ratione theologica.* Notio Personas, sicut ex eius definitione (Cfr. art. 1 h. q.) apparet, non includit nisi haec tria, videlicet notionem *substantiae,* notionem *naturae intellectualis,* et notionem *subsistentiae :* quae notiones sic involvunt *perfectionem* at *nullam* redoleant *imperfectionem.* Unde rectissime dicimus, quod « *Persona* signi- « ficat *id quod est perfectissimum in tota natura,* scilicet subsistens « in rationali natura. Unde, cum omne illud quod est perfectionis, « Deo sit attribuendum, eo quod eius essentia continet in se omnem « perfectionem, conveniens est ut hoc nomen *Persona* de Deo (*rea-* « *liter ac proprie*) dicatur » (Hic, o. — Cfr. ad 2.^{m} ; item Q. et art. cit. *De Potent.,* o ; item I *Sent.* Dist. XXIII, Q. I, art. 2, o).

223. **Obiic. 1.°** « Universaliter non est audendum aliquid dicere « nec cogitare de supersubstantiali occulta Divinitate praeter ea « quae divinitus nobis ex sanctis eloquiis sunt expressa » *prouti*

(*pseudo*) *S. Dionysius dicit in* Lib. *De Divin. Nom.* cap. 1. *Atqui nomen* Personae *non exprimitur nobis in Scriptura N. aut V. T. Ergo nomine* Personae *non est utendum in divinis.*

R. Conc. Mai. — Dist. min. Nomen, *i. e. vox,* Personae etc.: *Concedo.* Nomen, *i. e. res significata per nomen,* Personae etc.: *Nego.* — Nego consequens et dico, « quod licet nomen Personae in Scri- « ptura Veteris vel Novi Testamenti non inveniatur dictum de Deo, « tamen id quod nomen (*Personae*) significat, multipliciter in Sacra « Scriptura invenitur assertum de Deo, scilicet quod est maxime per « se ens et perfectissime intelligens. — Si autem oporteret de Deo « dici solum illa secundum vocem quae S. Scriptura de Deo tradit, « sequeretur quod numquam in alia lingua posset aliquis loqui de « Deo, nisi in illa in qua primo tradita est Scriptura Veteris vel « Novi Testamenti. — Ad inveniendum autem nova nomina, antiquam « fidem de Deo significantia, coëgit necessitas disputandi cum haere- « ticis. — Nec haec novitas vitanda est, cum non sit profana utpote « a Scripturarum sensu non discordans. Docet autem Apostolus *pro- « phanas* vocum novitates vitare I. ad Timoth. (*cap.*) ultimo » Hic ad 1.m).

224. **Obiic. 2.°** *In Deo ponitur* identitas realis *inter* Essentiam *et* Personam, *hoc est* relationem realem *per se* subsistentem (*Cfr.* (*art. seq.*). *Atqui in Deo est* **una** Essentia. *Ergo fateri oporteret, quod in Ipso sit* **unica** Persona *videlicet* **unica** Relatio realis *per se* subsistens. *Hoc autem est absurdum, quia* Relatio *requirit* **duos** terminos. *Ergo absurde ponitur* Personalitas *in divinis. Melius dicitur* Deus impersonalis.

R. Dist. mai. *In Deo ponitur* identitae realis... Personam, consideratam quantum ad notionem **in:** *Concedo;* consideratam quantum ad notionem **ad:** *Nego.* — Concedo primam minorem. — Nego consequens cum consequentiis, et explico animadvertendo quod relatio quaelibet complectitur (Cfr. n. 142) elementum IN et elementum AD. Relatio igitur, considerata quoad elementum IN, est *accidens* in creaturis, in Deo autem est *divina substantia:* et hoc modo Relatio, in Deo exsistens, nullam patitur distinctionem. — At Relatio, considerata quoad elementum AD, est ordo *unius* extremi AD *alterum* extremum **relative** oppositum, et hoc modo inducit *distinctionem realem* inter extrema. Et relatio realis, in Deo exsistens, considerata quantum ad elementum AD, non est *identica realiter* cum divina essentia;

sed est *respectus* seu *referentia* unius divinae Personae AD aliam divinam Personam, et sic inducit veram *distinctionem realem* inter divinas Personas, et realem Trinitatem divinarum Personarum.

225. Satis de primo quaesito : nunc pro alterius (Cfr. n. 221) quaesiti resolutione sit.

Conclusio II. *Ratio Personae* α) *non dicitur* univoce *de Deo et de creaturis,* β) *sed* excellentiori modo *convenit Deo prae creaturis.*

NOTA. Est conclusio pure theologica.

Prob. I.ª PARS ratione S. Thomae. «Quaecumque non conveniunt «in *uno genere generalissimo,* non potest de eis aliquid univoce (*i.* «*e. secundum eamdem rationem genericam aut specificam — Cfr. Q.* «*XIII, art. 3,* o) dici. — Sed Deus, cum non sit in *Genere* (*Cfr. Q. III,* «*art. 5*) nec in *Specie,* nec in *Accidente* cum (*Dei, tamquam Acci-* «*dentis, aliquod*) subiectum esse non possit, ut Boëthius probat «Lib. I. *De Trinit.* cap. 3; et sic de aliis (*categoriis*). — Ergo nec «*Persona* nec aliquid (*aliud nomen*) de Deo *univoce* et de creaturis «dicitur» (I. *Sent.,* Dist. XXV, Q. I, art. 2, arg.m 4.m — Cfr. hic, o).

Prob. II.ª PARS ratione theologica. Ea quae continentur in definitione Personae, modo quodam *transcendentali* ac *perfectiori* conveniunt Deo prae omnibus creaturis. Probabo. — Ergo tota ratio Personae dicitur de Deo *excellentiori modo* quam de creaturis. — Illatio est evidens. — Probatur antecedens, discurrendo per singula elementa definitionis Personae.

Et imprimis quantum ad τὸ *Rationalis naturae* adverte «quod «Deus potest dici rationalis naturae, secundum quod ratio non im-«portat *discursum* sed communiter intelligibilem naturam» (Hic ad 4.m): videlicet hoc elementum *Rationalis Naturae* invenitur in Deo quantum ad id quod perfectionis habet, non autem quantum ad progressionem de *ignoto* ad *notum ;* quae sane progressio est imperfectio quaedam (Cfr. S. August. Lib. *De quantit. Animae,* cap. 27).

Item τὸ «*individuum* Deo competere non potest quantum ad hoc «quod (*in creaturis corporalibus*) individuationis principium est ma-«teria (*hoc enim esset ponere Deum ens corporeum*) sed solum se-«cundum quod importat incommunicabilitatem» (Ibid.).

Tandem τὸ «substantia convenit Deo secundum quod significat «exsistere per se» (Ibid.), non autem quatenus denotat subiectum positum sub accidentibus.

Sic igitur elementa omnia posita in definitione quam dedit Boë-

thius de *Persona,* solummodo quantum ad ea quae perfectionis habent, convenit Deo (Cfr. hic, o et loc. cit.). — Unde et Paulus, attendens ad excellentiam Paternitatis divinae super Paternitatem creatam, ait: «Flecto genua mea ad *Patrem* Domini Nostri Jesu Christi, « ex quo **omnis Paternitas** in coelis et in terra nominatur» (Ephes. III, 14 et 15).

226. **Corollarium.** Si attendatur modus significandi importatus in verbis definitionis *Personae* a Boëthio traditae (Cfr. n. 202), notio Personae convenit proprie solis hominibus. Unde, licet ratio seu perfectio designata per nomen Personae convenit principalius Deo quam creaturis, tamen nomen Personae, consideratum quantum ad *modum significandi et impositionem nominis* convenit *familiarius* creaturis quam Deo (Cfr. I. *Sent.* Dist. XXV, Q. I, art. 2 ad 3.m; et hic, o). Unde « quidam dicunt, quod definitio superius (art. 1 h. « q.) a Boëthio data, non est definitio *Personae* secundum quod per« sonas in Deo dicimus. Propter quod Richardus de S. Victore (Lib. « IV. *De Trinit.* capp. 18 et 23) corrigere volens hanc definitionem, « dixit quod *Persona,* secundum quod de Deo dicitur, *est* divinae in« communicabilis exsistentia » (Hic ad 4.m). Melius tamen diceretur, quod *Persona divina est divinae naturae substantia, quatenus per relationem est alteri divinae Personae incommunicabilis,* vel quod *sit ipsum esse divinum secundum quod est per relationem alteri divinae Personae incommunicabile.*

Art. IV. Utrum hoc nomen Persona significet Relationem.

227. Art. praecedente demonstravimus ex fontibus divinae revelationis rationem Personae inveniri *proprie* ac *formaliter* in divinis. Remanet nunc, ut explicemus: *Quid sit Persona divina?* — Hoc obiectum praesentis articuli.

228. Sed forte quaestio ista inutilis plerisque apparet. Etenim facile quisque arguere potest, dicendo: « luxta celebrem Boëthii de« finitionem *Persona est rationalis,* sive intellectualis, *naturae indivi« dua substantia. Ergo et similiter* Persona divina est divinae natu« rae individua substantia ».

Verum responsio ista, nisi congrua accedat explicatio, non resolvit complete quaestionem huius articuli. Etenim 1.° in Deo eius *na-*

tura est **realiter identica** tam cum *divina substantia* quam cum *eius individualitate* (Cfr. Q. III, art. 3). Unde dicendo quod *Persona divina* est *divinae naturae individua substantia* tota haec loquutio videtur puerilis ταυτολογία sicut, si dicerem quod *Persona divina* est *divinae naturae naturalis natura...!* — 2.° accedit quod, si definitio Personae divinae, illis verbis expressa, retineatur tamquam bona, tunc **Deitas ipsa,** quia est divinae naturae individua substantia, esset vere *Persona divina.* Absurdum!...

Unde notio Personae divinae non est completa, quando dicitur quod Persona divina est divinae naturae individua substantia. Ut ergo theologo perfectius innotescat notio genuina divinae Personae, Angelicus hunc articulum specialiter ponit.

229. Ad intelligentiam autem dicendorum praenoto ex superius dictis in Q. XIII

1.° terminos **aliquos** humani sermonis dici *absolutos* seu *denotare rem quae non dicit ordinem ad alterum:* huiusmodi sunt *Homo, Angelus, Substantia* etc. — **Alii** vero termini humani sermonis dicuntur *relativi* quia scilicet *rem habentem ordinem ad alium terminum:* quales termini sunt Pater, *Filius, Servus, Aequalitas* etc.

2.° adverte terminos eiusdem humani sermonis

α) **aliquos** exprimi in *recto* seu *casu nominativo,* sicut quando dico *Homo, Angelus, Lucidus, Rigidus* etc.

β) **alios** vero exprimi in *obliquo* seu *casu* diverso a *nominativo,* sicut quando dico *Hominis, Lucis, Angelo,* etc.

— Differentia inter hos duos modos terminorum est, quod terminus, qui est in casu *obliquo,* dicitur *semper de altero,* seu habet relationem *realem* aut *logicam* ad alterum terminum, videlicet est *terminus relativus:* dum terminus qui ponitur in casu *recto,* potest *quandoque* habere relationem ad alterum seu esse *terminum relativum, quandoque* vero non, seu esse *terminum absolutum.* — Id patet ex adductis exemplis.

3.° nota ex terminis positis in *casu recto* quosdam esse *substantivos* sive nomina ut puta *Homo, Lux, Angelus* etc.; alios autem esse *adiectivos* puta *Humanus, Angelicus,* etc.

— Differunt vero haec duo genera terminorum, quoniam terminus *adiectivus* significat **semper** aliquid *adveniens* alteri ideoque est **semper** terminus aliquo modo *relativus;* dum terminus *substantivus,* positus in *casu recto,* significat **quadoque** aliquid *absolutum* sicut

cum dico *Petrus, Aquila, Deus,* **quandoque** autem significat aliquid *relativum* sicut cum dico *Creatura, Servus, Relatio* etc.

4.° nota nomina *substantiva casus recti* accipi

α) quandoque *formaliter* seu *quidditative* quando scilicet assumuntur ad significandum *essentiam specificam* rei per tale nomen designatae. Ita accipitur *formaliter* τὸ *Homo* quando hoc nomine denoto Animal-Rationale seu compositum ex Anima Rationali et Corpore organico.

β) quandoque vero ipsa *nomina substantiva casus recti* accipiuntur *materialiter* seu *individualiter,* quando scilicet talia nomina accipiuntur ad significandum *individuum* in quo invenitur *quidditas* eo nomine *designata.* Ita τὸ *Homo* accipitur *materialiter* quando denotat *aliquod individuum* humanae naturae (Cfr. Q. IX. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 4, o).

5.° praenoto ex praec. quaestione in Deo, πέλαγῳ οὐσίας, inveniri realitatem perfectionis *absolutae* et realitatem perfectionis *relativae.* Quare nomen quodcumque divinum debet de Deo significare

α) vel *realitatem* pure *absolutam,*

β) vel *realitatem* pure *relativam,*

γ) vel *realitatem* simul *absolutam* et *relativam* Dei ; non quidem confusim sed distinctim ; ita ut tale nomen exprimat .

γ') vel realitatem absolutam *in recto* et realitatem relativam *in obliquo,* aut e contra

γ") exprimat realitatem relativam *in recto* et realitatem absolutam *in obliquo* (Cfr. hic, o).

Fit inde mamifestum quod hoc nomen *Persona,* quum de Deo dicatur realiter et proprie (Cfr. art. praec.), non potest nisi unum ex illis quatuor significationibus habere.

6.° recolito *relationem* posse accipi dupliciter, videlicet

α) vel quantum ad elementum eius *genericum* idest sub conceptu IN,

β) vel quantum ad eius elementum *formale* idest *differentiale* seu sub conceptu AD.

7.° Sed quum de divinis relationibus fit sermo, nota diligenter « relationem originis in Deo esse adeo eminentem et perfectam (*rea-* « *litatem*) ut ratione suae perfectionis et eminentiae aequivaleat non « solum omnibus (*homonymis*) relationibus, sed etiam subsistentiis et « personalitatibus creatis. Ex quo fit, quod (*unaquaelibet divinarum*

« *relationum*) ita exerceat munera *relationis et personalitatis,* ac si « in ea ratio *personalitatis et* (*ratio*) *relationis* **realiter** distinguerен- « tur. Huius ratio est, quia relatio divina non est *accidens* et *inhae-* « *rens* subiecto sicut relatio creata, sed est *identificata* cum substan- « tia divina, atque ita *ex vi propriae lineae* (*divinae*) est quid sub- « stantiale et subsistens. — Unde theologi in divinis relationibus duos « conceptus seu duo munia *inadaequata* distinguunt, scilicet *formae* « *referentis* seu puri respectus ad terminum (*correlative oppositum*) « et formae *hypostatice subsistentis ;* ut latius exponemus quando « agemus de Divinarum Personarum constitutione » (Gonet, Dip. IV *De Personis Divinis,* art. 2, *notand. 3.°* — Cfr. infra Q. XL, art. 2, o).

230. His praemissis, nunc ad propositam in h. a. quaestionem deveniendo, theologi in tam varias et oppositas abierunt sententias, ut monente eodem Goneto (Cfr. loc. cit.) illorum opiniones vix in ordine poni possunt. Claritatis tamen gratia nos insistentes his quae Angelicus variis (Cfr. hic, o ; item Q. et art. cit. *De Pot. ;* et I. *Sent.,* Dist. XXIII, art. 3, ac Dist. XXVI, art. 1) habet, sequentes referemus theologorum hac super re sententias ; studiosiores lectores ad veteres commentatores h. a. quales fuere Ferre, Nazarius, Zumel, Torres etc.

A) Prima ergo opinio, quae defenditur a Durando (I. *Sent.* Dist. XXIII, q. 1), arbitratur hoc nomen *Persona,* si *formaliter* sumatur, significare quoddam *ens rationis ;* si vero accipiatur *materialiter* (Cfr. n. 229, 4.°) supponere pro individuis constitutis ex proprietatibus personalibus. — Hanc sententiam tamquam probabilem retinet Torres (*Com.* in h. a.). — At

a) *Durandi opinio est reiicienda.*

Prob. 1.° Sicut vidimus art. 1 h. q., iuxta Boëthii et S. Thomae sapientes animadversiones, τὸ *Persona* denotat *formaliter,* seu *ex vi propriae naturae,* id quod est perfectissimum in universa categoria entis videlicet *substantiam individuam naturae intellectualis.* — Huiusmodi autem non est *ens rationis,* sicut ex terminis patet. — A fortiori igitur τὸ *Persona divina,* apex et culmen totius realitatis, non potest formaliter significare *ens quoddam rationis.*

2.° Praeterea, sicut in ontologia docetur, *ens rationis* dependet quantum ad *fieri* et quantum ad *esse* a cogitatione nostri intellectus. Si ergo τὸ *Persona divina* esset quoddam *ens rationis,* sequitur evidenter, quod in divinis non exsisteret *realiter* et *independenter a co-*

gitatione nostri intellectus Persona aliqua, sed quod universa Trinitas divina esset partus nostrae rationis ratiocinantis : quod est haeresis Sabelliana.

B) Sequitur opinio Scoti (I. *Sent.* Dist. cit., q. unica) qui tenet quod τὸ *Persona Divina,* considerata formaliter, significet *puram rationem incommunicabilitatis,* seu simplicem negationem communicabilitatis, *ad alteram divinam Personam.* — Scoti opinionem amplexati sunt Molina (Hic, Disp. II) et Torres (*Com.* in h. a.). — Sed

b) *Scoti opinio non videtur sequenda.*

Prob. Persona divina, *formaliter* considerata, est *principium quo* singulae Personae divinae constituuntur in *proprio esse personali* (quemadmodum in natura humana Persona Petri, considerata formaliter, est *principium quo* Petrus constituitur *in suo esse personali*) : ideoque est realitas aliqua *positiva et divina.*

Iamvero *simplex negatio communicabilitatis* ad alteram Personam non est *realitas aliqua positiva et divina ;* siquidem convenit evidenter τῷ *nihilo puro,* item τῷ *puncto geometrico* solitarie *exsistenti:* patet.

Ergo imposibile est, ut huiusmodi *simplex negatio communicabilitatis* ad aliam divinam Personam sit τὸ *Persona divina* formaliter *considerata.* Q. E. D.

C) Eschatologicis his opinionibus sepositis, S. Augustinus (Lib. VII *De Trinit.,* capp. 4 et 5), Hugo de S. Victore in *Eruditionibus Theologicis* (Tract. I *Sum. Sent.* cap. 9), Petrus Lombardus (I. *Sent.,* Dist. XXV) et plerique alii theologi dixerunt « quod hoc nomen *Per-* « *sona* simpliciter ex virtute vocabuli *essentiam* significet in divinis, « sicut hoc nomen *Deus* et hoc nomen *Sapiens ;* sed propter instan- « tiam haereticorum (Hic, o, *et*) propter insufficientiam nominum ad « loquendum de Deo accomodatum est hoc nomen *Persona* a Ss. Pa- « tribus in Nicaeno Concilio (..?/), ut quandoque possit sumi pro « *relativo ;* et praecipue in plurali, cum dicimus quod *Pater, Filius et* « *Spiritus Sanctus* sunt *tres Personae ;* vel cum termino *partitivo* « adiuncto, ut cum dicitur : *Alia* est *Persona Patris, alia Filii ;* vel « cum dicitur *Filius est* **alius** *a Patre in Persona.* In *singulari* au- « tem, cum *absolute* praedicatur, potest *indifferenter* significare es- « sentiam vel Personam, ut cum dicitur *Pater* est *Persona* vel *Filius* « est *Persona* » (Q. IX. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.,* art. 4, o). — Sed

c) *Haec opinio non est vera neque verosimilis.*

Prob. 1.° « Si *Essentia* et *Persona* (*in divinis*) omnino idem si-« gnificant et quantum ad *modum significandi* et quantum ad *rem* « *significatam,* oportet (*quod*) sicut dicimus *Tres Personas,* ita (*lice-*« *ret nobis*) dicere *Tres Essentias;* aut si *hoc* est falsum, et *illud.* — « Sicut enim (*ipsi*) exponunt *Tres Personas* idest *Tres* id habentes « *commune* quod est *Persona;* ita possunt exponere *Tres Essentias* « idest *Tres* id habentes *commune* quod est *Essentia.*

« — Nec potest dici, quod hoc dictum est propter instantiam hae-« reticorum; *quia* ad id quod falsum est concedendum nulla necessi-« tas cogere debet; et *praeterea* cessante necessitate (*defendendi* « *Fidem contra haereticos*) debuit ille modus loquendi cessare » (I. *Sent.* Dist. cit. § *Expositio textus.* — Cfr. ibid. Dist. XXIII, Q. I, art. 3, o).

2.° Praeterea Patres, in Concilio congregati, diriguntur in defi-nitionibus Fidei et Morum a Spiritu Sancto qui est Spiritus Veritatis et Sapientiae. Unde credibile « non (*est, quod*) absque ratione, « ex propria significatione nominis (*Persona*) sumpta, Sancti Patres « divinitus inspirati hoc nomen invenerunt ad confessionem verae « Fidei exprimendam; et praecipue quia dedissent (*aliis*) ocasionem « erroris dicendo *Tres Personas,* si hoc nomen, *Persona* significat « essentiam absolute » (Q. et art. cit. *De Pot.* — Cfr. hic, o) ex nativa indole sui nominis.

— *Dices.* « *Quid? quaerit de essentia.* Sed, sicut dicit Augustinus « in eodem loco (*i. e. Lib. VII* De Trinit. *capp. 4 et seq.*). Cum di-« citur *Tres sunt qui testimonium dant in coelo Pater, Verbum et Spi-« ritus Sanctus* (I. Ioan. V, 7), et quaeritur *Quid tres?* respondetur « *Tres Personae.* Ergo hoc nomen *Persona* significat essentiam » (Hic arg.m 2.m).

R. Dist. mai. Quid quaerit *semper* de etc.: *Nego;* quaerit *quan-doque* de etc.: *Concedo.* — Concedo minorem. Nego consequens et dico « quod *Quid?* quandoque quaerit de *natura* quam significat de-« finitio; ut cum quaeritur *Quid est Homo?* et respondetur *Animal-« Rationale mortale:* quandoque vero quaerit *Suppositum* ut cum « quaeritur *Quid natat in mari?* et respondetur *Piscis.* Et sic quae-« rentibus *Quid tres?* responsum est *Tres Personae* » (Hic ad 2.m).

D) Fuerunt alii theologi qui opinati sunt hoc nomen *Personae* simpliciter et ex indole sibi propria significare *aliquid* pure *relati-vum.* Et quia in divinis *solae* relationes *formaliter* acceptae habent

esse pure relativum, dixerunt consequenter, quod *Persona divina* significet relationem realem *formaliter* sumptam quae in divinis invenitur. Unde isti exponunt *tres Personas divinas* dicendo *tres relationes reales* formaliter *sumptas* (Cfr. hic, o). — At

d) *Horum opinio procedit ex falsis, ideoque est reiicienda.*

Prob. 1.° Relatio, considerata *formaliter* ut relatio, seu sub conceptu AD, involvit *essentialiter* ordinem ad alterum extremum relationis ; sicut ex terminis patet. — At Persona, *formaliter* accepta, non includit *essentialiter* ordinem ad alterum extremum relationis, sed dicit aliquid *per se* unum, videlicet *individuam substantiam intellectualis naturae.* — Ergo falso dicitur, quod *Persona* formaliter et ex indole sui nominis significet aliquid *pure* relativum.

2.° Illud quod est *pure* vel *simpliciter* relativum non potest reduci nisi sub categoria suprema *Accidentis.* — Atqui *Persona* et *Suppositum* non sunt nisi sub categoria *Substantiae* sicut art. 1 h. q. ostensum fuit. — Non est igitur verum quod isti dicunt, quod Persona simpliciter et ex indole sui nominis significet aliquid pure relativum.

E) « Et ideo alii dixerunt quod hoc nomen *Persona* in divinis « significat **simul** essentiam et relationem, sed non aequaliter sed « unum *in recto* et aliud *in obliquo* (Q. et art. cit. *De Pot.*). — Quo- « rum (*theologorum*) quidam dixerunt quod (*Persona*) significat essentiam *in recto* et relationem *in obliquo*.

« (*Quam opinionem praedicti theologi suadere conantur ex hoc* « *quod*) Persona dicitur quasi *per se una* (*includit videlicet* unitatem « *in recto et* perseitatem *in obliquo*). Unitas autem (*in Deo*) pertinet « ad essentiam : quod autem dicitur *per se,* implicat relationem obli- « que. Intelligitur enim Pater *per se* esse quasi **Relatione** distinctus a Filio » (Hic, o — Cfr. I. *Sent.* Dist. XXV, Q. I, art. 3, o). — Veruntamen

e) *Nomen* Persona *in divinis* α) *significat quidem divinam substantiam,* β) *sed non ad instar* alicuius absoluti *et* in recto.

NOTA. Prima pars est certum Fidei dogma : altera vero communis theologorum sententia.

Prob. I.ª PARS propositionis 1.° *Ex auctoritate* tum Evangelii in quo legitur *Deus erat Verbum* (Ioan. I, 1): ponitur videlicet *identitas* inter *Personam Filii* et *divinam naturam;* tum quoque ex auctoritate Conc. Later. IV, cap. *Damnamus,* in quo haec leguntur : « Nos, sa-

« cro approbante Concilio, credimus et confitemur... quod... quaeli-« bet trium (*divinarum*) Personarum est... substantia, essentia seu « natura divina » (*Enchir.* n. 432). Nil clarius.

2.° *Ratione theologica.* Quidquid in Deo realiter exsistit, est realiter identicum cum divina substantia : in Deo siquidem nullum accidens esse potest (Q. III, art. 6). — Sed notio Personae invenitur *vere* et *proprie* in Deo (art. praec.). — Ergo notio Personae significat in Deo essentiam seu substantiam divinam (Cfr. hic, o).

Prob. II.ª PARS propositionis. *Rationibus theologicis.* 1.° Si *Persona* in divinis significaret essentiam divinam *in recto* et *formaliter* ut essentia est ; tunc dicendo quod Persona Patris est **alia** a Persona Filii, sensus esset, quod divina essentia (sumpta *formaliter* et *in recto* ut essentia) quae est *in Deo Patre* sit **alia,** sive numerice distincta, ab essentia divina (sumpta *formaliter* et *in recto* ut essentia) quae est *in Dei Filio.* Et sic sequeretur, quod Dei Filius non esset ὁμοούσιος cum Deo Patre : quae assertio est haeresis Ariana (Cfr. I. *Sent.* Dist. XXIII, Q. I, art. 3, § *Sed Contra*).

2.° Praeterea Persona divina solet communiter definiri *Divinae Naturae individua Substantia* (Cfr. n. 228). — Sed in hac definitione τὸ *natura* non ponitur *in recto* sed *in obliquo:* patet. — Ergo τὸ *Persona divina* non significat *in recto* sed *in obliquo* naturam divinam (Cfr. hic, o).

F) Ad haec inconvenientia evitanda « quidam (*alii theologi*) di-« xerunt e converso, quod (*Persona in divinis*) significat Relationem « *in recto,* et essentiam *in obliquo.*

(*Quam quidem opinionem ostendebant esse veram ex eo quod cum Persona divina sit Divinae Naturae individua substantia* — Cfr. n. 228 — *evidenter*) in definitione Personae *Natura* ponitur in obliquo » (Hic, o — Cfr. loc. cit.), Relatio vero importata per τὸ *Individua* ponitur *in recto.* — Sed contra hos Doctores dico, quod

f) *Persona in divinis* α) *significat quidem* relationem, β) *attamen non significat* relationem *consideratam* **formaliter** *ut relatio et* **in recto.**

NOTA. Est communis inter theologos.

Prob. I.ª PARS propositionis. 1.° *Ex auctoritate.* Etenim « dicit « Boëthius in Lib. cit. *De Trinit.,* cap. 6 quod *omne nomen, ad Per-« sonam pertinens,* relationem (*in divinis*) *significat.* — Sed nullum « nomen magis pertinet ad *Personam* quam hoc nomen *Persona.* —

« Ergo hoc nomen *Persona* relationem (*in divinis*) significat » (Hic, *Sed Cont.*).

2.° *Ratione theologica.* α) Equidem « in nullo *absoluto* distingui- « tur *Pater* a *Filio,* sed solum *Relatione.* — Distinguuntur autem in « *Persona.* — Ergo *Persona* non significat aliquid *absolutum* sed *Re-* « *lationem.* — Prima (*propositio*) probatur ex simplicitate divina, et « perfectione totius Trinitatis » (I. Sent., Dist. XXIII, Q. I, art. 3, *Sed Cont.*

β) « Item ad quodcumque *genus* reducitur *inferius,* reducitur et « suum *superius* (*Ita ex. gr. quia* τὸ Animal *est superius* τῷ Homine, « *propterea sicut* Homo, *ita et* Animal *reducitur* ad *genus* substantiae « vivae, *vel* substantiae corporeae *etc.*). — Sed sub hoc communi « quod est *Persona* continetur *Pater* et *Filius,* et *Spiritus Sanctus.* — « Ergo cum *Pater* significet *ad aliquid* (*i. e. relationem ad Filium*), « et *Persona* similiter » (Ibid.) *relationem* significat. Q. E. D.

Prob. II.ª PARS propositionis. *Ratione theologica.* Persona tam in Deo quam in creaturis non est *purum nomen,* sed significat id quod constituit Personam in suo esse personali. Constat.

Atqui, loquendo de Deo, *Relatio,* considerata *formaliter* ut Relatio et *in recto,* non constituit divinam Personam in suo esse personali. Probabo.

Ergo Persona in divinis non significat relationem *formaliter* ut relatio est atque *in recto.* — Illatio patet.

Prob. min. Purus ordo **unius** divinae Personae AD **aliam** divinam Personam (hoc ipso quod *refert* unam divinam Personam ad aliam divinam Personam) *non constituit* divinam Personam sed **praesupponit** eam divinam Personam *constitutam* in proprio esse personali. Constat.

Sed Relatio, considerata *formaliter* ut Relatio et *in recto,* est Relatio secundum conceptum AD (Cfr. n. 142) seu est purus ordo **unius** divinae AD aliam divinam Personam.

Ergo Relatio, considerata *formaliter* ut Relatio et *in recto,* non constituit divinam Personam in suo esse personali: quae erat *minor* demonstranda.

C) Ex hucusque disputatis habemus quod τὸ *Persona* in divinis si *formaliter* spectetur, non sit *entitas rationis* (Cfr. § *A*); neque *simplex negatio* communicabilitatis ad alia (Cfr. § *B*); neque sit tale ut ex virtute vocabuli denotet in Deo quandoque *essentiam* et quan-

doque *relationem* (Cfr. § *C*); neque sit tale ut Persona *formaliter* et *ex indole sui nominis* significat *aliquid* pure *relativum* (Cfr. § *D*); significet autem **realiter** *essentiam divinam* sed non *ad modum essentiae* (Cfr. § *E*); atque similiter significet **realiter** *relationem divinam* sed non *ad modum relationis* (Cfr. § *F*). — Sed, quum in Deo non sint nisi *substantia* (i. e. *absolutum*) et *relatio,* quodcumque invenitur in Deo, debet *significari* vel ad modum *absoluti* seu substantiae, vel ad modum *relativi:* constat. — Et ideo, si *Persona* in divinis sit realiter *substantia divina* sed non ad modum *substantiae,* sequitur evidenter quod sit realiter *divina substantia* ad modum *relationis* **qualis** in Deo invenitur. Et similiter, si *Persona* in divinis sit realiter *relatio divina* sed non ad modum *relationis,* oportet quod sit realiter *relatio divina* ad modum *substantiae* in natura divina. — Recte igitur S. Thomas cui praeter thomistas adhaeret reliqua theologorum cohors, docet ut sequitur

231. **Conclusio.** *Persona divina significat* α) *relationem divinam* β) *subsistentem, et* γ) *ad modum hypostasis, sive ut* Quod.

Nota. Est doctrina communis.

Prob. I.ª pars conclusionis. *Ratione theologica.* Equidem « Perso-« na in communi significat substantiam individuam rationalis (*sive in-« tellectualis*) naturae, ut dictum est art. 1 h. q. (*Cfr. n. 207*). — In-« dividuum autem est quod est in se indistinctum, ab aliis vero di-« stinctum. — Persona igitur in quacumque natura significat id quod « est distinctum (*i. e. incommunicabiliter subsistens — Cfr. hic ad 3.m*) « in natura illa: sicut in humana natura significat *has* carnes, *haec* « ossa et *hanc* animam quae sunt principia individuantia hominem; « quae quidem, licet non sint de significatione Personae, sunt tamen « de significatione Personae **humanae** (Hic, o).

« Distinctum vero, incommunicabile in natura divina, non potest « esse nisi *relatio,* quia omne absolutum est commune et indistin-« ctum in divinis » (Q. IX *De Pot.*, art. 4, o).

Ergo Persona divina significat relationem divinam quae in Deo invenitur.

Prob. II.ª pars conclusionis. *Ratione theologica.* Persona divina, sicut ostensum est, significat relationem divinam quae in Deo invenitur. « Relatio autem in divinis non est sicut accidens inhaerens « subiecto, sed est ipsa divina essentia. Unde est subsistens sicut « essentia divina subsistit. Sicut ergo Deitas est Deus (*i. e. subsi-*

« *stens in divina natura* — Cfr. Q. III, art. 3. o), ita (*relatio divina,* « *ex. gr.*) Paternitas divina est Deus Pater, qui est Persona divina» (Hic o), videlicet subsistens *distincte* in divina natura.

Prob. III.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Persona significat *rem* subsistentem in intellectuali natura; non quatenus *res,* quae in tali natura subsistit, dicit *explicite* naturam (secus *Persona* nec etiam ratione differret a *natura*), sed quatenus *res* quae subsistit in intellectuali natura, significat *explicite* ὑπόστασιν, sive substantiam individualiter subsistentem in illa natura. — Unde et analogice Persona divina significat *rem* subsistentem per modum ὑπόστασεως; in natura divina.

Atqui *res* subsistens per modum ὑπόστασεως in natura divina, importata a τῷ *Persona divina,* est relatio subsistens in natura divina, sicut § praec. ostendimus.

Et ideo Persona divina significat relationem subsistentem per modum ὑπόστασεως in natura divina, seu relationem ad modum ὑπόστασεως in natura divina. Q. E. D. (Cfr. hic, o et ad 1.m).

232. **Obiic.** *Persona tum* communiter *accepta, tum spectata in* Hominibus *et* Angelis *non significat* relationem ut subsistentem. *Ergo nec etiam in* Deo.

R. Dist. antec. Persona spectata *in communi* non significat relationem ut subsistentem: *Nego.* Persona spectata *in Hominibus* aut *in Angelis* non significat relationem ut subsistentem: *Concedo.* — Nego consequens. Ad cuius distinctionis evidentiam «considerandum « est, quod aliquid est de significatione (*termini*) minus communis, « quod tamen non est de significatione (*termini*) magis communis. « *Rationale* enim includitur in significatione *Hominis,* quod tamen « non est de significatione *Animalis.* Unde... aliud est quaerere de « significatione huius nominis **Persona** in communi, et aliud de si- « gnificatione **Personae divinae.** Persona enim in communi signifi- « cat substantiam individuam rationalis (*sive intellectualis*) naturae, ut « dictum est art. 1 h. q. (Hic, o) — (*Atqui*) in intellectu (*i. e. notione*) « substantiae individuae, idest distinctae vel incommunicabilis, intel- « ligitur in divinis relatio, ut dictum est (Hic ad 3.m). Persona igitur « divina significat relationem ut subsistentem» (Hic, o).

Si igitur τὸ *Persona* in Deo significat *relationem* ut subsistentem (Hic, o), dum in Angelis aut in Hominibus *subsistentem* incommunicabiliter in natura Angelica aut Humana, falsum est quod Persona

in communi, videlicet prouti abstrahit a *creata* et *increata,* non significet relationem per modum ὑπόστασεως. Verum tamen est « quod « haec significatio nominis *Persona* (*prout scilicet significat rationem « per modum hypostasis*) non erat percepta ante haereticorum ca- « lumniam. Unde (*ante illa tempora*) non erat in usu hoc nomen *Per- « sona,* nisi sicut unum aliorum *absolutorum* (*Cfr. n. 229, 1.°*); sed « postmodum accomodatum est hoc nomen *Persona* ad standum pro « *relativo* ex congruentia suae significationis, ut scilicet hoc quod « stat (*sive supponat nunc*) pro (*nomine*) relativo (*Cfr. n. cit.*), non « solum habeat ex usu ut prima opinio (*S. Augustini* — Cfr. § *C*) di- « cebat, sed etiam ex significatione sua » (Hic, o — Cfr. loc. cit.).

233. **Instant.** *Si* τὸ *Persona, quando praedicatur de* Deo *significaret* relationem *ut* subsistentem ; *quando autem praedicatur de* Homine *aut de* Angelo, *significaret* substantiam individuam, *tunc nomen* Persona *diceretur* aequivoce *de* Deo *et de* creaturis. *Quod est inconveniens.*

R. Nego antecedens. Ad hoc enim ut nomen aliquod dicatur *aequivoce* de pluribus, non sufficit, ut nomen illud secundum diversas particulares rationes dicatur de unoquoque illorum plurium : secus, quum τὸ *Animal* dicatur secundum diversas rationes formales de *Homine,* de *Equo* et de *Leone* (alia enim est definitio animalis quod est *Homo,* alia animalis quod est *Equus,* et alia animalis quod est *Leo*), oporteret affirmare, quod *Homo, Equus* et *Leo* non dicerentur univoce *Animal ;* quod est falsum. — Sed ad hoc ut nomen aliquid dicatur *aequivoce* de pluribus, oportet non solum quod tale nomen secundum *diversas* formales rationes dicatur de iis, sed etiam oportet quod istae formales rationes particulares non conveniant nec *generice* nec *specifice* neque *analogice* in aliqua *una* formalitate **superiore** ad illa plura subiecta. Propter hanc causam ex. gr. τὸ *Canis* nonnisi aequivoce dicitur de *animali* domestico et de *sydere* quodam coelesti. — At ratio, designata per nomen *Persona,* videlicet τὸ subsistens incommunicabiliter in natura intellectuali, convenit analogice *Deo* et *Creaturis.* Et ideo, licet sit *diversa* ratio designata per τὸ *Persona,* quando affirmatur de *Deo* et quando affirmatur de *Homine* et de *Angelo,* tamen non aequivoce sed analogice de *Deo* de *Homine* ac de *Angelo* dicitur. Audiatur Angelicus. « Diversa ratio « (*nominum*) minus communium non facit *aequivocationem* in magis « communi. Licet enim sit **alia** *propria* definitio *equi* et *asini,* tamen

« univocantur in nomine *animalis,* quia communis definitio animalis « convenit utrique. Unde non sequitur, quod, licet in significatione « personae divinae continetur *relatio,* non autem in significatione « angelicae personae vel humanae, quod nomen Personae *aequivoce* « dicatur: licet nec etiam dicatur *univoce* (*Cfr. art. praec.*), cum nihil « *univoce* de Deo dici possit et de creaturis, ut supra (Q. XIII, « art. 5) ostensum est » (Hic ad 4.m).

QUAESTIO XXX

DE PLURALITATE PERSONARUM IN DIVINIS

234. **Prologus.** Cognita significatione huius nominis *Persona* secundum quod in Deo ponitur « quaeritur de pluralitate Personarum » (Prol. h. q. — Cfr. n. 199) in ipso Deo. Et circa hoc punctum quatuor distincte exponit Angelicus, nempe

Art. I. statuit *pluralitatem Personarum in Deo,*

Art. II determinat *quot sint numerandae Personae in divinis,*

Art. III exponit *quid significent termini numerales in divinis,*

Art. IV declarat *qualis sit communitas nominis* Persona *ad tres divinas Personas.*

Art. I. Utrum sit ponere plures Personas in divinis.

235. Est quaestio de pluralitate *reali* divinarum Personarum, non autem de pluralitate *logica* seu ex nostro modo intelligendi divina.

236. Moderni Iudaei, non intelligentes carmina Prophetarum (Cfr. n. 13, *A*) nec fidem Evangelio praebentes, Deum sicut in *essentia* ita in *Personis* **unum numero** confitentur.

Sub finem saec. II Praexeas, ex Asia oriundus, primus fuit inter Christianos, qui pluralitatem realem divinarum Personarum impugnaverit. Etenim « docuit Deum Patrem Omnipotentem esse Iesum « Christum, illumque crucifixum, passum ac mortuum, praeterea « seipsum sibi sedere ad dexteram Patris. Hinc eius asseclae *Pa-*

« *trispassiani* sunt nuncupati ». Hactenus P. Van Rast, O. P., *Hist. Haeretic. et Haeres.* § Saec. II.

Saeculo III Noëtus ex urbe Smyrna, vel (ut aliis placet) Ephesi natus, haeresim Praexeae vehementer propugnavit (Idid., § Saec. III.)

Sed hanc haeresim suo nomine patrocinio et propagatione celebriorem fecit eodem saec. III Sabellius Ptollemaide in Lydia natus. Ipse enim posuit in divinis non *veram proprie dictam* Trinitatem Personarum, sed ternarium numerum Personarum fassus est *solummodo* nomine tenus et quantum ad *modum significandi.* Dicebat namque quod *unica* sit *realitas Personae* in Deo, quae tamen quatenus *creatrix* dicebatur *Pater,* quatenus *redemptrix* dicebatur *Dei Filius,* quatenus vero *sanctificatrix* hominum dicebatur *Spiritus Sanctus* (Cfr. Q. XXVII, art. 1, o; et S. Hieron. in Epist. *ad Damasum Róm. Pontif.*).

Hanc Sabellianam haeresim professi sunt saec. IV Priscillianistae, prout colligitur ex cap. I Concilii Bracarensis II (*Enchir.* n. 231).

Idem cum Iudaeis et Sabellianis sentiunt Mahometani (Cfr. n. 13, *A*), necnon Protestantes qui Michaëlis Serveti (Cfr. ibid., *A*, η) et Socini (Cfr. n. 14, ζ) errores haereticales profitentur.

Rationalistae quoque uti Strauss, Hegelius, Schellingius, etc. quia explicant Personas divinas tamquam *facies varias* seu *multiplices adspectus divinitatis,* negant consequenter omnem *veram pluralitatem Personarum* in Deo (Ibid.).

Contra hos omnes statuitur

237. **Conclusio.** *In divinis plures Personae exsistunt realiter.*

Nota. Est Catholicae Fidei dogma.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura. A*) *In V. T.* invenitur adumbrate revelata pluralitas Divinarum Personarum multis in locis. Ita Gen. I, 26, quando fit sermo de creatione Hominis, legimus Deum dixisse : « *Faciamus* Hominem ad imaginem et similitudinem *nostram* ». Quo loco habentur plures Personae connumeratae: hoc enim indicant tam pronomen *nostram,* quam verbum *faciamus.* Nunc vero quaenam sunt huiusmodi personae ?

— Respondent quidam Rabbini Deum *more humanae maiestatis* ad significandum varia divina attributa, quibus est usus in creatione hominis, adhibuisse pronomen *plurale* pro singulari...

At haec responsio est omnino voluntarie conficta. Etenim in S. Scriptura nullibi invenitur Deum hoc humano more loquutum fuisse.

— Respondent alii Rabbini dicendo Deum in cit. cap. I. Gen. loquutum fuisse sub forma plurali instar hominis seipsum cohortantis ad opus ineundum...

Sed haec quoque solutio est arbitraria 1.° quidem quia non est hominis *gravis* sed *levis* loqui pluraliter ut se cohortetur ad opus aggrediendum. 2.° quia S. Scriptura aperte insinuat in creatione hominis revera plures *realiter distinctas* adfuisse personas : nam Gen. III, 22 post lapsum Adami Deus ironice eum alloquens, inquit: « Ecce « Adam quasi *unus ex Nobis* factus est, sciens bonum et malum! ».

—Respondent alii Rabbini Deum invitasse Angelos ad secum producendum hominem, et ideo loquutum fuisse nomine plurali...

At haec responsio est etiam captiosa. Ea siquidem data sequeretur dicendum hominem fuisse creatum ad imaginem tum *Dei* tum *Angelorum*. Quod est contra id quod eodem cap. I Gen. v. 27 legitur, videlicet : « Et creavit Deus hominem ad imaginem *Suam,* ad imagi- « nem *Dei* creavit illum ». — Accedit, quod toto cap. I. Geneseos nullibi occurrit explicita mentio de Angelis : unde expositio rabbinica est omnino destituta fundamento vere Biblico.

Sic igitur *pronomen* et verbum *formae pluralis,* quibus Deus usus fuit in productione primi hominis, nequeunt nisi catholice exponi dicendo *plures* exsistere *realiter distinctas* Personas in divinis, easque cooperatas fuisse in productione primi hominis (Cfr. Gazzaniga, O. P., *Praelect. Theol.,* Bassani 1831, Tom. III, Dissert. I, cap. 2 ; item Corluy, *Spicilegium,* I, pagg. 165-167 ; item Knoll, Op. cit., P. I, Sect. II, cap. I, art. 1, § 70; item Tanquerey, *De Deo Trino,* cap. I, n. 31 ; etc.). — Ita etiam explicant hunc locum Tertullianus (Lib. *De Carne Christi,* cap. 5), Basilius (Hom. IX *in Hexaëm.*), Cyrillus (*Catechesi X*), Athanasius (Orat. IV *contra Arian.*), Ambrosius (Lib. VI *Hexaëm.,* cap. 7), Chrysostomus (Hom. VIII *in Genes.*), Augustinus (Lib. I. *De Trinit.,* cap. 7), etc. — Egregie Faustinus, Presbyter Ecclesiae Romanae, in cit. loc. Geneseos scribit: « Non est *unius Per-* « *sonae* dicere *Faciamus* ad imaginem et similitudinem *nostram,* sed « neque *diversae Deitatis*. Nam pluralitas horum verborum **Facia-** « **mus** et **nostram** Patris et Filii *Personas* significant. Quod autem « singulariter **imaginem** dicit, una **Deitas** una **Virtus** utriusque « Personae manifestatur ».

Confirmatur. Ad idem facit trisagion, quod ex ore Angelorum Deum laudantium refert Isaias VI, 3, videlicet « Sanctus, Sanctus,

« Sanctus Dominus Deus exercituum (*Adonai*) ». Ubi Trinitas divinarum Personarum adumbratur tribus vicibus repetito verbo *Sanctus;* Unitas vero Deitatis indicatur per verba singularis casus *Dominus Deus exercituum* (*Adonai*). — Qui plura cupit argumenta e re biblica, consulere potest opus cl. P. Ianssens O. S. B., *De Deo Trino* pp. 97 et sqq.

B) *Ex N. T.* praeclarum est illud Christi ad Apostolos dicentis: « Quum autem venerit Paracletus, quem Ego mittam vobis a Patre « Spiritum veritatis qui a Patre procedit, Ille testimonium perhibebit « de *Me* » (Ioan. XV, 26); ubi distincte nominantur *Paracletus,* το *Ego* (videlicet Filius Dei) et *Pater,* plures nempe Personae in uno Deo. — Alia S. Scripturae loca afferentur art. seq.

2.° *Ex Ss. Patribus* paucos referam. *A*) S. Ignatius M. in *Epist. ad Magnesios,* n. 13 ait: « Studete igitur confirmari in doctrinis Do- « mini et Apostolorum, ut omnia quae facitis prospere nobis succe- « dant, carne et spiritu, Fide et Charitate in *Filio* et *Patre* et *Spiritu* etc. ».

B) S. Iustinus M. (*Apolog.* I, n. 6) scribit: « Atheos quidem nos « esse confitemur, si de opinatis huiusmodi diis agatur; secus vero « si de verissimo illo, iustitiae et temperantiae ac ceterarum virtu- « tum *Patre,* nulla admixto vitiositate Deo. Sed Eum et *Filium* qui « ab Eo venit ac nos ista docuit... et *Spiritum* propheticum colimus « et adoramus, ratione et veritate venerantes ». Cfr. ibid. nn. 24 et 61.

C) Athenagoras (*Legat. pro Christianis,* n. 10) scribit: « Quis « igitur non miretur, cum atheos vocari audiat eos, qui Deum *Pa-* « *trem* et *Filium* Deum, et *Spiritum Sanctum* asserunt, ac eorum et « et in unione potentiam, et in ordine distinctionem demonstrant? » (Cfr. ibid. nn. 12 et 24).

D) Tertullianus quoque (Lib. *adv. Praxean,* n. 9) scribit: « Hanc « me regulam professum, qua inseparatos ab alterutro *Patrem* et *Fi-* « *lium* et *Spiritum* testor, tene ubique, et ita quid quomodo dicatur « agnosces. Ecce enim dico *alium* esse *Patrem* et *alium Filium,* et « *alium Spiritum*... non tamen *diversitate* alium Filium a Patre, sed « *distributione,* nec *divisione* alium sed *distinctione,* quia non sint « idem *Pater* et *Filius,* vel modulo alius ab alio etc. ». Similia habet in Lib. *De Pudicitia,* cap. 21.

E) S. Hippolitus (Lib. *cont. haeresim Noëti*) ait: « Necesse est,

« ut, quamvis nolit, confiteatur Deum *Patrem* omnipotentem, et Chri-« stum Ipsum *Filium Dei...* et *Spiritum Sanctum,* et *hos* esse vere « *tres* ».

F) In symbolo demum, quod vulgo S. Athanasio inscribitur, legitur : « *Alia* est Persona Patris, *alia* Filii, *alia* Spiritus Sancti ». In quibus verbis pronomen partitivum «*alia*» designat distinctionem *numericam* divinarum Personarum ; consequenter earum *pluritatem realem* seu *numericam.*

Ex quorum Patrum Ante-Nicoenorum auctoritate non solum *realis pluralitas* Personarum in divinis confirmatur, sed etiam apparet falsitas assertionis Dm̄i Wegscheider qui non minus temerarie quam ignoranter asseruit doctrinam de Trinitate Personarum in divinis originem habuisse in Concilio I Nicaeno (Cfr. Persone, Tract. *De Trinitate,* cap. II, n. 80; Knoll, *Instit. Theol.,* Vol. I, § 73, *nota 1.*ª; etc.)

3.° *Ex Conciliis Generalibus,* incipiendo a Nicaeno I (*Enchir.* n 54) et Constantinopolitano I (*Enchir.,* n. 86) usque ad Vaticanum, quibus praeiverunt antiquissimum Symbolum Apostolorum (Ibid. n. 2), formulae Baptismi necnon antiquae doxologiae Ecclesiasticae (Cfr. Knoll, Lib. cit., § 74), ex his omnibus theologiae fontibus evidenter apparet Ecclesiam Catholicam semper et constanter retinuisse quod in divinis exsistant plures numero Personae, videlicet Pater, Filius, et Spiritus Sanctus. — At Fidei Catholicae nequit subesse falsum. — Ergo verissime in Deo plures numero Personae realiter exsistunt. Q. E. D.

4.° *Ratione theologica.* « Ostensum est enim supra (Q. praec., « art. 4, o), quod hoc nomen « *Persona* » significat in divinis *relatio-« nem* ut *rem subsistentem in natura divina.* Supra autem Q. XXVII, « art. 1, 3 et 4) habitum est, quod sint **plures** *relationes reales* in « divinis. Unde sequitur quod sint **plures** res subsistentes in divina « natura. — Et hoc est esse **plures** Personas in divinis » (Hic, o).

238. **Obiic. 1.°** *Persona est individua substantia. Atqui in Deo non inveniuntur realiter tres substantias. Ergo neque tres Personae.*

R. Conc. mai. — Dist. min. *Atqui in Deo... tres substantiae,* i. e. tres essentiae : *Concedo ; tres substantiae,* i. e. tres subsistentiae seu hypostases : *Nego*.—Nego consequens, et dico « quod **Sub-« stantia** non ponitur in definitione *Personae* secundum quod signi-« ficat **essentiam,** sed secundum quod significat **suppositum** (*i. e.* « *subsistens in natura*). Quod patet ex hoc quod additur **individua** »

(Hic ad 1.m) in definitione Personae. Unde ex eo quod in Deo ponimus plures Personas, non licet inferre nisi quod exsistant realiter plures subsistentes in divina natura. « Ad significandum autem sub-« stantiam sic dictam (*i. e. subsistentem*) habent Graeci nomen « ὑπόστασις. Unde, sicut nos dicimus *tres Personas,* ita ipsi dicunt « *tres hypostases*. Nos autem non consuevimus dicere *tres substan-« tias* ne intelligerentur *tres essentias* propter nominis aequivocatio-« nem » (Ibid. — Cfr. Q. praec. art. 2).

239. **Obiic. 2.°** *Proprietas* relativa *est debilior quam proprietas* absoluta. *At propter multitudinem proprietatum* absolutarum, *utputa* Bonitatis, Sapientiae, Fortitudinis, Potentiae, etc. *non ponitur pluralitas* realis Personarum *in divina natura. Ergo et* a fortiori *multitudo proprietatum* relativarum *facere nequit pluralitatem* realem Personarum *in divina natura.*

R. Dist. mai. *Proprietas relativa est debilior* et habet eosdem characteres quam etc.: *Nego; est debilior,* et habet characterem **oppositionis** qui non convenit proprietati absolutae: *Concedo.* — Concedo min. et nego consequens. — Dico igitur quod realitas aliqua, ut possit esse Persona, debet praecipue habere duas conditiones, quarum UNA est *subsistere per se,* ALTERA vero *habere esse* distinctum individualiter *a coeteris aliis:* est enim Persona substantia per se individualiter subsistens. Unde et vicissim si res aliqua careat una vel altera harum conditionum, non potest dici *Persona.* — Age vero in divinis principium *distinctionis realis* est sola *oppositio relativa;* quoniam quantum ad *rem absolutam* est *maxima unitas* in Deo. Et ideo ad hoc ut plures proprietates in divinis possint plures numero Personas constituere, oportet omnino illas proprietates habere inter se *oppositionem relativam.* Modo « proprietates absolutae in divinis, « ut *Bonitas* et *Sapientia* non opponuntur (*relative*) ad invicem: unde « (*carent principio realis distinctionis*) neque realiter distinguuntur. « Quamvis ergo eis conveniat *subsistere,* non tamen sunt *plures res « subsistentes:* quod est esse plures Personas. Proprietates autem « *absolutae* in rebus creatis non subsistunt (*per se, quoniam sunt « accidentia inhaerentia in substantia vel hypostasi. Unde*) licet rea-« liter ab invicem distinguantur ut *albedo* et *dulcedo* (*quae sunt in « saccaro, nequeunt tamen esse supposita vel personae*). Sed pro-« prietates *relativae* in Deo subsistunt et realiter ad invicem distin-« guuntur; ut supra Q. XXVII, art. 3 dictum est. Unde pluralitas ta-

« lium proprietatum sufficit ad pluralitatem Personarum in divinis » (Hic ad 2.m).

240. **Obiic. 3.°** *Deus est maxime simplex* (*Q. III, art. 7*) *et maxime unus* (*Q. XI, art.* 4). *Atqui pluralitas realis Personarum divinarum* **destruit unitatem** *Dei, et* **inducit compositionem** *in ipso. Ergo non exsistunt plures Personae in Deo.*

R. Ad mai. Deus est maxime simplex : *Concedo* hanc partem *maioris.* Item Deus est maxime unus : *Distinguo ;* est maxime unus in *substantia* seu quantum ad absoluta : *Concedo;* quantum ad *relativa : Nego.* — Ad minorem. Pluralitas *realis* divinarum Personarum destruit *unitatem Dei* quantum ad rem absolutam : *Nego ;* quantum ad rem relativam : *Concedo.* Item. Pluralitas *realis* divinarum Personarum inducit compositionem in Deo : *Nego.* — Nego consequens, et dico, quod, sicut alibi (Cfr. nn. 53 et 54) exposuimus, res *absoluta* non petit ullam multiplicitatem *ex sese ;* e converso, quia *relativa* dicuntur per ordinem *ad aliud,* ipsa petunt aliquam *multiplicitatem* videlicet *dualitatem* extremorum. — Deus autem, etsi gaudeat maxima simplicitate, tamen tamquam plenitudo totius realitatis continet totam realitatem tum *absolutam* tum *relativam.* Consequenter « a « Deo propter *summam unitatem* et *simplicitatem* excluditur omnis « pluralitas *absolute dictorum,* non autem pluralitas *relationum* quae « relationes praedicantur *de aliquo* ut *ad alterum* » (Hic ad 3.m). Secundum has relationes reales attenditur pluralitas Personarum in divinis. Ergo haec pluralitas Personarum non officit *unitati* divinae naturae.

Nec etiam destruit Dei *simplicitatem.* Etenim *compositio* vere talis, quae scilicet destruit unitatem, est *unio* vel *mutua adunatio plurium.* At *relativa,* ut huiusmodi, mutuo se *excludunt,* consequenter sunt incapacia alicuius compositionis *proprie* dictae. Personae divinae igitur, quum invicem *relative* opponantur, compositionem in Deo non inducunt prouti notat Boëthius in cit. Lib. *De Trinit.* cap. 3 (Ibid.).

241. **Obiic. 4.°** *Ubi est* numerus, *ibi* totum *et* pars. *Atqui in Deo non invenitur* totum *et* pars. *Ergo neque verus* numerus *Personarum.*

R. Dist. mai. *Ubi numerus... pars,* aut secundum rem aut secundum nostrum modum intelligendi : *Concedo ;* semper secundum rem : *Nego.* — Dist. min. *Atqui in Deo etc.* secundum numerum ab-

solutum seu abstracte sumptum : *Nego ;* secundum numerum concrete acceptum : *Concedo.* — Nego consequens, et explico. Equidem « numerus est duplex, scilicet numerus *simplex* vel *absolutus,* ut « *duo,* et *tria* et *quatuor ;* et est numerus (*concretus*) qui est in re- « bus numeratis ut *duo Homines* et *duo Equi* » (Hic ad 4.m).

Et adest differentia inter has duas species numerorum, quia numerus *absolutus,* vel abstractus ab omni realitate naturali, exsistit *tantummodo* in cogitatione nostri intellectus. E contra numerus, *concretus* realitati rerum, exsistit *in ipsis rebus numeratis,* ex. gr. quando dico *Centum equi,* numerus *Centum* exsistit extra me in ipsa multitudine equorum.

Et ex hac *prima* differentia sequitur *altera,* quod scilicet numerus *abstractus* non ponit aliquam compositionem *realem* sed tantum secundum nostrum modum concipiendi : e contra numerus *concretus* ponit compositionem *realem* in ipsis rebus numeratis. Et ideo quoties habetur numerus *concretus,* toties totum et pars inveniuntur *realiter* in ipsis rebus numeratis : dum si habeatur numerus *abstractus,* totum et pars non inveniuntur in rebus sed **solum** *in cogitatione nostra.*

Quibus differentiis perceptis, dico quod in divinis, hoc ipso quod vera pluralitas et numerositas exsistit, locum habet numerus tum *abstractus* tum *concretus,* differenter tamen habita scilicet conditione numeri *abstracte* vel *concrete* considerati. « Si igitur in divinis « accipiatur numerus absolute sive abstracte, nihil prohibet in eo « esse *totum* et *partem.* Et (*numerus*) sic (*consideratus*) non est nisi « in acceptione intellectus nostri : non enim (*sicut monuimus*) nume- « rus, absolutus a rebus numeratis, est nisi in intellectu. — Si autem « accipiamus numerum prouti est in *rebus numeratis,* sic in rebus « quidem creatis unum est *pars* duorum, et duo trium ; ut unus homo « duorum, et duo trium. Et sic non est in Deo ; quia tantus est *Pa-* « *ter,* quantus *tota Trinitas,* ut infra Q. XLII, artt. 1 et 4 patebit » (Hic ad 4.m).

Art. II. Utrum in Deo sint plures Personae quam tres.

242. « In titulo adverte, quod intentio litterae est non solum « discutere: *An sint plures Personae quam tres?* sed etiam: *An sint* « *pauciores,* puta *duae tantum?* — Et hoc patet

« tum ex propositione quaesitorum in principio huius quaestionis. « Dicit enim littera ibi, quod secundo quaerendum *Quot sint?;*

« tum ex conclusione responsiva in corpore articuli proposita et « illata. Est enim una (*propositio*) **exclusiva,** scilicet Personae divi- « nae sunt **tantum** tres : ad cuius veritatem patet oportere verifi- « cari quod *nec* sunt plures *nec* pauciores » (Caiet. *Com.* in h. a.) quam tres.

243. « Secundum positionem haereticorum nullo modo potest « poni *certus* Personarum *numerus* in divinis.

A) « Intellexit enim Arius Personarum Trinitatem hoc modo, « quod *Filius* et *Spiritus Sanctus* essent quaedam *creaturae:* quod « etiam Macedonius de Spiritu Sancto sensit. — Processio autem « creaturarum a Deo non de necessitate *certo numero* terminatur, « cum divina virtus ex sua *infinitate* hoc habeat quod omnem crea- « turae *modum, speciem* et *numerum* excedat. Unde si Deus Pater « omnipotens creavit *duas* excellentisimas *creaturas,* quas Arius « dicit *Filium* et *Spiritum Sanctum,* non est remotum quin alias « *aequales* vel etiam *maiores* creare poterit.

B) « Sabellius autem posuit, quod *Pater* et *Filius* et *Spiritus* « *Sanctus,* non distinguuntur nisi *nomine* et *ratione.* Quae (*quidem* « *duo*) patet in infinitum posse multiplicari, secundum quod (*scilicet*) « ratio nostra *infinitis modis* de Deo cogitare potest ex *variis effe-* « *ctibus,* et Eum *diversimode* nominare » (Q. IX *De Potentia,* inter *QQ. Dispp.,* art. 9, o).

C) Historia ecclesiastica refert etiam veteres Gnosticos multiplicasse in infinitum Aeones a Deo procedentes quosque tamquam Deos venerabantur.

D) Adversarii demum ternarii numeri Personarum in Trinitate fuerunt polytheistae, qui ad libitum confingebant numerum deorum.

E) Et similiter antitrinitarii sunt quotquot negant *simpliciter* pluralitatem Personarum in divinis.

F) « Sola autem Catholica Fides, quae posuit unitatem divinae « naturae in Personis, realiter distinctis, *ternarii numeri* potest ra- « tionem in divinis assignare » (Q. et art. cit. *De Pot.*). — Ad cuius veritatis evidentiam sit

244. **Conclusio I.** *Tres* tantum *Personae sunt in divinis, videlicet* Pater, Filius *et* Spiritus Sanctus.

Nota. Est Fidei Catholicae dogma.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura. A*) Equidem Matth. XXVIII, 19 Christus ad Apostolos ait: « Euntes... docete omnes Gentes, baptizan- « tes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Quibus verbis innuitur *Trinitas Personarum* per voces *Patris* et *Filii* et *Spiritus Sancti;* et simul innuitur *unitas* divinae naturae per voces *in nomine,* i. e. in virtute ac potestate.

α) *Opponunt* Sociniani dicendo τὸ *in nomine Filii et Spiritus Sancti* significare *in baptismo* vel *doctrina,* vel *discipulatu Filii et Spiritus Sancti,* ita ut verba Christi debeant exponi sic: *Baptizantes eos in nomine* (i. e. virtute) *Patris et in* baptismo *vel* doctrina, *vel* discipulatu *Filii et Spiritus Sancti:* quasi *solus* Pater, *auctoritative* Deus, det efficaciam Baptismo. — Sed

R. Nugatoria est et valde contorta haec expositio Socinianorum, quoniam omnino ad libitum propriae voluntatis scindunt pericopem *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti* in duas partes, nempe *in nomine Patris* et *in nomine Filii et Spiritus Sancti;* atque dum *primam* partem recte intelligunt, *alteram* depravant in proprium pravum sensum. Unde nihil conficiunt (Cfr. Petavium, Lib. II *De Trinit.,* cap. 12, § 8).

β) *Instant.* I. Cor. X, 2 legitur de Israëlitis quod « omnes in « Moyse baptizati sunt in nube et in mari ». Et tamen ex istis verbis nullus interpretari auderet *Moysen, Nubem* et *Mare* esse *tres divinas Personas.* Ergo a pari formula *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* quae habetur Matthaei ultimo, non evincit Trinitatem divinarum Personarum.

R. Concedo mai. et min. Nego consequens et *paritatem.* Etenim Israëlitae dicuntur quidem **baptizati** in *Moyse* in *Nube* et in *Mari,* sed non *in nomine Moysis et Nubis et Maris* sicut habetur in formula Baptismatis a Christo instituti. Porro aliquid maius est *baptizari* vel *operari* aliquid *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* quam *baptizari* in *Moyse* in *Nube* in *Mari.* Nam cum Paulus vetet baptizare aliquem in *nomine alicuius creaturae,* iuxta illud: « Numquid... in nomine Pauli baptizati estis » (I. Cor. I, 13), profecto, quum iubemur baptizare *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti,* recte colligimus *Patrem et Filium et Spiritum Sanctum* esse tres divinas Personas, non autem creaturas aliquas.

γ) *Instant.* Ecclesia in commendatione animae morientium orat *in nomine Patris, in nomine Filii, in nomine Spiritus Sancti, et in no-*

mine Ss. Angelorum.—At ex hac formula orationis non potest inferri quod *Ss. Angeli* sunt *divinae Personae.* Ergo et similiter neque ex formula baptismi potest iure inferri Trinitas divinarum Personarum.

R. Nego paritatem. Eo ipso namque, quod Ecclesia *distincte* proferat *in nomine* Patris, *in nomine* Filii, *in nomine* Spiritus Sancti, *in nomine* Angelorum et Archangelorum, evidens est quod τὸ *nomen* habeat hic *varios sensus.* Si enim haberet eumdem sensum, tunc Ecclesia compendio dixisset *in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, et Ss. Angelorum* etc, sicut Christus praecepit pro formula Baptismi. Ergo, quum aliter Ecclesia agat, colligimus logice τὸ *nomen* varias significationes eo loco habere, utputa *in nomine Patris,* i. e. per Deum omnipotentem ; *in nomine Filii,* idest per I. Christi merita ; *in nomine Spiritus Sancti,* idest per merita misericordiae divinae ; *in nomine Ss. Angelorum,* videlicet per intercessionem Ss. Angelorum etc.

B) Aliud testimonium pro Trinitatis mysterio habetur I. Ioan. V, 7 videlicet « Tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Ver- « bum et Spiritus Sanctus ; et hic tres unum sunt ». Quaerentibus autem autem *quid tres ?* respondetur *tres Personae* sicut Augustinus dicit in Lib. VII *De Trinit.,* cap. 4 et seq. Sunt ergo tres Personae tantum in divinis, videlicet *Pater* et *Filius* et *Spiritus Sanctus* (Hic *Sed Cont.*)

Nota. Ab eruditis tam Catholicis quam Protestantibus dubitatum est et adhuc dubitatur de authenticitate et canonicitate huius textus Ioannitici, ex eo quod apud aliquot codices antiquos non invenitur et ab aliquibus Ss. Patribus reticitus fuit in causa contra Arianos. Verum huiusmodi querelae nihil valent, tum quia ex perfidia Arianorum aut ex incuria amanuensium potuerit praetermitti in citato loco Epistolae S. Ioannis Apostoli; tum quia nulla est causa praeferendi quantum ad omnia codices in quibus illud testimonium reticetur ad codices qui illud continent : imo debent hi posteriores codices praeferri supra omnes alios in praesenti controversia, quum plane constet lectionem posteriorum codicum fuisse ab Ecclesia Romana in editione authentica Vulgata adprobatam. Nec facessat silentium quorumdam Ss. Patrum circa praecitata verba, quoniam habemus longiorem seriem aliorum Ss. Patrum qui illa verba tamquam geminum testimonium S. Ioannis habent. Unde hos, quibuscum Ecclesia Romana sentit, sequi oportet. — Accedit demum (quod meo iudicio rem plane

conficit) responsum S. C. S. O. latum die 13 Ianuarii 1897. Quum enim ab ea quaesitum fuerit: «*Utrum* **tuto** negari aut **saltem** in dubium revocari possit esse authenticum textum S. Ioannis in Ep. I, cap. V, v. 7 quod sic se habet *Quoniam tres sunt etc.*», S. Congregatio respondit: *Negative.*—Ergo authenticus est textus laudatus S. Ioannis; ac propterea argumentum pro nostra conclusione, ex hoc testimonio deductum, manet in suo robore. — Cfr. etiam Decretum Congr. Sancti Officii, die 2 Junii 1927, (*Enchir. Biblicum*).

C) Tertium testimonium pro nostra conclusione habetur Ioan. XV, 26 ubi Christus ait: «Quum autem venerit *Paracletus* quem «*Ego* mittam vobis a Patre, *Spiritum Veritatis* qui a *Patre* procedit, «Ille testimonium perhibebit de me». At hoc testimonium declaratum fuit art. praec. n.° 237, 1.° § *B.* Unde, ne actum agamus, nihil duximus addendum.

2.° *Ex Ss. Patribus* veritas nostrae conclusionis innotescit evidentissime. Qua super re plura retulimus eorum testimonia in art. praec. Ibidem ea releges.

3.° *Ex Conciliis Generalibus.* Praestat inter coetera attendere ad Later. IV, Cap. *Damnamus,* ubi sic legitur: «Nos... sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro Lombardo quod... «in Deo **solummodo** Trinitas *est,* non Quaternitas etc.» (*Enchir.,* n. 422). Ergo in Deo tres tantum sunt Personae.

4.° *Ratione theologica S. Thomae.* Sola oppositio relativa facit *distinctionem realem* in divinis, quoniam iuxta famosum dictum Concilii Florentini «in divinis *omnia* sunt **unum** ubi *non obviat* relationis *oppositio*» (*Enchir.* n. 703). Ex alia vero parte Persona divina est *relatio* uti subsistens *in divina natura* (Q. praec. art. 4, o). Ergo QUOT sunt relationes *subsistentes* individualiter *in divina natura,* atque *ad invicem* relative *oppositae,* TOT numerandae sunt Personae divinae inter se *realiter distinctae.*

α) Iamvero relationes, intime in Deo subsistentes, sunt QUATUOR tantum (Cfr. n. 190), videlicet: *Paternitas, Filiatio, Spiratio* et *Processio.* — Item harum relationum **tres** tantum, videlicet *Paternitas, Filiatio* et *Processio,* habent inter se *oppositionem relativam.*

Ergo verissime in divinis tres tantum Personae realiter exsistunt, videlicet: is qui habet Paternitatem seu *Deus Pater,* is qui habet Filiationem seu *Dei Filius,* et is qui habet Processionem seu *Spiritus Sanctus.* Q. E. D.

Illatio totius argumenti est evidens praesupposita veritate propositionum α). Earum vero propositionum **prima,** videlicet: quod *quatuor* tantum *relationes reales* exsistunt intime in Deo constat ex dictis. Unde non remanet demonstranda nisi **altera** pars, videlicet quod

Relationum *Paternitatis, Filiationis, Spirationis* et *Processionis* TRES tantum, nempe Paternitas, Filiatio et Processio, habeant inter se *oppositionem relativam.*

Decl. Equidem **primo** Paternitas et Filiatio *habent* evidenter inter se *oppositionem relativam:* item

secundo Paternitas et Processio habent quoque evidenter inter se *oppositionem relativam:* adhuc

tertio Spiratio et Processio habent etiam inter se *oppositionem relativam.* — Sed

quarto Paternitas divina et Spiratio divina **nullam** inter se *oppositionem* **relativam** habent sed sunt *formalitates* inter se *diversae,* quia Paternitas est principium *a quo* Filius, et Spiratio est principium *a quo* oritur Spiritus Sanctus. — Similiter

quinto Filiatio divina et Spiratio divina **nullam** oppositionem **relativam** inter se habent, quinimo conveniunt in hoc quod utraque relatio exprimit *originem ab alio.* — At

sexto Filiatio divina et Processio divina habent inter se oppositionem **relativam.** Equidem Spiratio et Processio habent inter se oppositionem **relativam** (Cfr. hic **tertio**). — Atqui Filiatio divina et Spiratio divina nullam oppositionem inter se habent, sed sunt *identicae* **realiter** (Cfr. hic **quinto**) — Ergo Filiatio divina et Processio divina habent inter se oppositionem **relativam.**

Sic igitur relationum *Paternitatis, Filiationis, Spirationis* et *Processionis* **tres** tantum nempe Paternitas, Filiatio et Processio habent inter se *oppositionem* **relativam.** Q. E. D. (Hic. o).

245. **Obiic. 1.°** *Omne, quod numero determinato continetur, est mensuratum. Atqui Personae divinae non sunt mensuratae, sed immensae. Ergo Personae divinae sunt numero indefinitae; prouti Gnostici ponebant.*

R. Dist. mai. Omne, quod continetur numero determinato *et in abstracto,* est etc. *Concedo;* omne quod continetur numero determinato *et concrete accepto,* est etc. *Subdistinguo,* si sermo sit de creaturis: *Concedo;* si sermo sit de divinis: *Nego.* — Concedo mi-

norem. Nego consequens et dico, quod numerus, sicuti supra (Cfr. n. 241) vidimus, alius est *simplex* et *abstractus a rebus* uti 2, 3, 4, etc.; et iste numerus exsistit *formaliter* in sola cogitatione nostri animi. Et certissime omnis huiusmodi numerus, si fuerit *determinatus,* est semper mensuratus. — Est alius numerus *concretus* uti *duo equi, tres boves, quatuor lapides* etc. Et iste numerus, si sit in rebus creatis, arguit *diversitatem* seu *divisionem realem* in essentiis rerum creatarum. Quum enim dico *Quatuor Equi*, ponitur *quaternitas* in ipsa *essentia individua* equorum. Et sic numerus *concretus* in rebus creatis ponit *mensuram* in substantia seu essentia *individuali* ipsarum creaturarum. E contra, quum in divinis **unica** sit **essentia,** per hoc quod dico *duae Personae,* vel *Tres Personae,* non ponitur *aliqua multiplicitas* in *essentia individuali* Dei, consequenter neque *mensura* circa Deum ponitur. Unde potest Deo competere definitus aliquis numerus, absque eo quod mensuram in Deo ponamus. Breviter S. Thomas: « Numerus determinatus (si accipiatur numerus « *simplex* qui est tantum in acceptione intellectus) per unum mensu« ratur. Si vero accipiatur numerus rerum in divinis, sic non compe« tit ibi ratio mensurati, quia *eadem* est magnitudo trium Personarum « ut infra (Q. XLII, artt. 1 et 4) patebit. *Idem* autem non mensura« tur per *idem* » (Hic ad 5.m).

246. **Scholium.** Occurrit hoc loco notanda distinctio inter *Relationem, Relationem Personalem* et *Proprietatem Personalem,* prouti de divinis dicuntur. Dico igitur quod

α) *Relatio* simpliciter est ordo unius divinae Personae ad aliam divinam Personam.

β) *Relatio Personalis* est ea relatio quae, subsistens ad modum hypostasis in natura divina, *constituit* unam *determinatam Personam divinam.* Ex. gr. *Paternitas* in Deo est Relatio Personalis, quoniam ea, uti subsistens in natura divina, constituit **solam** Dei Patris personam et ita porro de aliis duabus.

γ) *Proprietas Personalis,* sicut voces indicant, est id quod est *proprium* unius tantum *divinae Personae.* Ita ex. gr. *Paternitas,* quatenus *proprie* convenit uni Deo Patri, est in divinis *proprietas personalis* Dei Patris; etc.

δ) Atqui visum est, quod « licet sint quatuor relationes in divinis, « tamen una earum, scilicet *Spiratio,* non separatur a Persona Patris « et Filii, sed convenit utrique. Et sic, licet sit *relatio,* non tamen

« dicitur *proprietas* quia non convenit **uni** tantum Personae ; neque « (*dicitur*) *Relatio Personalis* idest constituens Personam. Sed hae « tres relationes *Paternitas, Filiatio* et *Processio* dicuntur *proprieta-* « *tes Personales* quasi Personas *constituentes ;* nam *Paternitas* est « Persona Patris, *Filiatio* Persona Filii, *Processio* Persona Spiritus « Sancti procedentis » (Hic ad 1.m). — Occurrit nunc scholastica quaestio, videlicet

247. Q. I. *Utrum in Deo dentur* **tres** *subsistentiae* formaliter dictae, *sicut in Eo sunt* **tres** Personae ? (Cfr. n. 212).

A) Durandus (I. *Sent.,* Dist. XIII, q. 2) perpendens quod Persona divina importet τὸ subsistere incommunicabiliter in divina natura, item quod τὸ subsistere in divina natura importet aliquam subsistentiam absolutam, demum quod τὸ incommunicabiliter importet distinctionem realem quae in Deo invenitur per oppositionem relativam, intulit Personam divinam esse subsistentiam Dei absolutam prouti modificatam a relationibus invicem oppositis : unde non agnovit in Deo *aliquas subsistentias relativas,* sed **unicam** *subsistentiam absolutam.* Sententiam Durandi defendit Marsilius (I. *Sent.* Dist. XXIX, art. 1, *Dub. 1.*°) inter alios ; neque *videtur* displicuisse Capreolo (I. *Sent.* Dist. XXVI, Q. I, art. 1, § *Concl. 3.*ª) et Ferrariensi (Lib. I. *Cont. Gent.,* cap. 26).

B) Oppositum tenent communiter thomistae ; pro quibus sit

b) **Conclusio II.** *In Deo sunt* **tres** *subsistentiae relativae seu personales*

Prob. 1.° *Ex autoritate.* α) Concil. Constantinopol. III (Oecum. VI) art. 11 scribit: « Sanctissima Trinitas **numerabilis** facta est *Personalibus subsistentiis* » : videlicet in Trinitate *subsistentiae personales* sunt **tot** numero **quot** numerantur divinae Personae sive *tres.* Nihil clarius pro nostra sententia!

β) S. Athanasius quoque in Serm. *De Deipara* inquit : « **Unum** « Deum in **tribus** subsistentiis praedicamus, in quibus **una** sit sub- « stantia ».

γ) S. Ioan. Damascenus in Lib. *De duab. in Christo voluntatibus,* cap. 8, scribit : « Quandoquidem in Patre et Filio et Spiritu « Sancto subsistentia **diversa** est, **tres** sunt hypostases », et in Lib. I *De Fide Orthod.,* cap. 9 ait: « *Filius* propriam habet subsi- « stentiam **praeter** eam quae *Patris* est ».

δ) S. Cyrillus Alexandr. in *Dialogo 3* de Trinitate ait : « Omnis

« Fidei nostrae sermo huc tendit, ut **unam** videamus naturam quae « in **tribus** subsistentiis proprie subsistit ».

ε) S. Ambrosius (*Symbol. Apost.*, cap. 2) « Catholicum est, in- « quit, et ut **unum** Deum secundum unitatem substantiae fateamur ; « et ut *Patrem* et *Filium* et *Spiritum Sanctum* in **sua** quemque « **substantia** sentiamus ».

2.ª *Ratione theologica.* Personalitas est subsistentia **incommunicabilis** in natura intellectuali. Unde in Deo sicut inveniuntur *tres Personae,* ita et inveniuntur *tres Personalitates* videlicet tres subsistentiae **incomunicabiles** in natura divina.

Atqui in Deo redditur aliquid incommunicabile per oppositionem relativam ; sicut fert proverbium theologicum.

Et ideo in Deo sunt *tres subsistentiae oppositae relative,* seu *tres subsistentiae relativae,* seu *personales.* Q. E. D. Hinc Angelicus monet quod « sicut nos (*Latini*) dicimus in divinis pluraliter *tres personas* et *tres subsistentias* (*profecto personales!!*), ita Graeci dicunt *tres hypostases* » (Q. praec., art. 2 ad 2.m — Cfr. infra Q. XL. art. 3 ad 2.m).

248. Hac veritate constituta, exoritur inter theologos scholasticos dubium aliud, videlicet : Utrum Deus, consideratus in seipso, et uti praeintellectus divinis relationibus, habeat aliquam *subsistentiam absolutam ?* — Sed, quia idem significat τὸ *Deus consideratus in seipso et uti* praeintellectus *divinis rationibus,* ac τὸ *Deus* consideratus in linea *realitatis absolutae,* propterea praecedens quaestio potest proponi ut sequitur ; nempe

Q. II. *Utrum Deus, consideratus in linea* entitatis absolutae, *habeat* subsistentiam *aliquam* absolutam ?

A) Vazquez (Hic, Disp. CXXV, cap. 3), Aravius (Tom. II *Metaph.* Lib. VII, Q. II, art. 3), Arrubal, Moralius, noster P. Nicolai (Cfr. eius notas super III P. Q. III, art. 3 ad 1.m), et plerique alii theologi affirmant in Deo, considerato seorsim a divinis relationibus, non adesse *subsistentiam aliquam absolutam* et propterea tenent divinam naturam *nonnisi per subsistentias relativas* subsistere in *singulis* trium divinarum personarum.

B) Alii theologi e contra cum Caietano (*Com.* hic in Q. III, art. 3 ; item Q. praec., art. 4 et infra Q. XXXIX, art. 4 ; item III. P. Q. II, art. 2 ad 3.m et Q. III, art. 2, o), Molina, Suaresio, Granado et multis aliis tam thomistis quam extraneis, docent divinam

naturam, etiam *praeintellectam relationibus et personalitatibus,* habere *subsistentiam aliquam absolutam.*

C) Discordia tamen horum doctorum nititur, sicut optime notant Gonet (Disp. V. *De Plural. Person.,* art. 1), et Billuart (Dissert. IV. *De Trinit.,* art. 3), in *quadam aequivocatione.* Ut igitur aequivocatio evitetur, et vera quaestionis solutio appareat, « nota subsistentiam quatuor importare,

« 1.° *singularitatem :* res enim in universali non subsistunt,

« 2.° *modum exsistendi per se* independenter ab alio sustentante ; « qui (*modus*) dicitur *Perseitas* (*vel potius* **Inseitas.** Cfr. Vol. *De Deo Uno,* n. 205, A, α),

« 3.° *modum exsistendi* incomunicabiliter... *alteri termino et sup-* « *posito ;* qui (*modus*) dicitur Perseitas incommunicabilitatis,

« 4.° *ipsum concretum* per modum **habentis ipsam,** et (*per mo-* « *dum*) principii QUOD actionum... (*seu aliis verbis substantiam* « *completam substantialiter, specifice, et individualiter*). Unde com- « muniter dicitur *Actiones esse suppositorum subsistentium* » (Billuart, loc. cit.).

α) Porro, si subsistentia accipiatur in quantum includit *singularitatem,* certum est, quod Deus, consideratus secundum lineam *rei absolutae,* habet huiusmodi subsistentiam idest *singularitatem naturae ;* quoniam Deus quantum ad *rem absolutam* non est aliquid *universale* (Q. III, art. 3) sed *maxime unus* et *simplex* (Q. XI, art. 4 ; et Q. III, art. 7).

β) Certum est quoque, quod, si *subsistentia* accipiatur quatenus exprimit *incomunicabilitatem alteri supposito* vel *personae,* Deus consideratus secundum lineam *rei absolutae* non habet *huiusmodi subsistentiam,* quinimo est *realiter* communicabilis sive communis *tribus divinis Personis.* Enimvero in divina Trinitate adest *unitas* quantum ad *absoluta, distinctio* vero quoad *relative opposita,* sicut pluries dictum est. — His praenotatis statuitur

249. **Conclusio III.** *Deus, consideratus in linea* rei absolutae *habet subsistentiam* absolutam, *idest* α) perseitatem *independentiae ab alio substentante* β) *et* subsistentiam *secundum quod exprimit seu significat* principium QUOD *operationum divinarum.*

Prob. I.ª PARS conclusionis. 1.° *Ex auctoritate. A*) Agatho Papa in *Epist. ad Caesarem Augustum* et ad Patres VI *Synodi Generalis* ita loquitur : « Confitemur... trium Personarum **unam subsistentiam** »,

absolutam subintellige (Cfr. Carranza, O. P., *Sum. Concil.* in Act. 4 Conc. VI Constantinopolitani).

B) S. Augustinus (Lib. VII *De Trinit.* cap. 4) ait: « Omnis res ad seipsam (*videlicet* **substantia**) subsistit: quanto magis Deus? » Cfr. Salmanticenses, hic Disp. IX, Dub. 5.°, § 2.

C) S. Thomas in I. *Sent.*, Dist. XXI, Q. II, art. 1 scribit « Na- « tura divina est *in se habens esse subsistens,* nulla intellecta Per- « sonarum distinctione ». Et in III *Sent.*, Dist. VI, Q. II, art. 2 ad 2.m; «In Deo ipsa essentia subsistens est: unde Ei *secundum se* « debetur *esse;* imo ipsa est *suum esse subsistens* » (Cfr. Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 14; et Q. IX. *De Pot.*, art. 5 ad 13.m).

2.° *Ratione theologica.* Deus, consideratus in linea *rei absolutae,* continet *modo transcendentali* omnem perfectionem *absolutam* quae est *simpliciter simplex* (Cfr. Q. IV. art. 2, o). — Atqui perseitas exsistendi independenter ab alio sustentante, seu ab alio tamquam subiecto inhaesionis est evidenter *summa perfectio,* et quidem in linea *perfectionis absolutae* sicut patet per verba *independenter ab alio substentante.*– Ergo Deus, consideratus in linea *rei absolutae,* habet *subsistentiam absolutam* videlicet *perseitatem independentiae ab alio substentante.* Q. E. D.

Confirmatur. Prout alibi (Cfr. Vol. I, n. 236) exposuimus, haec tria *essentia, subsistentia* et *exsistentia* sic invicem coadunantur in substantiis exsistentibus, ut *subsistentia* perficiat immediate *essentiam,* hanc reddendo independentem a *subiecto subsestante; exsistentia* vero coronat **proxime** subsistentiam et **remote** essentiam, dicitur namque exsistentia *actus* ultimus *entis in linea entis.* Exinde apparet, quod, nisi *essentia* habeat *subsistentiam* videlicet independentiam a quolibet subiecto substentante, non potest **connaturaliter** propriam habere *exsistentiam.*

Si ergo Deus, consideratus *in linea realitatis absolutae* et antecedenter ad relationes personales, non haberet formalitatem *subsistentiae,* non haberet neque formalitatem *exsistentiae realis.*—Et sic oportebit dicere, quod Deus, secundum suam *naturam absolutam* consideratus, non includat formalitatem *realis exsistentiae,* sed hanc formalitatem intelligatur Deum habere *vi processionum divinarum.*

Sed processiones divinae fundantur in operationibus divini intellectus et divinae voluntatis (Cfr. Q. XXVII, artt. 1 et 5).

Et ideo, si Deus, consideratus in linea entis absoluti, haberet propriam subsistentiam et propriam exsistentiam *vi processionum divinarum*, tunc Deus concipiendus est tamquam *res* causans *propriam exsistentiam,* sive tamquam *causa sui:* qui est error Schelli, supra (Vol. I, n. 293, *F*) expunctus.

Prob. II.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Equidem Deus, consideratus in sola linea *realitatis absolutae* sive praecisive a relationibus divinis, est *infinitus essentialiter* et in *linea absoluti;* consequenter continet omnes perfectiones simpliciter simplices et absolutas.

Iamvero esse *principium* QUOD *operandi* est perfectio quaedam *simpliciter simplex* seu non includens ullam imperfectionem, quia unumquodque *agit* secundum quod est *perfecte in actu:* item est perfectio quaedam *absoluta,* quia esse principium QUOD operandi tum *ad intra* tum *ad extra* est quid commune tribus Personis S.mae Trinitatis.

Ergo Deus spectatus in **sola** *linea realitatis absolutae* habet *subsistentiam* quatenus haec significat *principium* QUOD *operandi.* Q. E. D.

Confirmatur. Deus non intelligitur habere a relationibus, nisi distinctionem in tres Personas. Si enim per impossibile non existerent in Deo *relationes reales,* Deus per suum esse *per se subsisteret* **sufficientissime** independenter a quolibet alio subiecto.

Sed *operari* proportionatur ad *esse.*

Igitur etiamsi per impossibile in Deo non darentur relationes distinguentes eum in Personis, in Deo inveniretur **sufficienter** ratio *principii* QUOD *operandi.* — Consequenter Deus consideratus in *sola linea absoluti,* possidet subsistentiam secundum quod haec exprimit *principium* QUOD *operandi.*

250. **Obiic. 2.°** *Si Deus, consideratus* praecisive *a suis* relationibus divinis, *haberet* subsistentiam, (*secundum quod haec significat principium* QUOD *operandi,* tunc *Deus* praeintellectus *relationibus esset* Persona, *et sic in Deo essent* tres *Personae* relativae *et* una *Persona* absoluta, *videlicet in Deo inveniretur* Quaeternitas *et non* Trinitas: *quod est haereticum, ut habetur in cap.* Damnamus *Concil. Later. IV.*

R. Nego illationem et consequens argumenti. Etenim *subsistentia,* considerata tamquam *principium* quod *operationum,* denotat, si-

cut diximus (Cfr. n. 213), substantiam completam tum *substantialiter*, tum *specifice*, tum *individualiter*, *orbatam* tamen *incommunicabilitate* seu habentem communnicabilitatem : huiusmodi est natura humana in Christo, si consideretur separatim a Persona divini Verbi. E contra *Persona* praeter substantiam, completam individualiter, importat *incommunicabilitatem* ad alia *supposita* vel ad alias *personas*. At natura divina, praeintellecta relationibus, habet communicabilitatem ad tres Personas. Et ideo licet habeat *subsistentiam*, prouti exprimit principium QUOD operandi, non tamen dicenda est *Persona*. « Ad- « vertendum tamen est, quod, sicut non dicimus *absolute* tres sub- « stantias, ne detur ocassio erroris, ita absolute dicendum non est « dari in Deo **unam** subsistentiam, sed solum cum addito, addendo « scilicet *absolutam* vel aliquid aliud denotans *nos loqui* de *absoluta* « *subsistentia* » (Gonet, loc. cit. § IV, *in resp.ad 1.*m *obiect.*).

251. Ostendimus in Deo exsistere *unam* subsistentiam absolutam, et *tres* subsistentias relativas. Nunc

Q. III. *Quo modo* in Deo *se habent subsistentiae* relativae *per ordinem ad subsistentiam* absolutam ?

A) Durandus in I. *Sent.*, Dist. XIII, q. 2. sentit subsistentias *relativas* in Deo non distingui **virtualiter** a subsistentia Dei *absoluta*, videlicet tamquam *explicite* significantes *aliquid reale* **praeter** subsistentiam absolutam ; sed vult in Deo subsistentias *relativas* esse ipsam Dei subsistentiam *absolutam* modificatam per relationes *personales*. Unde ipse non admittit in Deo **tres** subsistentias *relativas* sed **unicam** subsistentiam *absolutam* modificatam a **tribus** relationibus personalibus.

B) Alii theologi docent communiter ut sequitur:

b) **Conclusio IV**. *Subsistentia* relativa *distinguitur* virtualiter *a subsistentia* absoluta *Dei*.

Prob. *Rationibus theologicis*. 1.° *Virtualis distinctio*, seu distinctio rationis ratiocinatae (Cfr. n. 164, 2.° *C*), adest inter duo quae, licet realiter *sint identica*, tamen *non exprimunt* explicite eamdem formalitatem.

Iamvero in Deo *subsistentia* RELATIVA est Persona divina, consequenter importat **explicite** perfectionem entitativam quae est *perseitas incommunicabilitatis* ad *alias divinas personas* ; e contra *subsistentia* ABSOLUTA importat **explicite** Deitatem uti *substantiam per-*

fecte individuam sed non *habentem perseitatem incommunicabilitatis* ad alias *divinas Personas.*

Ergo, quamvis, propter maximam Dei simplicitatem, *subsistentia absoluta* et *subsistentiae relativae* non distinguantur *realiter,* differunt tamen inter se *virtualiter.* Q. E. D.

2.° Praeterea natura humana in mysterio Incarnationis non fuit unita cum subsistentia *absoluta* Dei (secus non **una sola** *trium* divinarum Personarum, sed **omnes tres** fuissent **simul** *unitae hypostatice* cum humana natura in Christo), sed unita fuit cum subsistentia *relativa* solius Filii Dei.

Ergo in Filio Dei datur subsistentia *relativa* quae est *virtualiter* distincta a subsistentia *absoluta,* quae communis est tribus Personis S.mae Trinitatis.

Sed quod dicimus de Filio Dei, existimandum est *pariter* de Deo Patre ac de Spiritu Sancto : patet.

Ergo, generatim loquendo, in Deo subsistentia relativa distinguitur *virtualiter* a subsistentia absoluta ipsius Dei. Q. E. D.

Art. III. Utrum termini numerales ponant aliquid in divinis.

252. Ostenso quod secundum christianam Fidem in divinis inveniantur tres Personae, sequitur quod termini numerales *unus* vel *una, duo* vel *duae,* aut *tres* vel *tria* possint vere affirmari de divinis Personis, utputa dicendo *Persona Dei Patris est* UNA ; *Pater* et *Filius sunt* DUAE *Personae ; Pater, Filius et Spiritus Sanctus sunt* TRES *Personae.* Atqui in omni vera affirmatione notio *praedicati* denotat aliquid positum seu inclusum in notione *subiecti.* Et ideo, quia illae propositiones affirmativae de Deo sunt verae, rectissime sequitur, quod notio, designata per *terminum numeralem* qui est ex parte *praedicati,* denotet aliquid positum in notione *Dei* seu *divinae Personae* quae est ex parte *subiecti.* Hoc est evidens ex dialectica.

253. Verum, quia nomina, quae dicuntur de Deo, sunt quandoque *positiva,* et quandoque *negativa,* propterea inquiritur : Utrum id, quod a termino numerali denotatur positum in Deo, sit aliquid *positivum,* an vero aliquid *negativum ?*

Solutio huius quaestionis est obiectum praesentis articuli.

254. In titulo «adverte *terminos numerales* dupliciter sumi pos-

« se: *uno modo* determinate ut *duo, tria,* etc. : *alio modo* indetermi-« nate ut *multa, plura* etc. Et utroque modo de terminis numeralibus « quaeritur in *titulo* et disputatur in *corpore* » (Nazarius, *Com.* in h. a.) articuli ut patebit ex dicendis.

255. Rursum in eodem titulo τὸ « *ponere aliquid* est *significare* « *aliquid positivum* (*nihil curando utrum hoc aliquid positivum sit res* « absoluta *aut* res relativa — Cfr. Nazarius, loc. cit.) : ita quod sen-« sus (*articuli*) est:

« Cum dicimus quod *Pater* et *Filius sunt duo,* an *duo* praedicet « aliquid *positive* ut *Sapiens* aut *Pater,* an solam negationem ut ly « *incorporeus* » (Caiet., *Com.* in h.).

256. De hac quaestione tres sunt opiniones ; una Magistri Sententiarum in Lib. I, Dist. XXIV; altera aliorum doctorum ; tertia S. Thomae cum sua schola.

A) Sensit ergo Magister quod termini numerales non ponunt aliquid *positivum* in divinis, sed *negationem* **tantum.** Quam opinionem declaravit in hunc fere modum. — Termini numerales significant aliquid contentum in genere quantitatis praedicamentalis ; quoniam significant *multitudinem* quae est *species* quantitatis *discretae.* — At quantitas *discreta* non invenitur *proprie* sed *solum metaphorice* in divinis (Cfr. Q. III, art. 1 ; et Q. VII art. 1). — Ergo termini numerales non ponunt aliquid *positivum* in divinis sed removent tantum aliquid a Deo. Ita ex. gr. quando dicimus *Deus* est *unus,* unitas removet a Deo multitudinem *deitatis ;* et quando dicimus *Personae divinae* sunt *tres* seu *plures,* pluralitas EXCLUDIT *solitudinem* seu *monachismum* a Deo, et INDUCIT consortium Personarum (Cfr. hic *Sed Cont.,* o et ad 3.m).

B) Alii theologi e contra tuentur quod termini numerales ponant aliquid *positivum* in Deo, et arguunt analogice in hunc modum. — Idem existimandum est circa attributionem *Numeri* ad Deum et circa attributionem *Scientiae* ad ipsum Deum; eo quod quidquid dicitur de Deo et de creaturis, dicitur *analogice* tantum (Cfr. Q. XIII, art. 5, o). — Iamvero *Scientia* potest considerari *dupliciter, uno* modo *strictissime,* i. e. prouti est *habitus* quidam seu *qualitas praedicamentalis ;* et hoc modo non ponitur in Deo : *alio* modo *Scientia* potest spectari *latissime* quatenus exprimit certam et *evidentem cognitionem intellectivam* de rebus; et hoc modo *Scientia* abstrahit a genere *qualitatis praedicamentalis,* et ponitur *propriissime* in Deo (Cfr. Vol. I.

De Deo Uno, nn. 808, et seqq.). — Ergo *a pari* Numerus potest considerari *dupliciter: uno modo* CATEGORICE secundum quod est *species* alicuius *quantitatis praedicamentalis,* et hoc modo non invenitur *proprie* in divinis: *alio modo* numerus potest considerari *latissime* secundum quod est adunatio plurium unitatum, et hoc modo numerus non est quantitas aliqua, sed abstrahit a genere quantitatis et sic ponitur propriissime in Deo (Cfr. hic, o, ad 2.m et ad 3.m).

C) Tertia sententia, media inter duas praecedentes, est quam tuetur S. Thomas (Hic, o), videlicet quod termini numerales in Deo denotant *aliquid positivum* **mixtum** *negatione aliqua.*

257. Ad cuius sententiae declarationem perpende quod *Divisio* est *resolutio totius in suas partes.* Duplex est

α) Una est *materialis;* et haec contingit super quantitatem *geometrice* extensam, separando videlicet partes quae in ipsa extensione geometrica actualiter exsistunt.

β) Alia divisio est *formalis;* et haec contingit super subiectum *ulterius determinabile* secundum oppositas invicem *differentias;* quo modo dividimus *Animal* divisione *formali,* opponendo ei differentias *Rationale* aut *Irrationale;* et quo modo dividimus *Ens* in *Substantiam* et *Accidens* superaddendo ad rationem *entis* formalitates *essendi in se* vel *non essendi in se sed in alio* (Hic, o).

Nota differentiam inter *divisionem materialem* et *divisionem formalem* in hoc consistere, quod divisio *materialis* invenitur solummodo in categoria quantitatis *praedicamentalis* in qua scilicet categoria invenitur *extensio geometrica.* Divisio vero *formalis* est aliquid *transcendentale* et invenitur diffusa in omnibus *speciebus, generibus* et *transcendentibus* (Cfr. hic, o).

258. Advertendum est ulterius, quod *omnis pluralitas oritur ex divisione alicuius totius.* Unde quot sunt modi dividendi *totum aliquod,* tot sunt *genera pluralitatis.* Sed divisio, ut ostendimus (n. praec.), est *duplex* videlicet *materialis* et *formalis.* Ergo et similiter adest *duplex* pluralitas

α) Una est *pluralitas* MATERIALIS quae *multitudo arithmetica* dici potest. Et haec consurgit ex divisione totius quod est *quantitas continua* sive *extensio geometrica.* Si enim scindamus lineam in *tres* vel *quatuor* partes aequales, fient *tres* vel *quatuor* lineolae *materialiter* sive *individualiter* tantum distinctae.

β) Alia est *pluralitas* seu *multitudo* FORMALIS quae solet etiam

dici *pluralitas transcendentalis*. Et haec consurgit ex divisione *formali* alicuius totius, quod intelligitur tamquam *ulterius determinabile*. — Ita, si τὸ *Substantia* contrahatur per differentias *Corporea* et *Incorporea*, emerget pluralitas *formalis* substantiarum, sive substantiae *plures* TRANSCENDENTALITER consurgent (Ibid.).

259. Atqui multitudo est *adunatio quaedam unitatum* seu est *Id quod est ex unis, quorum unum non est alterum* (Cfr. Q. IX *De Pot.* inter QQ. Dispp. art. 7). Unde quemadmodum multitudo alia est *transcendentalis*, et alia *quantitativa*, ita et *unitas* ex cuius repetitione fit multitudo, alia est *quantitativa* et alia est unitas *transcendentalis*. — Atqui

α) Unitas *transcendentalis* est *indivisio entis in plura*; sicut unum transcendentale est ens ut indivisum in seipso.

β) Unitas vero *quantitativa* vel geometrica est *indivisio extensionis in plures partes*. — Unum autem *quantitativum* vel *geometricum* est *extensum prout indivisum in seipso*. Hinc

γ) *Multitudo transcendentalis* seu *formalis* est id quod resultat *ex unitatibus transcendentalibus*, quarum *unaquaeque est ab aliis separata*.

δ) Multitudo *materialis* seu *quantitativa* est id quod resultat *ex unitatibus quantitativis seu geometrice extensis, quarum unaquaeque est ab aliis separata*.

NOTA. Evidens est differentia inter unum *geometrice* et unum *transcendentaliter*. Etenim

A) Unum *geometrice*, utpote extensum, uti indivisum in semetipso, includit *extensionem geometricam* tamquam aliquid *positivum*, et *indivisionem* tamquam aliquid *negativum*. — Atqui extensio *geometrica* convenit *solis* rebus materialibus et corporalibus. — Et ideo

Unitas *geometrica* convenit *solis* rebus materialibus.

B) Unum *transcendentaliter* e contra utpote ens indivisum in semetipso, includit *rationem entis* quae est aliquid *positivum*, et *indivisionem* quae est aliquid *negativum*. — Atqui *ratio* entis et *indivisio* conveniunt non solum *rebus materialibus* sed multo perfectius rebus spiritualibus. — Et ideo

Unitas *transcendentalis* convenit *etiam* rebus incorporalibus.

C) Et similiter quia multitudo *geometrica* constat seu resultat ex unitatibus *geometricis*, evidenter

Sicut unitas *geometrica,* ita et *multitudo geometrica* convenit *solis* rebus materialibus seu *geometrice extensis.*

D) E converso,

Sicut unitas *transcendentalis,* ita *multitudo transcendentalis* convenit *etiam* rebus *omnino incorporeis,* utputa Angelis.

260. Quaelibet multitudo, sedulo adverte, ponit *duas negationes* in his de quibus dicitur :

α) Una negatio est indivisio uniuscuiusque unitatis ex quibus ea multitudo coalescit

β) Altera negatio est negatio identitatis inter illas unitates ex quibus multitudo coalescit ;

Revera multitudo solet definiri dicendo: *Id quod resultat ex* **unis** (hic importatur *prima* negatio), *quorum unum* **non est** (en *altera* negatio) *aliud* (Cfr. Q. et art. cit. *De Pot.*).

261. **Corollaria.** 1.° Si ergo alicui obiecto X attribuatur unitas *geometrica,* puta dicendo *X est unum unitate geometrica,* tunc ponitur in τῷ X *extensio geometrica* (quae est quoddam accidens) tamquam aliquid *positivum,* et *indivisio* tamquam aliquid *negativum ;* atque innuitur X esse aliquid *corporeum.*

E contra, si alicui obiecto X attribuatur unitas *transcendentalis,* dicendo *X est unum unitate transcendentali,* tunc in τῷ X ponitur aliquid *negativum* videlicet *indivisio ;* attamen in eo non ponitur *aliquid* **novum** *positivum* (quia ratio *entis* imbibitur *intime* in toto X) sed significatur *positive* **tota** *realitas* τοῦ X: non innuitur tamen *sufficienter* quod τὸ X sit aliquid *corporeum* vel *incorporeum.* Aeque enim vere dicitur *Equus* est unus unitate transcendentali, et *Gabriel* est unus unitate transcendentali. Patet.

2.° Pari modo, quia *multitudo geometrica* componitur ex *unis geometricis,* propterea ista multitudo geometrica

primo requirit quod res numeratae habeant omnes *geometricam extensionem ;*

secundo ponit circa *unitates* (i. e. singulas res numeratas), ex quibus coalescit, *duas* negationes, videlicet *negationem divisionis* in plura, et *negationem identitatis* inter easdem unitates ex quibus componitur multitudo (Cfr. n. 260) ; ac

tertio ex eo quod talis multitudo supponitur *geometrica,* ipsa ponit in qualibet unitate, quae illam componit, *aliquid positivum* videlicet extensionem geometricam.

E contra, *multitudo transcendentalis,* quia **multitudo** est, ponit *duas* negationes circa *unitates trancendentales* (i. e. singulas res numeratas) ex quibus coalescit, videlicet *negationem divisionis* in plura, et *negationem identitatis* inter easdem unitates ex quibus componitur multitudo :

ex eo autem quod talis multitudo est **transcendentalis,** non ponit aliquid *novi* et *positivi* super unitates ex quibus coalescit, et **potest** *convenire* etiam rebus *pure spiritualibus,* ex. gr. Angelis.

3.° Sic igitur, si obiecto X attribuatur *unitas transcendentalis* vel *unum transcendentale,* per hanc praedicationem nihil aliud significatur nisi *entitas* **tota** τοῦ X cum *eius indivisione in se.* Et pariter, si de X, Y, Z, etc. praedicatur *numerus aliquis* transcendentalis, per hanc praedicationem nihil aliud significatur, quam *entitates* τῶν X, Y, Z, etc., et unaquaeque earum cum *indivisione* in semetipsa, ac *divisione* seu *distinctione* ab aliis (Cfr. hic, o).

262. His positis, sit

Conclusio. *Termini numerales in divinis significant* entitatem totam *eorum de quibus dicuntur, addendo* **tantum** *negationem.* — « Ut « cum dicimus *Essentia est una,* unum significat essentiam (*formaliter « ut*) indivisam. Cum dicimus *Persona est una,* (τὸ *una*) significat « Personam (*formaliter ut*) indivisam. Cum dicimus *Personae sunt « plures,* significantur illae Personae, et *indivisio* circa unamquam- « que earum, quia de ratione multitudinis est quod ex unitatibus « constat » (Hic, o — Cfr. n. 260).

Prob. 1.° *Ex Conciliis. A*) Conc. Toletanum XI in *Symbolo Fidei* ita loquitur : « Sancta Trinitas... nec recedit a numero, nec capitur « numero. In *relatione* enim Personarum *numerus* cernitur, in *divini- « tatis* vero substantia *quid numeratum sit* non comprehenditur. Ergo « in hoc solum numerum insinuant, quod *ad invicem* sunt: et in hoc « numero carent, quod *ad se* sunt » (*Enchir.,* n. 280).

B) Concil. VI Constantinopol., act. 11 haec habet : « *Sancta « Trinitas* numerabilis personalibus facta est subsistentiis, sive *San- « cta Unitas* extra omnem numerum est, et haec quidem *indivisibilem* « habet divisionem, et *inconfusam* gerit coniunctionem » (Carranza, « Op. cit.)

2.° *Ratione theologica.* Quum in Deo non exsistat ulla quantitas **geometrica** (Q. III, art. 1 et Q. VII, art. 1), propterea **numerus,** a S. Scriptura (Cfr. Matth. XXVIII, 19; et I. Joan. V, 7) in

Deo positus, non potest intelligi de **numero** importato a quantitate *geometrica,* sed solum de **numero transcendentali.**

Atqui **numerus transcendentalis** de quacumque re dicitur, significat entitatem totam illius rei **addendo** *negationes* a tali numero importatas (Cfr. n. praec., § 2.[a]).

Ergo terminus numeralis (seu *numerus*), qui a S. Scriptura in Deo ponitur, significat entitatem totam eorum de quibus dicitur, addendo tantum negationem. Q. E. D. (Hic, o et ad 2.[m]).

263. **Scholium.** In responsione ad 1.[m] advertit Angelicus, quod « *unum,* cum sit de transcendentibus, est *communius* quam *Substan-* « *tia* et *Relatio,* et similiter multitudo (*transcendentalis est quid com-* « *munius quam Substantia et Relatio*) Unde (τὸ *unum*) potest stare « (*seu supponere*) in divinis et pro Substantia et pro Relatione, se- « cundum quod competit his quibus adiungitur. (*Cum enim dico* **Deus est unus,** τὸ **unus** *significat* **essentiam divinam;** *et quum dico* **Pater est unus,** τὸ **unus** *significat* **Relationem Paternitatis uti subsistentem;** *item quando dico* **Pater et Filius sunt unum,** τὸ **unum** *denotat* **essentiam divinam;** *tandem quum dico* **Pater et Filius sunt duo,** τὸ **duo** significat **Personam Patris et Personam Filii;** *etc.*). « Et tamen per huiusmodi nomina supra *essentiam* vel « *relationem* additur ex eorum significatione propria *negatio* quae- « dam divisionis; ut dictum in corp. articuli ».

« Et quantum ad hoc veritatem dixit Magister Sententiarum (Loc. cit.)-». Hic, o.

ART. IV. UTRUM HOC NOMEN **PERSONA** POSSIT ESSE COMMUNIS TRIBUS PERSONIS.

264. « Respondeo dicendum quod ipse modus loquendi (*circa* « *divina*) ostendit hoc nomen *Persona* tribus esse commune, cum « dicimus *tres Personas;* sicut cum dicimus *tres Homines,* ostendimus « *Hominem esse communem tribus* » (Hic, o). Quum ergo evidens est omnibus nomen *Persona* esse commune pluribus in divinis, de hac veritate non discurrit Aquinas noster in h. a., sed vult determinare **unice** *modum* secundum quem hoc nomen *Persona* sit tribus divinis Personis commune (Cfr. Nazarium, *Com.* in h. a.). Et inde est quod in titulo articuli ponitur expressio « *possit esse* ».

265. Atqui scientia theologica non est de vocibus quemadmo-

dum Grammatica, sed de *rebus* per voces significatis. Unde, in eodem titulo τὸ *hoc nomen Persona* debet intelligi synonime ad *rem* significatam per nomen *Persona*. Memento autem ex Q. praec. quod *Persona* in communi definitur *Substantia individua intellectualis naturae;* Persona divina vero significat Relationem divinam subsistentem ad modum hypostasis, seu Divinae naturae individuam seu incommunicabilem substantiam (Cfr. hic, o, et loc. cit.).

266. Notare autem hoc loco iuvat differentiam inter *substantias* expressas per nomen *Genericum* aut *Specificum*, aut *Particulare*, aut *Singulare* et per nomen *Persona* aut *Suppositum*.

α) Substantia, expressa nomine *Generico*, significat rem substantialem uti *specifice incompletam*, et **praecisive** a subsistentia formali (Cfr. n. 213), qua potest gaudere. Ex. gr. τὸ *Animal* denotat *substantiam corporalem, viventem, sensitivam*, at non exprimit num ista possideat necne formalem subsistentiam.

β) Substantia, expressa nomine *Specifico*, denotat rem substantialem uti *completam in linea speciei*, et etiam **praecisive** a formali subsistentia, qua potest gaudere. Ex. gr. τὸ *Homo* exprimit unice τὸ *Animal Rationale*. nihil definiendo num haec realitas sit necne ornata *formali* subsistentia.

γ) Similiter substantia, expressa nomine *individui vagi*, designat entitatem substantialem, completam *specifice*, et ornatam *principiis individualibus*, at **praescindit** *tum* a determinatione *haecceitatis* horum principiorum, *tum* a formali subsistentia qua gaudere potest. Cum enim dicimus ex. gr. *Aliquis Homo*, significamus *naturam humanam* affectam principiis **aliquibus** (non *his* aut *illis*) individuantibus *talem naturam*, praescindendo a *formali* subsistentia, si quam forte habeat.

δ) Item substantia, expressa nomine individui *signati*, seu (quod idem est) individui *singularis*, designat realitatem substantialem *completam* **specifice,** et ornatam certis ac determinatis principiis **individualibus,** nihil curando aut affirmando de *formali subsistentia* si quam habet. Ita, quum nomino *singulare* individuum quod est *Plato*, significo naturam humanam ornatam *determinatis* principiis individualibus puta *his carnibus, hac anima, hac formositate*, etc., sed non significo hanc naturam ut *actu subsistentem* in semetipsa per **propriam** formalem subsistentiam. Etenim individuum *signatum*, seu singulare orbatum propria formali subsistentia, *datur de facto;* sicut

patet consideranti humanam Christi naturam, quae gaudet *subsistentia divini Verbi,* non autem propria et *finita.*

ε) Denique *Suppositum* seu *Persona* significat realitatem substantialem *specifice completam,* ornatam **determinatis** (= *his*) principiis individualibus, et *ulterius* **propria** formali *subsistentia.* Ita ex. gr. τὸ *Ego* denotat substantiam meipsius, habentem *hanc* animam, *haec* ossa, *has* carnes, etc. et suam *propriam* formalem subsistentiam.

267. Facile autem animadvertitur, quod realitas substantiae, *constituens* Personam, potest duobus modis nominari seu exprimi:

α) *Uno* quidem *modo,* ita ut *primo* et explicite denotetur individua natura intellectualis, *deinde* implicite atque confuse modus subsistendi individualiter. Et hoc modo designat individuum *vagum.* Revera τὸ *aliquis Homo* denotat *explicite* naturam humanam *uti individuam,* et nonnisi confuse subsistentiam *formalem* qua gaudet;

β) *Alio modo* realitas substantiae *constituens* Personam potest significari, ita ut *prius* et *explicite* denotetur eius *modus* subsistendi **individualiter,** *deinde* vero exprimatur *individua* **natura intellectualis** in qua ille modus subsistendi invenitur. Et hoc modo *talis realitas* designat *Personam:* equidem Persona describitur res subsistens in natura intellectuali; sicut pluries diximus.

γ) Habes hinc, quod veraciter nomen *Persona* significat eamdem realitatem *individui vagi* in natura intellectuali, sed *modo differenti.*

268. Notandum est praeterea, quod *communitas,* quasi *cum* multis *unitas* sive plurium unitas (Cfr. infra Q. LXXXV, art. 2 ad 2.m), est *una res* conveniens *pluribus.*

Et « est duplex communitas, scilicet *rei* et *rationis.* Et

« α) dico communitatem *rei,* quando aliquid UNUM et IDEM **nume-**« **ro** convenit pluribus. Et talis communitas (*rei, seu*) naturae non « est nisi in divinis Personis: nec aliqua talis communitas est in Tri-« nitate nisi *essentiae* et eorum quae ad essentiam pertinent, ut *attri-« butorum* et *operationum* et *negationum* et relationum essentialium » (I. *Sent.* Dist. XXV, art. 3, o); quia in absolutis omnia in Deo sunt unum (Cfr. Caiet. *Com.* in Opusc. *De Ente et Essentia,* cap. 4).

β) « Communitas autem *rationis* (*in Deo*) est, secundum quam « *Persona* communis dicitur in Trinitate » (I. *Sent.* loc. cit.). Aliis verbis *communitas rationis* inter plura tunc invenitur, quando *non* una eademque **numero** entitas, sed *eadem una notio seu definitio*

convenit ipsis pluribus. Ita ex. gr. τὸ *Animal Rationale* habet *communitatem rationis* seu definitionis relate ad *humana individua.*

269. Communitas iterum *rationis* est duplex :

α) Quaedam habet *fundamentum* in **negatione** aut aliqua **intentione** seu respectu logico, qui includitur in tali notione seu definitione quae pluribus competit. Et haec communitas rationis invenitur quando *illa una notio* quae convenit pluribus exprimit quamdam negationem, utputa quando dico *Incommunicabile, Indefinibile,* etc. ;

β) Alia autem communitas *rationis* habet fundamentum in ipsa *re* significata per notionem *communem communitate rationis.* Huiusmodi communitas rationis cernitur in τῷ *Animali* quatenus est *Genus logicum* ad *hominem* et *ursum.*

270. Communitas *rationis,* fundata super rem importatam in notione communi, est duplex.

α) *Una* est per modum *universalis logici,* seu *universalis in essendo,* et ista communitas contingit, quando *res,* designata per notionem seu definitionem communem, convenit pluribus *differentibus* quantum ad *esse.* Etenim « Genus et Species et quodlibet universa-« le (*in essendo*) praedicatur de pluribus secundum *esse* differentibus » (Hic ad 3.m).

β) Alia communitas *rationis* fundata supra *rem* importatam in notione communi, est communitas per modum individui *vagi ;* quae contingit, quando *ratio individui vagi* convenit pluribus, non differentibus sed *identicis* quantum ad *esse* (Cfr. loc. cit.; et hic, o, et ad 3.m).

271. Cognitis variis speciebus *communitatis,* patet quid significetur per *nomen commune* communitate *rei,* aut communitate *rationis* fundata in *negatione* aut *intentione logica,* vel fundata in *re ;* item per *nomen commune* communitate *rationis* fundata in *re* per modum *universalis logici,* vel per modum *individui vagi.*

272. His positis, deveniendo ad quaestionem : *Quonam modo nomen* **Persona** *sit commune in divinis,* sit

Conclusio I. *Nomen* **Persona** *non est commune* communitate rei *in divinis.*

Prob. *Ratione theologica.* Nomen, pluribus commune, tunc est commune secundum *communitatem rei,* quando *res* ab eo nomine designata, accepta *una eademque numerice,* exsistit in illis pluribus (Cfr. n. 268, α).

Atqui *Persona divina* significat subsistens **incommunicabiliter** in natura divina (Cfr. Q. praec. art. 4).

Et ideo, si nomen **Persona** in divinis esset *commune communitate rei,* oporteret quod *unum idemque* **numero,** subsistens **incommunicabiliter** *in natura divina,* inveniretur *exsistens* realiter **in tribus divinis Personis.** — Hoc autem apparet ex ipsis terminis *contradictorium.* — Ergo etc. (Hic, o ; et loc. cit.).

Confirmatur. Commune *communitate rei* inter tres divinas Personas est *essentia* et *alia attributa Dei absoluta.* Unde si nomen *Persona* esset, sicut nomen *Essentia,* commune *communitate rei* tribus divinis Personis ; tunc, quemadmodum verum est quod *tres divinae* **Personae** sunt *una eademque numero* **Essentia,** ita etiam verum esset, quod *tres divinae* **Personae** sint *una eademque* **numero Persona.** — Istud vero consequens est evidenter haeresis Sabellianorum. — Ergo haeresis Sabelliana est affirmare quod *nomen* Persona sit *commune* etc. Q. E. D.

273. Dicunt autem quidam quod nomen *Persona* sit in divinis *commune communitate rationis* fundata in *negatione* importata in nomine *Persona.* Aiunt namque : in notione *Personae,* quam exhibet Richardus de S. Victore (Cfr. Q. XXIX, art. 3 ad 4.m ; et hic arg.m 2.m), ponitur τὸ *incommunicabile* quod importat *negationem* quamdam. Porro istud τὸ *incommunicabile* quod invenitur in notione Personae, est elementum commune *tribus* divinis Personis. Ergo nomen *Persona* est commune communitate *rationis,* fundata in quadam *negatione,* tribus divinis Personis. — Sed contra eos sit

Conclusio II. *Non solum in humanis sed etiam in divinis nomen* Personae *non est commune* communitate rationis *fundata supra* **simplicem negationem.**

Prob. *Ratione S. Thomae.* Nomen non est commune nisi ex parte rei quam significat. Unde nomen, quod non significat simplicem negationem, non est commune communitate rationis fundata in simplici negatione.

Atqui non solum in humanis sed etiam in divinis nomen *Persona* non significat simplicem negationem, sed significat rem naturae coniunctam cum aliqua negatione : etenim *Persona* ab omnibus definitur **Incommunicabilis** naturae individua substantia (Cfr. n. 265).

Ergo non solum in humanis etc. (Cfr. hic, o et ad 2.m).

274. Alii ergo theologi attendentes, quod in definitione *Perso-*

nae, quam tradit Boëthius (Loc. cit.), ponitur τὸ *Individuum;* et quod *intentio* sive *respectus* **Individui** ad Speciem, sub qua continetur individuum, sit *intentio logica,* dixerunt quod nomen Personae est *commune* tribus divinis Personis secundum *communitatem rationis* quae fundatur in aliquo *respectu logico.* — Sed contra istos sit

Conclusio III. *Nec in humanis neque in divinis nomen* Persona *est commune* **sola** *communitate seu respectu* **intentionis logicae.**

Prob. *Ratione S. Thomae.* Communitas alicuius nominis attenditur penes significationem illius nominis: patet.

Atqui *res,* significata per nomen **Persona,** non est **pura** *intentio logica* sive *respectus logicus* individui ad propriam Speciem; sed est res naturae cui accedit talis respectus: constat haec veritas.

Ergo nomen Persona nec in humanis neque in divinis est etc. (Cfr. hic, o).

275. Praecedente opinione reiecta, alii theologi dixerunt, quod nomen *Personae* sit commune tribus divinis Personis secundum *communitatem* rationis fundatae in re seu formalitate aliqua quae sit universalis in essendo. — Sed contra eos statuitur

Conclusio IV. *Nomen seu notio* Personae *non est communis tribus divinis Personis secundum communicabilitatem universalitatis in essendo.*

Prob. *Argumentis S. Thomae.* 1.° Prouti notatum est supra (Cfr. n. 270, α), notio seu ratio illa est vere communis pluribus secundum *universalitatem* **in essendo,** quae notio seu ratio invenitur in pluribus **differentibus** quantum ad **esse.**

Atqui divinae Personae **non differunt** quantum ad **esse,** sed sunt identicae quantum ad esse et ad omnia alia attributa Dei absoluta.

Ergo notio seu nomen seu ratio Personae non est communis tribus divinis Personis secundum *communitatem universalitatis in essendo* (Cfr. hic, o; ad 3.m; et loc. cit.).

2.° Praeterea in Deo non invenitur ratio seu notio aliqua communis pluribus per modum *Generis,* aut *Speciei,* aut alterius *universalis in essendo;* sicut late ostendimus supra Q. III, art. 5. — Ergo impossibile est quod nomen *Persona* sit in divinis commune secundum communitatem *Generis,* aut *Speciei,* aut alterius *universalis in essendo* (Cfr. loc. cit.).

3.° Nomen *Persona* in creaturis non habet communitatem per

modum *Generis,* aut *Speciei* aut alterius *universalis in essendo.* — Ergo nec in divinis. — Illatio patet per legem *analogiae* qua utimur in divinis.

Prob. antecedens. Equidem nomen *Persona* non differt nisi *modaliter* (Cfr. n. 267, α) a nomine «*Individuum vagum*».

Atqui *individuum vagum* non habet communitatem *universalis in essendo;* quia *individuum vagum* non est nec *Genus,* neque *Species,* nec *Differentia,* neque *Proprium* neque *Accidens.* Patet.

Ergo nec nomen *Persona* habet in creaturis communitatem per modum *Generis* etc. Q. E. D. (Cfr. ibid.).

276. Melius ergo cum S. Thoma dicendum est ut sequitur

Conclusio V. *Nomen* Persona *in divinis est commune secundum communitatem* individui vagi *naturae intellectualis.*

Prob. *Argumentis theologicis.* 1.° Communitas est, sicut ostendimus nn. 268-270, *quintuplex* nempe α) *rei;* β) *rationis* quae sit per modum *negationis;* γ) *rationis* quae sit per modum *intentionis logicae;* δ) *rationis* quae sit modus quidam *universalitatis in essendo;* vel ε) *rationis* quae sit per modum *individui vagi.*

Atqui nomen *Persona* in divinis non habet communitatem secundum *rem* (Cfr. n. 272), neque secundum *puram negationem* (Cfr. n. 273), neque secundum aliquam *intentionem logicam* (Cfr. n. 274), neque secundum modum *universalis in essendo* (Cfr. n. praec.).

Ergo oportet quod nomen *Persona* in divinis sit commune per modum *individui vagi* (Hic, o, et ad 3.m).

2.° Nomen *Persona* non differt a nomine *Individui vagi* naturae intellectualis, nisi penes *diversum modum* significandi *eamdem rem,* sicut notatum est supra n. 267, γ. — Ergo non habet nisi communitatem *individui vagi* naturae intellectivae. — Consequenter in divinis nomen *Persona* est commune secundum communitatem *individui vagi* naturae intellectualis. (Ibid. — Cfr. Capreolum in I. *Sent.* Dist. XXV, q. 1 ; item Caiet. *Com.* in cap. 4 Opusc. *De Ente et Essentia;* item Suárez, Lib. I. *De Myst. Trinit.,* cap. 3, etc.).

QUAESTIO XXXI

DE HIS QUAE AD UNITATEM VEL PLURALITATEM PERTINENT IN DIVINIS

277. **Prologus.** « Quia ex verbis inordinate prolatis incurritur « haeresis, ut Hieronymus dicit, ideo cum de Trinitate loquimur, cum « cautela et modestia est agendum ; quia, ut Augustinus dicit in I. « *De Trinit.*, cap. 3, nec *periculosius* alicubi erratur, nec *laboriosius* « aliquid quaeritur, nec *fructuosius* aliquid invenitur » (Cfr. art. 2 h. q., o). Unde, agnita per Fidem Dei *unitate* in essentia atque *trinitate* in personis, determinare oportet modum temperate loquendi circa divina, ne scilicet vel laedatur cum Arianis *unitas essentiae* inter divinas personas, vel pessumdetur more Sabellianorum *pluralitas* atque *realis distinctio* earum divinarum Personarum.

278. « Tota (*igitur*) haec quaestio, in qua S. Thomas agit de his « quae ad unitatem vel pluralitatem pertinent in divinis, est de *modo* « *loquendi* per *terminos* et *propositiones*, quatuor habens articulos « optimo ordine dispositos. Nam incipiens quasi a communioribus « agit de modo loquendi

« **primo** quoad hoc nomen *Trinitas*, an scilicet convenienter dica- « tur in divinis (*art. 1 h, q.*),

« **secundo** quoad nomina significantia *distinctionem* unius perso- « nae ab alia (*art. 2 h. q.*) ;

« **tertio** quoad *dictionem* vel *dictiones exclusivas* adiunctas termi- « nis *essentialibus*... (*art. 3 h. q.*) ;

« **quarto** et ultimo agit de modo loquendi quoad *dictionem exclu-* « *sivam*, adiunctam termino *personali*... » (*art. 4 h. q.*). Hactenus Nazarius, *Com.* in h. q.

Art. I. Utrum sit Trinitas in divinis.

279. Adverte circa titulum heic non inquiri *utrum sint tres Personae in divinis?* Hoc namque fuit determinatum art. 2 quaest. praecedentis. Sed quod vertitur in dubium est *An hoc nomen* Trinitas *convenienter enuncietur de divinis?*

280. Quamvis autem de *Trinitatis* vocabulo fiat sermo in titulo, in toto articulo tamen eadem quaestio agitatur etiam quantum ad vocabula *Triplex, Multiplex,* sicut ex dicendis fiet manifestum.

281. In eodem titulo adverte rursum τὸ *in divinis* posse intelligi *vel* de Deo *vel* de divinis Personis.

282. Usus nominis *Trinitas,* graece Τριάς, in divinis antiquissimus est in Ecclesia Catholica : etenim

α) S. Theophilus, Epus. Antiochenus ab an. 166 ad an. 182, in Lib. II *ad Autolychum,* n. 15 scribit: «Tres illi dies qui ante lumina« ria fuerunt, imago sunt *Trinitatis* (τῆς Τριάδος, Patris, eius Verbi, « eiusque Sapientiae » (Rouët de Iournel, *Enchir. PP.* n. 180).

β) Origenes etiam circa an. 230 in Lib. IV Περὶ Ἀρχῶν, cap. 4 post memoratos Patrem, Filium et Spiritum Sanctum addit : « Haec « enim sola *Trinitas* est, quae omnem sensum intelligentiae non so« lum temporalis verum etiam aeternalis excedit. Coetera vero quae « sunt extra *Trinitatem,* in saeculis et in temporibus metienda sunt » (Ibid. n. 470).

γ) S. Gregorius Thaumaturgus in *Expositione Fidei* circa ann. 260-270 scribit : « *Trinitas* perfecta, gloria et aeternitate et regno « non divisa, neque abalienata (*est*) : neque creatum quid aut ser« viens in *Trinitate,* neque superinductum, quasi antea non fuisset et « postea supervenisset. Neque ita defuit unquam Filius Patri, neque « Filio Spiritus ; sed invertibilis et immutabilis eadem *Trinitas* sem« per » (Ibid. n. 611). — Similiter

δ) Nomen *Trinitas* videtur a Tertulliano saec. II diffusum in Ecclesia Latina (Cfr. Klée, *Storia dei Dogmi,* P. II, cap. 2). Ipse enim in Lib. *adv. Praxeam,* cap. 2 scribit: «Custodiatur oikonomiae « sacramentum, quae unitatem in *Trinitatem* disponit, tres dirigens « Patrem, et Filium et Spiritum — tres autem non statu sed gradu, « nec substantia sed forma, nec potestate sed specie — unius autem « substantiae et unius status et unius potestatis etc. » (Ibid. n. 371).

ε) S. Augustinus Lib. XII *Confess.* cap. 7, de creatione agens, Deum ita alloquitur : « Aliud praeter Te non erat, unde faceres ea « Deus, una *Trinitas* et trina *Unitas* » (Cfr. Lib. VI *De Trin.,* cap. 7).

ζ) Concilium Bacarense II anno 561, can. 2 definivit : « Si quis « extra Sanctam Trinitatem alia, nescio quae, divinitatis nomina in« troducit, dicens, quod in ipsa divinitate sit *Trinitas Trinitatis,* sicut « Gnostici et Priscillianus dixerunt, anathema sit » (*Enchir.* n. 232).

— Similia habentur in Conc. Toletano XI an. 675 (Cfr. *Enchir.* n. 275), et in Conc. Later. IV an. 1215, Cap. 2 *De Trinitate* (*Enchir.* n. 432), etc.

283. In pacifica possessione vocum *Unitas* ac *Trinitas* fuit Ecclesia Catholica usque ad initia saec. XVI, quando scilicet Lutherus et Calvinus (Cfr. eius Epist. *ad Polonos*) et horum asseclae has voces tamquam incautas et barbaras in sermone theologico damnarunt (Cfr. Knoll, Op. cit. P. II, Sect. II, cap. 5, art. 2, I, § 121, *nota 3.*[a]). Et quidem Calvinus (Loc. cit.) tamquam barbaram reiecit veterem formulam deprecationis, qua dicitur *S. Trinitas, unus Deus, miserere nobis!*

Nec praetereunda est hoc loco foetida blasphemia Lucae Sternberger dicentis *Trinitatem* esse foeminam quae tres habet maritos! (Cfr. Seraph. Capponi, *Append.* in h. a.).

Erravit similiter Hincmarus, qui saec. IX contra Gotheschalcum et Ratramnum Monachum Corbeiensem damnavit tamquam heterodoxam expressionem *Trina Deitas* (Cfr. Hincmarus, *Tract. De non Trina Deitate adv. Gotheschalcum*): unde et vetuit, ne amplius in hymno Ss. Martyrum deinceps caneretur versus: *Te Trina Deitas, unaque poscimus etc.* (Cfr. Nat. Alexander, *Hist. Eccles.*, saecc. IX et X, Disp. V, § 14; et Mabillonius, *Praef.* in saec. IV, cap. II, n. 147).

Omnes demum qui tres Personas in divinis exsistere negant, damnant consequenter usum vocis *Trinitas* in divinis.

284. Ad ostensionem Fidei Catholicae scire praestat quod

α) « hoc nomen *Trinitas* (*graece* ἡ Τριάς) secundum etymologiam « vocabuli videtur significare *unam essentiam trium* personarum, « secundum quod dicitur *Trinitas,* quasi *trium* unitas » (Hic ad 1.m).

β) « Sed secundum proprietatem vocabuli (*sive considerando id ad quod significandum fuit impositum nomen* **Trinitas**) « significat « magis numerum (*certum et determinatum nempe* **ternarium**) Perso- « narum unius divinae essentiae (Hic. ad 1.m): quia hoc idem quod « significat *Pluralitas* indeterminate, significat hoc nomen *Trinitas* « determinate (Hic, o). Unde quantum ad veram nominis significatio- « nem idem significatur cum dicitur *Trinitas,* ac si diceretur *Tres* « *Personae unius essentiae* » (I. *Sent.*, Dist. 24, art. 2 ad 2.m) seu *Tres in unitate* (Cfr. Petavius, Op. cit., Lib. VIII, cap. 9, n. 1).

—Heic accipimus nomen *Trinitatis* in sua *propria* significatione: unde, si fiat

285. Q. I. *Utrum nomen* Trinitas *significet* essentiam *an vero* relationem *in divinis ?*

Respondendum est cum distinctione : videlicet

α) Si *Trinitas* accipiatur synonime ad « *Trium Unitas* » seu ad « *Trium una essentia* » tunc designat *essentiam* in recto, et *relationem* in obliquo (Cfr. n. 229, 2.°).

β) Si autem vox *Trinitas* interpretetur quasi *tres Personae unam essentiam habentes,* tunc exprimit Personas divinas (i. e. relationes — Cfr. Q. XXIX, art. 4) in *recto* et essentiam in *obliquo*.

γ) Et quia posterior significatio et explicatio vocis *Trinitas* est magis consentanea usui theologorum, propterea *melius* dicitur quod *Trinitas* in divinis importet *relationes* in recto, et *essentiam* in obliquo (Cfr. I. *Sent.* art. cit., o.).

δ) Complete tamen accepta vox *Trinitas* significat numerum ternarium divinarum Personarum (Cfr. hic ad 3.m et ad 5.m).

286. Sit nunc

Conclusio. *Dum loquimur de Deo, convenienter utimur nomine* **Trinitatis.**

Nota. Est communis inter Doctores.

Prob. 1.° *Ex auctoritate.* De divinis mysteriis nemo convenientius loquitur quam sermonibus Ss. Patrum et Ecclesiae Catholicae. Quum ergo Ecclesia Catholica post Ss. Patres (Cfr. n. 282) usa sit nomine Trinitatis in divinis, propterea nos dum loquimur etc. (Cfr. hic *Sed Cont.*).

2.° *Ratione theologica.* Quoties loquimur de certo ac determinato numero Personarum, convenienter utimur nomine talem numerum significante. At in Deo adest ternarius numerus Personarum ; et rursum hunc numerum significat vox **Trinitas.** Ergo, dum loquimur etc. (Hic, o, et loc. cit.).

Confirmatur. « Sicut... ponitur pluralitas Personarum in divinis « (*ex eo quod sunt ibi plures Personae*), ita utendum est nomine « **Trinitatis,** quia hoc idem quod significat *pluralitas* indeterminate, « significat hoc nomen **Trinitas** determinate » (Hic, o).

287. **Corollaria.** 1.° Si igitur hoc nomen *Trinitas* secundum proprietatem vocabuli significat *determinatum,* videlicet, ternarium numerum Personarum unius essentiae divinae, « propter hoc non « possumus dicere quod *Pater* sit *Trinitas,* quia (*Pater*) non est *tres* « *personae* » (Hic ad 1.m). Et ex eadem causa neque potest dici

quod *Verbum Dei* sit *Trinitas,* vel quod *Spiritus Sanctus* sit *Trinitas* etc.

2.° E contra recte dici potest *Deus* est *Trinitas,* aut *Deus unus* est *Trinitas,* ut patet ex symbolo Fidei quod habetur in Conc. Toletano XI (Cfr. *Enchir.,* n. 278), quia sensus harum propositionum est iste *Deus* est *Trinitas:* quod verissimum est (Cfr. Q. XXXIX, artts. 2-3).

288. Movetur autem hoc loco

Q. II. *Utrum vere possit dici* **Deitas** est **Trinitas.**

R. α) Ex Q. III, art. 3 scimus quod *Deus* est realiter idem ac *sua Deitas.* Unde, quemadmodum vera est haec *Deus* est *Trinitas,* ita etiam haec est vera *Deitas* est *Trinitas,* quia significat essentiam *Deitatis* esse identicam cum *tribus Personis divinis.*

β) At si propositio *Deitas* est *Trinitas* intelligatur ad mentem Arianorum et Polytheistarum, quasi scilicet in divinis sit realis distinctio in *essentialibus* quemadmodum et realis distinctio invenitur inter *tres divinas Personas,* reiicienda est tamquam haeretica. Unde in Concilio I Bracarensi, can. 2 legitur: « Si quis extra Sanctam « Trinitatem alia, nescio quae, Divinitatis nomina introducit, dicens « quod in ipsa Divinitate sit Trinitas Trinitatis, sicut Gnostici et « Priscillianus dixerunt, anatema sit » (*Enchir.* n. 232). — Sequitur

289. Q. III. *An dici possit* **In Deo** est **Trinitas?**

R. α) Haec propositio *In Deo* est *Trinitas,* si intelligatur ut sit sensus *In Deo* sunt *tres Personae,* procul dubio catholica veritas est.

β) Si autem intelligatur ita ut sit sensus *In Deitate* sunt *tres Essentiae,* tunc reiicienda est tamquam haeresis Ariana. Et propter hoc Conc. Toletanum XI in laudato Fidei symbolo dicit: « Nec recte « dici potest ut *in uno Deo* sit *Trinitas,* sed *unus Deus Trinitas* » (*Enchir.* n. 278). — Exinde

290. **Inferes.** « Cum ergo dicimus **Trinitatem** in **Unitate,** non « ponimus numerum in *unitate essendi,* quasi sit **ter una,** sed *Perso-* « *nas numeratas* ponimus in *unitate naturae,* sicut *supposita* alicuius « naturae dicuntur esse *in natura* illa. — E contra dicimus **Unitatem** « in **Trinitate,** sicut *natura* dicitur esse in *suis suppositis* » (Hic ad 4.m). — Adhuc

291. Q. IV. *Utrum dici possit* **Trinitas** *est* **Trina,** *aut* **Deitas** est **Trina?**

R. In Deo abstractum et concretum sunt *realiter* identica (Cfr.

Q. III, art. 3): unde *Deus* est *Deitas, Deus* est *Paternitas, Pater* est *sua Paternitas,* etc. sunt propositiones verae in bona theologia.

α) Sciendum est tamen quod vox «*Trina*» seu «*Trinitas*» non significat *complete* et *proprie* nec essentiam neque relationem sed ternarium *numerum* Personarum (Cfr. n. 285). Si ergo dicatur quod *Trinitas* sit *Trina,* sensus est quod *Tres divinae Personae* sunt *Trinae,* sive quod *unaquaelibet divina Persona* habeat *tria supposita* in quibus subsistat: quemadmodum ex eo quod dicitur *Deus* est *Trinus,* significatur quod Deus habeat tres Personas in quibus subsistit. Quod est haeresis inducens in Deo novem Personas.

β) At, quia, ut dictum est, *Deus* idem est ac *Deitas,* quemadmodum verum est *Deus* est *Trinus,* ita haec est etiam vera *Deitas* est *Trina* (Cfr. hic ad 5.m). — Sit nunc

292. Q. V. *An dici possit* **Deus** est **Triplex?**

R. *Negative.* α) Etenim in laudato Conc. Toletano XI legitur «Haec est Sanctae Trinitatis relata narratio, quae non **Triplex** sed «**Trinitas** dici et credi debet» (*Enchir.* n. 278).

β) Et suadetur haec veritas ratione. Equidem «**Trinitas** absolu-«te, *i. e. absque ulla comparatione per modum* aequalitatis *vel* inae-«qualitatis, (dicitur: significat enim ternarium numerum Personarum. «Sed **Triplicitas** significat proportionem inaequalitatis (*quia, ut di-«cit Durandus in* I. *Sent.* Dist. XIX, *in illis rebus adest* Triplicitas, «*in quibus* **tria** excedunt **unum**): est enim species proportionis «inaequalis; sicut patet per Boëthium in arithmetica Lib. I, cap. 3. Et ideo (*quum in Deo nec* compositio — Cfr. Q. III, art. 7 — *nec ali-«qua* inaequalitas — Cfr. Q. XLII — *quantum ad magnitudinem inve-«niatur* non est in Deo **Triplicitas** sed **Trinitas**» (Hic ad 3.m — Cfr. S. Bonaventura in I. *Sent.* Dist. XXIV). Unde S. Augustinus Lib. VI *De Trin.* cap. 1 inquit: «Nec quoniam *Trinitas* est, ideo «*Triplex* putandus est: alioquin minor erit *Pater* solus aut *Filius* «solus, quam **simul** Pater et Filius». — Breviter *Trinus* importat solummodo ternarium numerum, nulla mentione facta de horum trium *compositione* in aliquod *unum.* E contra *Triplex,* quasi triplicatum idest *ter plicatum* in seipsum, importat compositionem *plurium in unum.* Unde «cum in Divinitate sint tres numero hypostases, di-«citur iure merito *Deus Trinus:* et e contra cum inter divinitatem et «personas nulla sit compositio, nefas est dicere *Deus Triplex*»

(Berti, O. cit., Lib. IX, cap. ult., n. 12 — Cfr. Petavius, Lib. VIII *De Trin.* cap. 9; item Thomas ex Charmes *De Deo Trino,* Diss. III, capp. 1-3).

γ) Patet autem ex dictis, quod, quemadmodum dici nequit *Deus Triplex,* ita nec *Deus Multiplex.*

293. **Nota.** Haec sint dicta quantum ad castigatiorem modum loquendi in theologia. « Si qui vero in Scriptoribus Ecclesiasticis « subinde inveniantur usi isto nomine « *Triplex* » cum de divinis ser- « mo erat, commode exponi possunt, ut **triplex** pro **trino** dixerint. « Quod tamen vocabulum « *Trinus* » etiam Scholae Christianae pro- « prium est, significatque idem quod habens tria supposita unius « essentiae » (Sylvius, *Com.* in h. a.).

Art II. Utrum Filius sit alius a Patre.

294. « Quaeritur hic num vera sit et congrua haec propositio « *Filius est* alius *a Patre* secundum propriam illius dictionis **alius** « intelligentiam ; ut hic etiam observat Caietanus. Adverte tamen « intentionem S. D. esse quaerere de aliis etiam vocibus distinctio- « nem vel unitatem bene aut male significantibus in divinis : ut patet « ex littera » (Nazarius, *Com.* in h. a.) totius articuli.

295. Pronomen vero τὸ *alius* est partitivum designans distinctionem *realem* unius ab aliis *eiusdem naturae* : ita in humanis Petrus est *alius* a Francisco, a Paulo, etc.

296. Ex opposito τὸ *alter* designat distinctionem realem *unius* ab *aliis* **diversae naturae,** unde valet idem ac **diversus.** Et propter hoc *hortulanus* non dicitur **alius** ab *asino,* sed **alter,** quia ab isto est diversus in natura.

297. Resolvit Angelicus quaesitum h. a. uberius exhibendo regulas generales, secundum quas uti debemus *nominibus, pronominibus* et *adiectivis,* quoties loquimur de *una Persona* S.mae Trinitatis per comparationem ad *alias.* « Oportet (*enim*) in his quae de Trini- « tate loquimur duos errores oppositos cavere, temperate inter « utrumque procedentes, scilicet errorem Arii qui posuit cum Trini- « tate *Personarum* Trinitatem *substantiarum;* et errorem Sabellii qui « posuit cum unitate *essentiae* unitatem *Personae* » (Hic, o).

298. Ea propter circa terminos **Nomen, Pronomen** et **Adiectivum** debemus considerare **tria,** nempe

1.° Genus grammaticale (Cfr. n. seq.),

2.° Maiorem vel Minorem amplitudinem significationis istorum terminorum (Cfr. n. 300); et

3.° Ipsam rem significatam per tales terminos (Cfr. n. 301).

299. Considerando terminos quantum ad *Genus Grammaticale,* advertendum est (Cfr. Ianssens, *Com.* in h. a. § *Quaeres 1.°*) apud nos Latinos « quod neutrum genus est informe (*i. e. indeterminatum* « *et confusum*), masculinum autem est formatum et distinctum; et « similiter foemininum » (Hic ad 4.m). — Atqui in divinis *essentia* se habet tamquam elementum *commune* tribus Personis; dum unaquaeque istarum se habet ut *res* per proprietatem relativam *distincta* a duabus aliis. — Et ideo

Reg. I.ª In divinis « convenienter per *neutrum* genus significa- « tur essentia (*divina quae tribus Personis est*) communis; per (*ge-* « *nus*) *masculinum* autem et *foemininum* (*significatur convenienter*) « aliquod Suppositum (*seu Persona divina, quae est aliquid distin-* « *ctum et*) determinatum in communi natura (*Deitatis*). — Unde etiam « in rebus humanis si quaeratur **Quis** est iste? respondetur *Socra-* « *tes,* quod nomen est Suppositi. Si autem quaeratur **Quid** est iste? « respondetur *Animal Rationale et Mortale.* — Et ideo, quia in divi- « nis distinctio est secundum Personas, non autem secundum essen- « tiam, dicimus, quod Pater est **alius** (*videlicet distinctus personali-* « *ter*) a Filio, sed non (*dicimus quod Pater est*) **aliud** (*videlicet di-* « *stinctus quantum ad essentiam a Filio*): et e converso dicimus, « quod (*Pater et Filius*) sunt **unum** (*quantum ad essentiam)* sed non « **unus** (*quantum ad personas*) » Hic ad 4.m — Simili modo, quia terminus **idem** est ancipitis generis, propterea, si τὸ **idem** accipiatur *masculine,* haec propositio *Filius est* idem (**masculine**) cum *Patre,* quia ponit identitatem inter Personas Patris et Filii, reiicienda est tamquam Sabelliana haeresis: e contra vera est phrasis *Filius* non est idem (**masculine**) cum *Patre.* — Si autem τὸ **idem** accipiatur *neutraliter,* propositio haec *Filius* est idem (**neutraliter**) cum *Patre* est vera, quia significat identitatem naturae inter Patrem et Filium. Haec vero *Filius* non est idem (**neutraliter**) cum *Patre* reiicienda est tamquam Ariana perfidia.

300. Quod attinet ad *nomina, pronomina* et *adiectiva,* conside-

rando unumquodque eorum quantum ad amplitudinem propriae significationis, secundum quam amplitudinem *nomina* (et idem dicito de *pronomine* et de *adiectivo*) quaedam sunt transcendentia, uti *Ens, Verum, Bonum* etc.; alia vero sunt communia, uti *Substantia, Vivens, Sapiens* etc.; alia demum sunt magis particularia, uti *Paternitas, Relatio* etc., sequens adhibenda est

Reg. II.[a] Loquendo de divinis, nomina *communia,* et a fortiori *transcendentalia,* adhibentur convenienter ad significandum divinam essentiam quae, veraciter eadem *numero* exsistens, est communis tribus divinis Personis et transcendit omnem distinctionis notam, nec capitur aliquo numero, sicut docuit Concil. Tolet. XI (*Enchir.*, n. 281). E contra nomina *particularia*, et multo magis *singularia*, sunt caeteris aliis aptiora ad significandas *Personas divinas,* quae invicem realiter distinguuntur per proprietates *relativas Personales.* Unde, loquendo de distinctione mutua divinarum Personarum, dici non potest: *Pater* et *Filius* distinguuntur *Bonitate* aut *Sapientia* aut *Deitate;* quia haec tria *Bonitas, Sapientia* et *Deitas* sunt nomina *communia* in S.ma Trinitate. E contra, quia *Relatio, Paternitas* etc. sunt nomina magis personalia, ideo potest dici quod *Pater* et *Filius* distinguantur *Relatione* aut *Paternitate,* etc.

301. Quod, si considerentur nomina ex parte *rei* quam significat, usus eorum est moderandus ita, ut vitetur omnis error tum Arii qui unitatem essentiae inter tres divinas Personas negavit, tum Sabellii qui realem pluralitatem inter easdem divinas Personas abiecit.

A) Iamvero errores Arii ad quatuor capita reduci commode possunt. Equidem ipse negavit

1.° *unitatem* essentiae inter divinas Personas; indeque

2.° *simplicitatem* eiusdem essentiae; exinde

3.° *aequalitatem* divinarum Personarum; et

4.° *similitudinem* earumdem Personarum in attributis absolutis.

« Unde contra Arium quatuor ponit Ecclesia (*in Deo*):

« **Primo** scilicet *essentiae unitatem;* et ex hoc confitetur Deum « *unum* et negat *diversum* » (I. *Sent.* Dist. XXIV, Q. II, art. 1, o). Et ob hanc causam « vitare debemus in divinis nomen « *diversitatis,* « et *differentiae* ne tollatur *unitas* essentiae. Possumus autem uti « nomine *distinctionis* propter oppositionem relativam » (Hic, o).

« **Secundo** (*ponit Ecclesia in Deo*) essentiae divinae *simplicitatem,* « et ideo confitetur (*Deum*) *simplicem* et negat *multiplicitatem* vel

« *divisionem* quae ponit rationem *totius* et *partis* quae (*ratio*) sim-« plicitati adversatur ; et similiter (*negat in Deo*) separationem » « (I. *Sent.* loc. cit.). Ne (*igitur a Deo*) tollatur simplicitas divinae « essentiae, vitandum est nomen *separationis* et *divisionis* quae est « totius in partes » (Hic, o).

« **Tertio** ponit similitudinem (*inter divinas Personas*) in natura « Deitatis, prout haec significatur ut *forma* quaedam : et ideo prae-« dicat Filium *similem* Patri et negat *alienum,* quia *alienum* dicitur quod est *extraneum* a natura alicuius » (I. *Sent.,* loc. cit.). Ac propterea « ne tollatur similitudo (*inter divinas Personas*), vitandum est « nomen *alieni et discrepantis.* Dicit enim Ambrosius in Lib. I. *De* « *Fide,* cap. 2 quod *in Patre et Filio non est discrepans sed una di-*« *vinitas.* Et secundum Hilarium, ut dictum est, in Lib. VII *De Trini-*« *tate,* n. 39, *in* divinis nihil est separabile » (Hic, o).

« **Quarto** ponit indivisam virtutem et magnitudinem trium Perso-« sonarum, et ideo ponit *aequalem* et negat *disparem* vel *inaequa-*« *lem* » (I. *Sent.,* loc. cit.). Unde « ne tollatur *aequalitas* inter divinas « Personas, vitandum est nomen *disparitatis* » (Hic, o), et multo magis nomina *inaequalitatis,* aut *inferioritatis,* etc.

B) Similiter ad *quatuor* suprema capita reducuntur haeretica dogmata Sabellianorum, quoniam negabant inter divinas Personas inveniri

1.° *communicabilitatem divinae naturae,*
2.° *numerum realem Personarum,*
3.° *ordinem naturae et processionum inter ipsas,* et
4.° *consortium earumdem Personarum in Deo.*

Et ad hos errores evitandos Ecclesia « similiter contra Sabellium « *quatuor* ponit:

« **Primo** naturae (*divinae*) *communicationem* pluribus Suppositis, « et ideo praedicat pluralitatem (*Personarum*) et excludit *singularita-*« *tem* » (I. *Sent.,* loc. cit.) Personae in Deo. Et propter hoc « ad vi-« tandum errorem Sabellii vitare debemus *singularitatem,* ne tollatur « communicabilitas essentiae divinae. Unde Hilarius dicit (Lib. VII « *De Trinit.,* n. 39) *Patrem et Filium* **singularem** *Deum praedicare* « *sacrilegum est* » (Hic, o).

« **Secundo** ponit (*eadem Ecclesia*) quod ista pluralitas (*divinarum* « *Personarum*) non est tantum *rationis* sed etiam *rei,* quia sunt *tres* « *res.* Et ideo praedicat *discretionem* et excludit *unicum* (I. *Sent.,*

« loc. cit.) Debemus (*proinde*) vitare nomen *unici,* ne tollatur *nume-*« *rus* Personarum. Unde Hilarius in eodem Libro, n. 38, dicit quod « *a Deo excluditur* **singularitas** *atque* **unici** *intelligentia.* — Dicimus « tamen *unicum Filium* quia non sunt plures filii in divinis. Neque « tamen dicimus *unicum Deum,* quia pluribus Deitas est communis » (Hic, o).

« **Tertio** ponit in istis rebus personalibus esse *ordinem originis.* « Et ideo praedicat *discretionem* quae ordinem quemdam importat « et excludit confusionem (I. *Sent.,* loc. cit.). Vitamus (*propterea*) « etiam nomen *confusi,* ne tollatur ordo naturae a Personis. Unde « Ambrosius dicit Lib. I. *De Fide,* cap. 2: *Neque confusum est, ne-*« *que multiplex esse potest quod indifferens est* » (Hic, o).

« **Quarto** (*Ecclesia*) ponit tres Personas unitas societate quadam « Amoris qui est *Spiritus Sanctus.* Et ideo praedicat *consonantiam,* « ut patet ex Hilario (Lib. *De Synodis,* ante medium), et excludit « *solitudinem* » (I. *Sent.,* loc. cit.). Unde circa divina « vitandum est « etiam nomen *Solitarius,* ne tollatur consortium trium Personarum. « Dicit enim Hilarius in Lib. IV. *De Trinit.,* n. 18: *Nobis neque* **soli-**« **tarius** *neque* **diversus** *Deus est confitendus* » (Hic, o — Cfr. Q. IX *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 8, o).

302. **Scholia.** 1.° Hae sunt regulae respicientes usum terminorum praedicatorum, quando nullo alio termino adiuncto determinantur. Potest tamen contingere, quod terminus aliquis ex praedictis per adiuncta mutet significationem, reddatque propositionem ex catholica haereticam, aut viceversa. Ex. gr. « Etsi absque ullo addito, « recte (*ut mox ostendemus*) dicamus quod *Filius est* alius *a Patre,* « si tamen quidpiam addatur (*ad* τὸ **alius**) trahens significationem « (τοῦ **alius**) ad diversitatem essentialem, propositio est falsa: veluti « si dicatur quod *Filius sit* alius **Deus,** alius **Creator,** alius **Guber-**« **nator** *a Patre.* Et vice versa, quamvis non possit dici quod *Pater* « *et Filius sunt* **unus,** si tamen aliquid addatur trahens significatio-« nem (τοῦ **unus**) ad unitatem essentiae, propositio erit vera, velu-« ti si dicatur *Pater et Filius sunt* **unus** Deus, **unus** Creator, **unus** « Gubernator » (Sylvius, *Com.* in h. a.).

2.° Praedictae item regulae debent intelligi, quoties est sermo de vocibus in rigorosa earum significatione acceptis: at recedendum est nonnumquam ab hac rigorosa interpretatione, ne incusetur aliquis Sanctus de haeresi. « Unde, sicubi in aliqua Scriptura au-

« thentica (*i. e. auctoritatem faciente*) diversitas vel differentia Per-« sonarum invenitur (*memorata*), sumitur **diversitas** vel **differentia** « pro *distinctione* » (Hic, o — Cfr. ad 2.m). — Et similiter, quum Ecclesia in hymno Dedicationis Ecclesiae dicat de Deo

Trinum Deum **unicumque** *cum fervore praedicat,*

« improprie accipitur *unicus* pro *uno :* et ita glossandae sunt omnes « auctoritates tales, in quibus aliquod praedictorum ponitur » (I. *Sent.* loc. cit. ad 5.m).

303. His igitur praenotatis, statuitur

Conclusio. *Convenienter dicimus* Filius est **alius** a Patre ; *negamus autem* Filius est **aliud** a Patre.

Nota. Est Fidei dogma.

Prob. 1.° *Ex Evangelio.* Christus siquidem ait (Ioan. XIV, 16) : « Rogabo Patrem, et **alium** Paraclitum dabit vobis » : et ibid. X, 30 « Ego et Pater **unum** sumus ». — Ergo in Deo est **alius ;** non autem **aliud** sed **unum.** Consequenter loquendo de divinis, dicimus convenienter, quod Filius est etc.

2.° *Ex symbolis Fidei Catholicae. A*) Symbolum, quod vulgo Athanasio tribuitur, sic praedicat de Deo : « *Alia* est *Persona* Pa-« tris, **alia** Filii, **alia** Spiritus Sancti : sed Patris et Filii et Spiritus «Sancti **una** est **divinitas** etc. ».

B) Adhuc Concilium Toletanum XVI in professione Fidei Christianae ita loquitur : « **Alius** est Pater qui refertur ad Filium ; **alius** « Filius qui refertur ad Patrem ; **alius** Spiritus Sanctus qui pro eo « quod de Patre Filioque procedit, ad Patrem Filiumque refertur : « non **aliud** sed **alius** quia quibus est **unum esse** in Deitatis natura, « his est in Personarum distinctione *specialis proprietas* » (*Enchir.,* n. 296).

C) Denique Conc. Later. IV in cap. *Damnamus* ita definivit : « Licet **alius** sit Pater, **alius** Filius, **alius** Spiritus Sanctus, **non** ta-« men **aliud ;** sed id **quod** est Pater, est Filius et Spiritus Sanctus, « **idem omnino,** ut secundum orthodoxam et catholicam Fidem *con-« substantiales* esse credantur » (*Enchir.* n. 432)

3.° *Ratione theologica.* α) Τὸ *alius* quia est generis *masculini* significat *Personam* (Cfr. n. 299) ; et, quia est pronomen *partitivum,* est aptissimum ad indicandum *distinctionem* circa divinas Personas : unde in summa τὸ *alius* est aptissimum ad significandum Personam *ab aliis* distinctam. — Atqui in S.ma Trinitate Filius est persona a

Deo Patre realiter distincta. — Ergo recte, de Deo loquendo, dicimus, quod Filius est **alius** a Patre.

β) E contra τὸ **aliud,** quia est generis *neutri,* significat *essentiam* vel *substantiam ;* et quia est nomen *partitivum,* significat *distinctionem:* unde τὸ *aliud* est terminus aptissimus ad significandum *distinctionem* vel *separationem* plurium quantum ad eorum *essentias.* — Atqui in Sma. Trinitate *essentia* vel *substantia* est *communis* tribus divinis Personis. — Ergo falsa est et Ariana haeresis affirmare quod Filius est **aliud** a Patre, etc. Cfr. hic, o ; item loc. cit. ; et Opusc. XXIV (*al.* 19).

Art. III. Utrum dictio exclusiva **solus** sit addenda termino essentiali in divinis.

304. Pro intelligentia tituli recolendum est ex art. 4 Q. XXIX terminum *essentialem* in divinis vocari illum qui significat *essentiam* vel attributum aliquod *absolutum* Dei, utputa *Deus, Deitas, Vivens, Sapiens, Bonum,* etc.

305. Consideratur autem heic terminus *essentialis* duobus modis: **primo** quidem secundum *se,* i. e. seorsim a propositione; **secundo** autem quatenus est *subiectum* alicuius propositionis. — Res facilis.

306. Praeterea, quamvis in titulo fiat sermo de particula **solus,** in corpore tamen articuli fit etiam quaestio de particulis *exceptivis* puta **tantum, solummodo, dumtaxat,** etc.

307. Rursum monente Aristotele (Lib. II. *Elench.* cap. 3) **solus** *est ille qui cum alio* eiusdem naturae *non est.* « Non enim tollitur « similitudo per associationem alicuius quod est extraneum naturae: « dicitur enim aliquis **solus** in horto, quamvis sint ibi multae *plantae* « et *animalia.* — Et similiter diceretur Deus esse **solus,** vel **solita-** « **rius,** Angelis et hominibus cum Eo exsistentibus, si non sint in « divinis **Personae plures** » (Hic ad 1.m).

308. Recolendum est ulterius ex dialectica, quod unus terminus potest alteri *adiungi* duplici modo, videlicet *categorematice* (i. e. significative a graeco Κατηγορέω), aut *syncategorematice* (i. e. consignificative a τῷ σὺν = *cum,* et Κατηγορέω = *significo*).

α) Unus terminus adiungitur *categorematice* ad alium terminum,

quando applicat propriam significationem super hunc alium terminum tamquam eius *immediatum* subiectum. Ita, quoniam, dicendo **Homo albus,** τὸ *albus* applicat propriam significationem super τὸ *Homo,* propterea adiungitur categorematice ad τὸ Homo.

β) Unus terminus adiungitur *syncategorematice* ad alios terminos, quando applicat propriam significationem supra *connexionem* istorum terminorum (quorum unum *subiicitur* alteri), et veluti qualificat non significationem *unius* aut *alterius* termini sed ipsam *unionem* talium terminorum. Ex. gr. quando dico Petrus est **per se** Animal, τὸ **per se** applicat propriam significationem non quidem supra *Petrum* seorsim a τῷ Animal, neque supra *Animal* seorsim a τῷ Petrus, sed supra convenientiam et connexionem praedicati quod est *Animal* cum subiecto quod est *Petrus;* et propter hanc causam τὸ **per se** adiungitur *syncategorematice* in illa propositione (Cfr. hic, o).

309. Applicando hucusque dicta ad terminum **solus,** sequitur quod vox ista potest accipi vel ut dictio *categorematica* vel uti dictio *syncategorematica.*

α) Si τὸ *solus* accipiatur *categorematice* valet idem ac **solitarius,** et ponit solitudinem circa terminum, quem immediate afficit. Ita cum dico *Adam* **solus,** aut **solus** *Adam,* significatur Adam tamquam *solitarius* seu *sine consortio* alterius hominis.

β) Si autem τὸ *solus* accipiatur *syncategorematice,* tunc qualificat *connexionem* terminorum quam afficit, ponendo videlicet **solitudinem** et **exclusivitatem** circa talem connexionem; aliis verbis, enuntiat *unum* terminum ita connecti cum *altero,* ut cum nullo alio tertio termino possit connecti. Ex. gr. quando dico **Solus** *Adam est Sapiens,* significo sapientiam convenire Adamo et nulli alteri.

310. His praesuppositis, statuitur

Conclusio I. Τὸ **solus** *non potest tamquam* dictio categorematica *applicari super terminum aliquem* essentialem *Dei.*

Nota. Est communis inter Thomistas.

Prob. *Ratione theologica.* Τὸ **solus,** quando est dictio categorematica, ponit solitudinem super terminum quem afficit, seu excludit alios a consortio eiusdem naturae termini quem afficit. Est notio quaedam superius n. praec. data.

Unde si τὸ **solus,** *categorematice* acceptum, adiungatur alicui termino Dei essentiali, tunc

si iste terminus sit **Deus,** utputa dicendo **Deus solus,** habemus,

quod τὸ **solus,** ponat solitudinem circa Deum, quasi in Deo non sint plures Personae;

si autem terminus cui adiungitur τὸ **solus,** fuerit aliquid attributum Dei absolutum (Cfr. n. 304), ex. gr. *Sapientia,* aut *Bonitas,* etc. utputa dicendo, **Dei Sapientia sola,** vel **Dei Bonitas sola,** etc., tunc significat quod illud Dei attributum sit dissociatum a coeteris aliis in Deo.

Atqui nec *Deus* est dissociatus a *consortio divinarum Personarum,* neque *aliquod Dei attributum* est dissociatum a *coeteris aliis Dei attributis:* constat.

Ergo τὸ **solus** non potest tamquam dictio categorematica applicari logice super terminum aliquem *essentialem* Dei. Q. E. D. (Hic, o).

311. **Conclusio II.** *Particula* **solus** *potest* (Cfr. n. 312) *adiungi tamquam* dictio syncategorematica *termino* essentiali *in divinis.*

Nota. Est doctrina catholica.

Prob. 1.° *Ex auctoritate. A*) In S. Scriptura habentur propositiones istae: «Dominus **solus** dux eius (*i. e. Moysis*) fuit» (Deuter. XXXII, 12); item «Deus **solus** iustificabitur» (Eccl. XVIII, 1); item «**soli** Deo honor et gloria» (I. Tim. I, 17).

B) In Concil. Later. IV, cap. *Firmiter* legitur: «Firmiter credimus, et simpliciter confitemur, quod unus **solus** est verus Deus etc.» (*Enchir.,* n. 428).

C) Tandem Concil. Vaticanum Sess. III, cap. 1 § *De Deo, rerum omnium Creatore* inquit: «Hic **solus** verus Deus ...liberrimo consilio... utramque de nihilo condidit creaturam etc.» (*Enchir.* n. 1783).

Ex quibus omnibus auctoritatibus apparet nos posse uti particula **solus** ad instar dictionis *syncategorematicae* in unione cum termino essentiali in divinis.

2.° *Ratione theologica.* Quando particula **solus** adiungitur tamquam dictio *syncategorematica* termino essentiali in divinis, enuntiatur quod praedicatum propositionis non convenit alteri subiecto diversae naturae: ita ex. gr. quando dico **Solus** *Deus* est *infinitus,* significo infinitatem convenire Deo, et disconvenire subiectis a Deo *diversis.* Patet hoc ex dialectica.

Atqui huiusmodi affirmationes possunt esse verae; sicut ex inducto exemplo apparet.

Ergo particula **solus** potest etc. (Hic, o).

312. **Scholium.** Adverte quod in *secunda* conclusione dicitur **potest.** Hoc verbum denotat propositionem, in qua termino essentiali in divinis coniungitur τὸ **solus** tamquam particula *syncategorematica,* quandoque esse veram et quandoque falsam.

Ad sciendum autem *practice* quandonam talis propositio sit vera et quandonam falsa, notandum est, quod « haec dictio **solus,** cum « sit nomen privans consortium, est determinatio eius cum quo *con-* « *sortium* potest haberi. — Habetur autem consortium cum eo cui ali- « quid convenit: et hoc significatur ut *subiectum.* Unde (*dictio* **solus**) « proprie est dispositio subiecti (*i. e. termini qui se habeat tamquam* « *subiectum*)... Quamvis enim ly **solus** sit dispositio subiecti, non « tamen oportet quod addatur semper ad subiectum (*propositionis*), « quia illud etiam quod in praedicato ponitur, potest significari (*tam-* « *quam subiectum*) suppositum alicui naturae vel proprietati: ratione « cuius potest ab eo privari consortium; ut si diceretur *Socrates est* « **solus** *homo sedens* » (I. *Sent.,* Dist. XXI, Q. II, art. 1, o) — Cfr. hic ad 2.m). — Breviter itaque τὸ **solus** potest poni *semper* ex parte subiecti propositionis, quia in propositionibus Subiectum supponit *materialiter.* E converso, quia praedicatum in propositionibus supponit *formaliter,* τὸ **solus** non potest adiungi praedicato propositionis, *nisi forte* praedicatum hoc possit fungi munere subiecti seu significetur nomine concreto et tamquam subsistente.

Quo notato, en regulae ad practice discernendum quandonam huiusmodi propositiones sint verae et quandonam sint falsae.

Reg. I. Si τὸ **solus,** iunctum cum termino **essentiali** Dei, stet loco subiecti, et praedicatum propositionis convenit quidem illi termino, sed non aliis, *propositio illa* est *vera;* secus, erit *falsa.* — Ex. gr. propositio ista **Solus** *Deus* est *Pater Aeternus* est propositio *vera,* quia *Paternitas Aeterna* non convenit nisi *Deo Patri:* e contra propositio **Solus** *Deus* est *Pater* est *falsa* quia Paternitas convenit non solum Deo sed etiam Hominibus et Brutis. Patet.

Reg. II. Si τὸ **solus** stet loco **praedicati** in propositione affirmativa, dum terminus *essentialis* Dei stet loco **Subiecti** in eadem propositione, propositio est *falsa.* Ex. gr. propositio haec *Deus* est **solus** reiicienda est tamquam Sabelliana. Patet.

Reg. III. Si τὸ **solus,** iunctum cum aliquo termino communi, stet loco **praedicati** in propositione affirmativa, dum ex parte **Subiecti** stet terminus *essentialis* Dei, propositio est *falsa.* Ex. gr.

propositio *Deus* est **sola** *veritas,* vel *Deus* est **solus** *Sapiens*, sunt falsae, quia faciunt hunc sensum: *Deus* est **veritas** *solitaria,* vel *Deus* est *Sapiens* **solitarius.**

Reg. IV. Si τὸ **solus,** iunctum cum termino *essentiali* **Deus**, stet loco **praedicati** in propositione affirmativa, dum ex parte **subiecti** stet nomen Dei *personale,* propositio erit *falsa.* Ex. gr. si dicerem: *Pater* est **solus** *Deus* sive *Deus* **solus,** quia enuntiat Patrem non habere consortium aliarum divinarum Personarum, est haeresis Sabellii.

Art. IV. Utrum dictio exclusiva possit adiungi termino personali.

313. Ex memorato art. 4 Q. XXIX scimus quod in divinis terminus *personalis* est ille qui significat *personam unam* aut *plures divinas personas;* puta *Pater, Filius, Spiritus Sanctus, Genitor; Genitus, Procedens* etc.

314. Nomine autem dictionis, seu particulae, *exclusivae* intelliguntur particulae **solus, solummodo, tantum,** etc.

315. Et istae particulae possunt accipi *categorematice* vel *syncategorematice,* prouti n.° 309 expositum fuit.

316. Sensus quaesiti est iste: Utrum **vera** sit propositio *affirmativa* in qua loco subiecti stet τὸ **solus** cum uno praedictorum nominum *personalium,* et ex parte praedicati stet aliquod nomen *absolutum* seu *essentiale* Dei?—Ex. gr. quaeritur: *An hae propositiones*: **Solus** Pater est Deus, *vel* **Solus** Filius Dei est Creator, *vel* **Solus** Pater et **solus** Filius sunt sapientes etc. *sint verae.*

317. Ad quaesiti solutionem reminiscendum est ex logica, quod propositio, cuius subiectum afficitur particula exclusiva **solus, a, um,** vocatur *exclusivi subiecti,* et habet duas propositiones exponentes. Ex. gr. propositio ista: **Solus** *Socrates currit*, exponitur in istas duas, videlicet: *Socrates currit,* et *nullus alius a Socrate currit.*

318. Iterum recolendum est, quod *Subiectum* in propositione *affirmativa* sumitur, in *rigore logico,* **materialiter** videlicet pro *supposito; minus proprie* autem potest accipi pro *natura* quae invenitur in illo *supposito.*

319. His positis, animadverte quod in propositione **Solus** *Pater* est *Deus*

A) τὸ **solus** potest accipi **categorematice,** et tunc illa propositio est falsa, quia significat, quod *Pater* **solitarius** est *Deus;* qui sensus tollit Trinitatem Personarum in Deo;

B) si autem τὸ **solus** in illa propositione accipiatur **syncategorematice** tamquam particula exclusivi subiecti, tunc vel subiectum accipitur in rigore *logico* et *materialiter,* vel accipitur *improprie* et *formaliter.*

α) Si subiectum accipitur in *rigore logico* et *materialiter,* videlicet tamquam *Suppositum* habens formam designatam a nomine subiecti, tunc *propositio* erit *falsa;* quoniam facit hunc sensum: *Persona* **habens** Paternitatem divinam *est Deus,* et *omnis alia Persona* **quae non habet** Paternitatem divinam *non est Deus;* quae **complexio** propositionum est Ariana haeresis.

β) Si vero subiectum propositionis, affectum particula **solus,** accipiatur *improprie* et *formaliter,* tunc *propositio illa affirmativa* erit *vera.* Ita ex. gr. propositio **Solus** *Pater coelestis* est *Deus* (quando τὸ *Pater* sumitur *improprie* et *formaliter* pro divina natura) habet hunc sensum **Natura** *Patris coelestis* est *Deus,* et *omnis alia natura* **diversa** *a natura Patris coelestis* non est *Deus:* quae propositionum complexio procul dubio verissima est.

320. **Corollarium.** Sic igitur τὸ **solus,** adiunctum termino personali, in propositionibus affirmativis de Deo, has reddit **per se** *falsas;* et nonnisi, quando terminus personalis accipitur *improprie* et *formaliter,* salvat veritatem propositionis. — Hinc

321. **Conclusio.** *Loquendo de divinis Personis, dictio* **exclusiva** *non debet addi terminis Personalibus, nisi* **cum magna cautela.**

Prob. *Ratione theologica.* Equidem in sermonibus de Trinitate abstinendum est ab omni modo *improprio* loquendi, ne detur locus haeresibus. Patet.

Atqui τὸ **solus** adiectum terminis Personalibus in propositionibus affirmativis de Deo, has propositiones reddit, per se loquendo, *falsas,* et **nonnisi per accidens** veras; sicut in corollario praecedenti ostendimus.

Ergo, nonnisi cum magna cautela, uti possumus in divinis τῷ **solus** coniuncto cum termino Personali; sicut est in illo « Tu **solus** « altissimus Iesu Christe cum Sancto Spiritu in gloria Dei Patris » (Cfr. hic, o et ad 4.m).

QUAESTIO XXXII

DE DIVINARUM PERSONARUM COGNITIONE

322. **Prologus.** Sicut in tractatu *De Deo Uno* Angelicus consideravit prius modum secundum quem Deus se habet in seipso (QQ. III-XI), deinde modum secundum quem Deus se habet ad nostram cognitionem in praesenti vita (QQ. XII-XIII), ita quoque hic in tractatu *De S.ma Trinitate* determinat *prius* quae attinent ad divinas Personas secundum se spectatas (QQ. XXIX-XXXI), *nunc* vero considerat ea quae pertinent ad notitiam earumdem Personarum, exponit scilicet modum secundum quem ipsae divinae cognoscuntur a nobis in praesenti vita. — De cognitione namque earumdem divinarum Personarum in *vita beata* dictum fuit satis supra Q. XII, art. 8. Require ibi si lubet.

323. Et quia in hac vita inest nobis de Deo cognitio tum *naturalis* tum *supernaturalis,* propterea Angelicus in hac quaestione determinat

α) **primo** qualiter Trinitas divinarum Personarum se habet ad nostram cognitionem *naturalem* (art. 1 h. q.);

β) **secundo** qualiter dogma idem Trinitatis se habeat ad cognitionem *supernaturalem* quam in praesenti vita habemus de Deo per Fidem, et Christianam Theologiam (artt. II-IV h. q. — Cfr. art. 2 h. q.).

Art. I. Utrum Trinitas Divinarum Personarum possit per naturalem rationem cognosci.

324. Quoniam potest res aliqua cognosci vel quoad *exsistentiam* (An sit?), vel quantum ad *essentiam* (Quid sit?), et rursum vel omnino *certo,* vel solum *probabiliter,* propterea « in hoc quaesito ob- « servandum est... dictionem illam « **cognosci** » teneri amplissime, ut « extenditur ad congnitionem *An est,* et (*ad*) cognitionem *Quid est;* « (*item*) ad cognitionem *certam evidentem* quae habetur per demon-

« stratione et dicitur *Scientia,* et ad cognitionem *probabilem* quae « est *opinio* » (Nazarius, *Com.* in h. a.).

325. Cum autem demonstrationem audis, reccole ex philosophia demonstrationem multifariam distingui.

α) Alia namque dicitur *directa* seu *ostensiva;* et haec est ea quae ex principiis **positivis** manifestat *rem* esse, vel non esse, **talem qualis** asseritur a demonstrante.

β) Alia vocatur *indirecta* seu *ad impossibile;* et haec est illa quae convincit *rem* esse *prout enuntiatur in conclusione,* ex eo quod SI secus esset, *absurdum* sequeretur.

γ) Item demonstratio dicitur procedere *a priori,* quando vel per principia *magis universalia* ostendit conclusionem *minus universalem;* vel per *causam* ostendit *effectum.*

δ) Demum demonstratio dicitur procedere *a posteriori,* quando vel per *effectum* manifestat eius *causam,* vel ex principiis *minus universalibus* colligit conclusionem *magis universalem.*

326. Adverte ulterius quod « Trinitas Personarum dupliciter co- « gnoscitur:

« **Uno** modo quantum ad **propria** (*idest relationes*) quibus distin- « guuntur (*inter se realiter*) Personae;

« **Alio** modo per **essentialia** (*attributa*), quae Personis (*divinis*) « appropriantur, sicut **Potentia** *Patri* etc. » (Q. X *De Verit.,* inter *QQ. Dispp.,* art. 13, o).

Nota. Adest magna differentia inter hunc duplicem modum cognoscendi Trinitatem Personarum. Nam qui cognoscit Trinitatem per *Paternitatem, Filiationem* et *Processionem* habet distinctam Trinitatis cognitionem; quia, his divinis relationibus cognitis, distincte Trinitatem Personarum cognoscitur adesse in divinis. — E contra ab illo qui cognoscit Trinitatem per attributa **essentialia** quaeque solent *appropriari* specialiter **uni** aut **alteri** Personae divinae « Trinitas « *perfecte* cognosci non potest; quia etiam Trinitate remota per in- « tellectum (*a Deo, attributa*) ista (*i. e. Potentia, Sapientia et Boni-* « *tas, adhuc*) remanent in divinis » (Q. et art. cit. *De Pot.*).

327. Adhuc etiam cognoscere Trinitatem per attributa essentialia quae divinis Personis *appropriari* solent, contingit dupliciter.

α) **Uno** quidem modo, ita ut quis cognoscat ea attributa reduplicative secundum quod *uni* tantum divinae Personae *conveniunt* seu *appropriantur*;

β) **Alio** modo, ita ut quis attributa, divinis Personis *appropriata,* cognoscat *in communi* tamquam attributa convenientia Deo **personaliter** exsistenti.

Nota. Ille, qui Trinitatem cognoscit per attributa **essentialia** quidem sed *reduplicative* inquantum sunt **appropriata** *uni* divinarum Personarum, cognoscit *vere* et *proprie* divinas Personas; quia non possunt cognosci haec attributa reduplicative tamquam propria **uni.** tantum **divinae Personae,** nisi praeintellecta **hac** Persona: quemadmodum nequit cognosci *fortitudo* reduplicative ut est propria **uni** Petro, nisi praeintelligatur ipsa *Persona Petri.* — E contra ille, qui attributa appropriata divinis Personis cognoscit solummodo **in communi** secundum quod scilicet sunt attributa divinitatis, non cognoscit *vere* et *proprie* **Personas divinas,** sed cognoscit solummodo *Deum Personalem,* cui talia attributa conveniunt (Cfr. hic ad 1.m; item I. *Sent.* Dist. III, Q. I, art. 4 ad 4.m).

328. Rursum considerandum est, quod radius divinae revelationis supernaturalis potest collucere in humana ratione dupliciter, videlicet vel

α) *modo* **supernaturali,** sicut accidit in viro fideli qui voluntarie assentit veritati revelatae propter auctoritatem Dei revelantis; vel

β) *modo* **pure naturali** sive **historico,** prouti contingit in homine *infideli* aut *haeretico* qui veritates divinitus revelatas cognoscit ope lectionis librorum sacrorum, aut per oralem traditionem aut per colloquium cum homine fideli.

329. Ratio humana, cui veritas supernaturalis revelationis non est nota neque modo *supernaturali,* neque modo *naturali* seu *historico,* nominatur ratio *naturalis.* Et de huiusmodi ratione naturali fit sermo in titulo huius articuli (Cfr. Nazarius, *Com.* in h. a.).

330. Et quia ratio humana, destituta *omni* luce divinae revelationis, viguit in Philosophis Ethnicis qua talibus, ideo indiscriminatim **hos** pro **illa** nominabimus, secundum quod scilicet sermoni expedire magis videbitur.

331. Atqui ratio humana, orbata omni lumine divinae revelationis, nonnisi ex rebus sensibilibus et ordinis naturalis potest ascendere ad divina consideranda, hinc sensus praesentis articuli enucleatius potest sic proponi:

Utrum ratio humana, orbata omni lumine *revelationis divinae,* possit ex rebus **creatis** et **ordinis naturalis** cognoscere **probabiliter**

aut **demonstrative** *exsistentiam* aut *quidditatem* Trinitatis Personarum per notiones **proprias** aut *saltem* **appropriatas** eisdem Personis?

Pro huius resolutione gradatim procedendo,

332. **Dico 1.°** *Gentiles Philosophi,* lumine revelationis supernaturalis **forte** ex toto *destituti, cognoverunt* quaedam *essentialia Dei attributa quae* appropriantur *Divinis Personis, ex. gr.* Potentiam *quae* appropriatur *Deo Patri,* Sapientiam *quae* appropriatur *Dei Filio, et* Bonitatem *quae* appropriatur *Spiritui Sancto* (Cfr. hic ad 1.m; item I. *Sent.* loc. cit.).

Prob. 1.° *Ex S. Paulo,* qui de Philosophis ethnicis testatur: « Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem et iniustitiam « hominum eorum qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Quia quod « **notum** est Dei (*videlicet quod cognoscibile* naturaliter *est de Deo*) « **manifestum** est in illis (*videlicet fuit* evidenter *cognitium ab ipsis* « *philosophis*) **Deus** enim illis **manifestavit.** (*Quomodo?...*) Invisibilia « enim Ipsius a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta « conspiciuntur; sempiterna quoque Eius virtus, et divinitas etc.» (Rom. I, 18-20). — Super quae verba *Glossa interlin.* dicit: « *Invisi-* « *bilia* refertur ad Personam Patris; *Sempiterna virtus* ad Personam « Filii; *Divinitas* ad Personam Spiritus Sancti». — Ergo Philosophi Gentiles, lumine supernaturalis revelationis **fortasse** ex toto destituti, cognoverunt quaedam attributa Dei essentialia quae solent appropriari divinis Personis (Cfr. hic o, et ad 1.m; item Q. et art. cit. *De Verit.* arg.m 1.m; item *Com.* in cit. cap. epist. ad Rom.).

2.° *Ratione* idem suadetur. Etenim ex libris Platonis, Aristotelis, Ciceronis, aliorumque philosophorum ethnicorum luculenter apparet eos certo cognovisse Deum **unum** optimum maximum exsistere realiter, Eum **sapientissime** mundum *propria virtute* gubernare, Eumque **summa sua bonitate** benefacere omnibus. — Atqui **probabile** est eas omnes veritates fuisse ab ethnicis philosophis cognitas per **solum** lumen *rationis naturalis.* — Ergo valde probabile est, quod Gentiles Philosophi, lumine divinae revelationis **forte** *ex toto* destituti, cognoverint certo per *solum* lumen rationis naturalis quaedam attributa Dei essentialia quae solent Divinis Personis *appropriari.* Q. E. D. — At

Dico 2.° *Praedicti Philosophi non cognoverunt* **de facto** *illa Dei attributa* **absoluta, reduplicative** *secundum quod a Theologis*

Catholicis solent appropriari **uni tantum** *divinarum Personarum.*

Prob. *Ratione naturali.* Etenim, sicut paulo ante (Cfr. n. 327) monuimus, ille, qui cognoscit attributa *absoluta* Deitatis secundum quod **solent** a Theologis Catholicis **appropriari** uni **tantum** Personae Divinae, cognoscit etiam **distincte** eam Personam Divinam: patet. — Atqui Philosophi Gentiles, sicut mox dicemus (Cfr. n. 335), non cognoverunt *de facto* divinas Personas cognitione *distincta:* aliis verbis: non cognoverunt in Deo esse **vere** atque **realiter** Personam *Dei Patris,* aut Personam *Filii Dei,* aut Personam *Spiritus Sancti.* — Ergo Philosophi Gentiles non cognoverunt *de facto* attributa, quae solent *appropriari* divinis Personis, *reduplicative* secundum quod *specialiter* conveniunt **uni** tantum earumdem Personarum, sed **unice** illa noverunt inquantum sunt attributa divinae naturae (Cfr. I. *Sent.,* loc. cit.; item S. Bonaventura I. *Sent.* Dist. III, P. I. art. 1, q. 4).

334. **Dico 3.°** *Memorati ethnici Philosophi non cognoverunt* **de facto** mysterium S.mae Trinitatis *per* **propria,** *i. e. proprietates personales quae sunt* Paternitas, Filiatio *et* Processio.

Prob. Ex illo « Apostoli I. Cor. II, 7-8: *Loquimur* Dei Sapientiam « in mysterio (*videlicet* Fidei dogmata, *quorum caput est* Trinitas « Dei), quam nemo Principum huius saeculi cognovit, idest Philoso- « phorum secundum glossam Hieronymi in dictum locum » (Hic ad 1.m—Cfr. loc. cit.).

335. **Obiic. 1.°** *Praeclari ex ethnicis cognoverunt in Deo Trinitatem Personarum. Etenim*

Mercurius Trismegistus (*Lib. qui dicitur* Ποιμαντήρ, *Dial. 4*) *ait:* « Monas genuit Monadem, et in se suum reflexit Ardorem ».

Zoroastèr *in* Oraculis Magicis *haec habet:* « In toto mundo re- « splendet Trinitas, cuius Unitas est principium ».

Pytagorici *quoque* ternarium *numerum tamquam sacrum et mysteriosum retinebant.*

Plato, *prouti narrat S. Augustinus* Lib. VII Confes. cap. 9, *saepe in suis operibus mentionem facit de Mente Dei* Patris *omnium, et de* Verbo *divinae Mentis.*

Auctor Lib. *De Coelo et Mundo,* cap. 1, *qui liber inter opera Aristotelis connumeratur, dicit quod* « per hunc (*i. e. ternarii*) nume- « rum adhibuimus nos ipsos magnificare Deum *Unum* eminentem *Pro-* « *prietatibus* eorum quae creata sunt ».

In Neo-platonicis *Plotino, Porphyrio, Proclo, Iamblico et Chalcidio* (Cfr. S. August. Lib. X *De Civiti Dei,* cap. 29) *evidentiora sunt de* Trinitate Dei *testimonia. Ita Chalcidius in* Com. *super* Timaeum Platonis dicit: « *Summus* Deus iubet; *Secundus* ordinat; *Tertius* intimat ».

Ergo falsa est assertio nostrae tertiae propositionis.

R. 1.° Nego antecedens. Potest siquidem dici antiquos philosophos cognovisse *triplicem* proprietatem *unius* divinitatis, quas proprietates nos imbuti Fide Christiana convenienter aptamus tribus divinis Personis: sed non potest, salva veritate, dici eos philosophos agnovisse *Trinitatem* Personarum in *una* divina essentia, qualiter nos Fides Catholica edocet. Et revera verba supra relata ex scriptis talium philosophorum non probant id quod ex illis intendunt adversarii probare. Etenim «quod Trismegistus dixit, *Monas* genuit « *Monadem et in se suum* reflexit *Ardorem,* non est referendum ad « *generationem* Filii vel ad *processionem* Spiritus Sancti, sed ad pro« ductionem mundi. Nam *unus* Deus produxit mundum propter su« ipsius *Amorem* » (Hic ad 1.m). — Accedit quod libri, qui Trismegisto adscribuntur, supposititii sunt, prouti late exponit Huetius in *Quaest. Alnetanis,* Lib. II, cap. 3.

Verba Zoroastris autem aperte loquuntur de *mundo.* Et dicit in mundo splendere quamdam Trinitatem: etenim in mundo **tres** gradus entis inveniuntur, *esse, vivere* et *intelligere;* item **triplex** est principium entium naturalium videlicet: *materia prima, forma* et *privatio formae;* **tres** quoque sunt partes temporis videlicet: *praeteritum, praesens* atque *futurum;* **tres** quoque dimensiones corporales idest: *longitudo, latitudo* et *profundum;* item in Homine **triplex** adest facultas videlicet: *sensus, intellectus* ac *voluntas:* adhuc in Angelis sunt **tres** hierarchiae, quaelibet hierarchia continet **tres** choros, et unoquoque **choro** adest *principium, medium* et *finis;* item in qualibet creatura adest *unitas, species,* et *ordo;* et ita porro de multis aliis.

Ob hanc causam Pytagorici existimarunt *numerum* ternarium esse *sacrum* atque *mysticum.* Est *sacer,* aiebant, quia adunat *omnes* perfectiones, *initium* videlicet, *medium* et *finis;* est etiam *mysticus* quoniam invenitur *ubique* in omni creatura diffusum, sicut dictum est.

« In libris etiam Platonicorum invenitur *In principio erat Verbum,* « non secundum quod *Verbum* significat *Personam genitam* in divinis,

« sed, secundum quod per *Verbum* intelligitur *ratio idealis*, per quam « Deus omnia condidit, quae Filio appropriatur. Et licet appropriata « tribus Personis cognoscerent, dicuntur tamen in tertio signo defe- « cisse, idest in cognitione tertiae Personae, quia a bonitate, quae « Spiritui Sancto appropriatur, deviaverunt, dum cognoscentes Deum, « non sicut Deum glorificaverunt, ut dicitur Rom. I, 21. — Vel quia « ponebant Platonici unum primum ens, quod etiam dicebant esse « *patrem totius universitatis rerum,* consequenter ponebant aliam « substantiam sub Eo, quam vocabant *Mentem,* vel Paternum intelle- « ctum, in qua erant rationes omnium verum, sicut Macrobius Lib. I « recitat super *Somnium Scipionis*. Non autem ponebant (*Platonici*) « aliquam **substantiam tertiam** separatam, quae videretur Spiritui « Sancto respondere. Sic autem nos non ponimus Patrem et Filium « secundum substantiam differentes: sed (*iste*) fuit error Origenis su- « per illud Ioan. I *Et Deus erat Verbum,* et idem refert Hieronymus « in Epist. *ad Pammachium et Oceanum* quae incipit *Schedulas quas,* « cap. 1 ; et Arii, sequentium in hoc Platonicos.

« Quod (*vero*) Aristoteles dicit: *Per hunc numerum adhibuimus* etc., « non est sic intelligendum, quod ipse poneret ternarium numerum « in divinis: sed vult dicere, quod antiqui utebantur ternario numero « in sacrificiis et orationibus propter quamdam ternarii numeri per- « fectionem » (Hic ad 1.m) ut dictum est. (Cfr. Monsabrè, *Carême 1874,* II. Confér. P. II, n. 1).

De philosophis neo-platonicis, quum ipsi scripserint post evulgatum evangelium, iure loquutos fuisse dicimus de Trinitate Divina ex eo quod hanc noverint ex Apostolorum praedicatione. Adde quoad hos philosophos, quod ipsimet non recte senserint de hac Trinitate, quin eius notionem corrumpentes aptare moliti sunt falsis dogmatibus propriae sectae, sicut Augustinus indicat loc. cit. — Hinc.

R. 2.° Dist. antec. *Philosophi ethnici agnoverunt Trinitatem Personarum in Deo,* utendo sola naturali ratione: *Nego ;* instructi aliqua luce supernaturalis revelationis: *Concedo.* — Nego consequens et dico, quod dato et non concesso, quod illi philosophi cognoverint exsistentiam quamdam Thrinitatis Personarum in Deo, hoc nihil officit nobis, quum potuerint ipsi hanc Trinitatem cognoscere *vel* ex lectione librorum sacrorum, *vel* ex carminibus Sybillinarum, *vel* ex primaeva revelatione transmissa a maioribus per traditionem populorem. Et rem ita contigisse affirmant S. Iustinus M. in *Apol. II*, S.

Cyrillus Alexand. Libb. I et II *cont. Iulian;* Eusebius Coesariens. Lib. XI. *Praepar. Evang.* cap. 10; S. Augustinus Lib. XVIII *De Civit. Dei,* cap. 37; et S. Thomas in I. *Sent.* loc. cit. ad 1.m.

336. Factum consideravimus, nunc oportet *iuridice,* ut ita dicam, eamdem quaestionem pertractare, investigando scilicet

Num ratio humana, orbata **omni** lumine supernaturalis rationis, possit in praesenti vita a creaturis **solius** ordinis *naturalis* demonstrare *directe* aut *indirecte* **exsistentiam** Trinitatis divinarum Personarum secundum **proprias** illarum formalitates?

A) Eunomiani saec. IV affirmarunt se totum Deum *unum* et *trinum* multo perfectius quam semetipsos cognoscere.

B) A medio aevo ad nostra usque tempora non defuerunt qui *vel* rationis petulantia imbuti *vel* caligine sophismatum detenti partem problematis affirmativam sunt professi. Hanc viam ingressus est circa an. 1120 in suo *Tractatu de Trinitate* famosus Petrus Abaelardus; de quo S. Bernardus in Epist. CXC *ad Innoc. PP. II* haec habet: « Abaelardus ut Platonem faciat Christianum, se probat Eth-« nicum... Dum paratus est de omnibus reddere rationem, etiam quae « sunt supra rationem, et contra rationem praesumit, et contra Fi-« dem. Quid enim magis contra rationem, quam ratione rationem co-« nari transcendere? Et quid magis contra Fidem quam credere nolle « quidquid non possit ratione attingi? »

C) Richardus de S. Victore, quamvis benigne exponatur a S. Thoma (hic ad 2.m), videtur tamen idem cum Abaelardo sentire (Cfr. Claud. Mamertum, *De Statu Animae,* cap. 8). Dicit namque: « Credo sine dubitatione quod ad quamcumque explanationem veri-« tatis non modo *probabilia,* imo etiam *necessaria* argumenta non « desint » (Lib. I. De Trinit. cap. 4.—Cfr. ibid. Lib. III, cap. 5).

D) Henricus Gandavensis videtur etiam idem sentiisse (Cfr. Durand. I. *Sent.* Dist. II, q. 4; et Klée *Storia dei Dogmi,* P. II, cap. 2).

E) Raymundus Lullius (fl. circa an. 1314) tum in Lib. *De Art. Fidei Sacrosanctae,* capp. 7-12, tum in Lib. *De Demonstratione Aequiparantiae* fatetur se invenisse tam evidentes demonstrationes S.mae Trinitatis, ut quilibet Gentilis vel Mahumetanus, si vellet eas pacato examinare animo, non posset de Trinitatis veritate dubitare. (Cfr. Card. Aguirre, Theol. S. Anselmi, Tom. II, Disp. 51; et Natalis Alexandre, *Hist. Eccles.* saec. XIII, cap. 3, art. 20). Ferunt

Lullium retractasse propriam sententiam (Cfr. Grandi, *Com.* in h. a.); sed certo eius sententia damnata fuit a Gregorio PP. XI, 7 Kal. Feb. 1376, prouti in Denzinger *Enchiridio* edito an. 1900 sub n. 474 legitur.

F) Hegelius putavit sua theoria absurda, posita in τῷ *fieri transcendentali,* posse demonstrari evidenter Trinitatem Personarum in Deo. Ait namque τὸ *fieri* habere **tres** status. *Primus* status τοῦ *fieri* est *ante* evolutionem, et τὸ *Fieri* in hoc primo statu constituit *Deum Patrem. Alter* status est ille in quo τὸ *fieri* evolvitur, ponit *se* extra *se,* et constituit *Naturam,* atque τὸ *Fieri,* consideratum in hoc altero statu, est *Persona Filii Dei. Tertius* status est in quo τὸ *Fieri* post sui evolutionem *redit ad se,* acquirit conscientiam sui et fit *Spiritus,* exhibet propterea *Personam Spiritus Sancti* (Cfr. Zigliara, *Propaedeutica,* etc. Lib. I, cap. 7, ϰ).

G) Rev. Antonius Günther quoque (Cfr. Pii PP. IX Brevia ad Episc. Coloniensem die 15 Iun. 1857 et ad Episc. Watrislaviensem die 30 Martii 1857) et Iacobus Frohschammer (Cfr. eiusdem Pontificis Epist. ad Archiep. Monacensem et Frisingensem, die 11 Dec. 1862) pessime iudicarunt mysterium Trinitatis per *rationes philosophicas* demonstrari posse.

H) Rosminius demum sentit, quod nunc temporis « revelato my- « sterio Ss. Trinitatis, potest ipsius exsistentia demonstrari argu- « mentis *mere* speculativis *negativis* quidem et *indirectis:* huiusmodi « tamen ut per ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revoce- « tur, atque fiat propositio scientifica sicut ceterae, etc.». Est propositio XXV inter damnatas (Cfr. *Enchir.* n. 1915).

I) Eadem sententia dicitur defensa ab Abbate Mastrofini in suo opere de Trinitate, cui titulus *Metaphysica sublimior.*

337. Contra has omnes ponitur

Conclusio I. *Homo viator in praesenti vita* **non potest** *per* argumenta **pure** philosophica *demonstrare* α) directe, *vel* β) indirecte *exsistentiam realem trium divinarum Personarum secundum* **proprias** *earum formalitates.*

Nota. Prima pars est Fidei dogma: altera vero doctrina theologice certa.

Prob. **I.ª pars** conclusionis 1.° *Argumentis Biblicis. A*) Illud quod *solius* divinae revelationis lumine *supernaturali* **sciri** potest, **nemo** per argumenta *pure* philosophica demonstrare *directe* potest.

Constat. — Atqui homo *viator,* in *praesenti* vita, nonnisi per lumen *supernaturalis* revelationis potest **scire,** seu certo cognoscere, existentiam Personarum divinarum secundum *proprias* illarum formalitates. Probabo. — Ergo homo viator in praesenti vita non potest per argumenta *pure* philosophica demonstrare *directe* exsistentiam realem trium divinarum Personarum secundum *proprias* earum formalitates.

Prob. min. Etenim: Christus, Matth. XI, 27, absolute pronuntiat: « **Nemo** novit Filium **nisi** Pater, neque Patrem quis novit **nisi** Fi- « lius, et cui voluerit Filius **revelare**». Item, cap. XVI, 17, idem Salvator ad S. Petrum ait: « Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et « sanguis *non revelavit* Tibi, sed Pater meus qui in coelis est ». — Ergo homo viator in praesenti vita, **nonnisi** per lumen divinae revelationis supernaturalis, potest cognoscere **certo** exsistentiam Personarum Trinitatis secundum *proprias* earumdem *formalitates,* videlicet, secundum formalitatem *Patris,* aut *Filii* etc.

B) Praeterea qui directe demonstrare potest exsistentiam Trinitatis secundum proprias Personarum formalitates, is poterit de *Paternitate, Generatione* et *Filiatione* divina competenter tractare: patet. — At hoc nemo mortalium **sine speciali** et **supernaturali** *Dei auxilio* facere potest, monente S. Scriptura: « **Generationem** Eius « quis enarrabit? » (Isai. LIII, 8). — Ergo homo viator in praesenti vita non potest **sine speciali** lumine divinae revelationis supernaturalis cognoscere **certo** exsistentiam realem Personarum in S.ma Trinitate.

2.° *Ex Ss. Patribus* idem concluditur. *A*) Etenim S. Athanasius in Epist. I *Ad Serapionem,* n. 18 contra Arianos sic loquitur: « O « stulti, atque ad omnia audaces et praecipites! Quare non potius « S.mam Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse dumtaxat « creditis? Magistrum Apostolum hac in re incitati, cuius haec sunt « verba: Credere enim oportet primo Deo quia est ».

B) Hormisdas R. P. (Epist. *ad Iustinianum Imper.* cap. 2) haec habet: « Secretum Trinitatis neque ulla visibilium vel invisibilium « naturarum potuit investigare naturam ».

C) S. Hilarius (Lib. I. *De Trinit.,* n. 18) incipiens de Trinitatis sacramento edisserere, ait, quod quantum ad istud credendum sit ipsi Deo: « Idoneus enim sibi testis est, qui nisi per se cognitus est ».

D) S. Ioannes Damascenus (Lib. I. *De Fide Orthodoxa,* cap. 2)

dicit: « Quomodo Deus ex Deo genitus sit, vel processerit, aut qua « ratione Unigenitus Filius ac Deus sese exinaniens ex virgineis « sanguinibus Homo factus sit... haec sane *nec scimus, nec dicere possumus* ».

E) S. Ambrosius (Lib. I. *De Fide ad Gratianum,* cap. 10) ait: « Impossibile est Generationis (*divinae*) scire secretum. Mens deficit, « vox silet, non mea tantum, sed et Angelorum ».

F) S. Augustinus (Lib. XV. *De Trinit.,* cap. 16, n. 9) haec habet: « Quis disputandi modus, quaenam tandem vis intelligendi at- « que potentia, quae vivacitas rationis, quae acies cogitationis osten- « det *Quomodo* sit *Trinitas ?* ».

G) S. Fulgentius (Lib. II *ad Trasimundum,* cap. 1) scribit: « Sola immutabilis illa sempiternitas Trinitatis reperietur incompre- « hensibilitatis digna miraculo, quae *sic excedit* omne quod *cogitare* « vel *sapere* possumus sicut superat omne quod sumus ».

H) S. Bernardus (Lib. V. *De Consideratione* cap. 8) dicit de Trinitate: « Sacramentum hoc magnum est, et quidem venerandum, « non scrutandum. Quomodo pluralitas in unitate, aut ipsa in plura- « litate ?. *Scrutari* hoc temeritas est; *credere* pietas; *nosse* via et « vita aeterna ».

I) Beda denique commentans illud: « Quod est nomen Eius, et « quod nomen Filii eius, si nosti?» (Prov. XXX, 4) scribit: «De Dei « Patris et Filii nomine dicit, cuius mysterium saecularis sapientia « naturaliter scire non potest ».

Quae Sanctorum Patrum auctoritates unanimiter probant, quod homo viator in praesenti vita, nonnisi per lumen divinae revelationis, possit *scire* seu certo cognoscere exsistentiam Personarum divinae Trinitatis secundum *proprias* illarum *formalitates*. Q. E. D.

3.° *Ex Consiliis. A*) In Concilio Provinciali Antiocheno, celebrato circa an. 268, Patres in Epist. *ad S. Dionysium PP.* et ad alios Episcopos Orthodoxos directa contra errores Pauli Samosateni, ita loquuti sunt (sicut narrat Eusebius Lib. VII. *Hist. Eccles.,* cap. 36): « Quoniam Deus est ingenitus, unus... quem nullus hominum vidit « nec videre potest; cuius gloriam seu magnitudinem, sicuti est di- « gne veritate cogitare vel enarrare humanae naturae est *impossibi- « le;* notionem vero eius utrumque mediocrem, revelante Filio habe- « ri nobis sufficiat, oportet; sicut Ipse (*Christus*) dicit (Luc. X, 22): « *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui Filius revelaverit* ».

B) Concilium Provinciale Coloniae Agrippinae celebratum an. 1860, atque a Pio PP. IX approbatum (P. I, Tit. I, cap. 9) ita docuit : « Augustissimum hoc Trinitatis mysterium, quamvis Ss. Patres « Ecclesiaeque Doctores similitudinibus ad Fidelium eruditionem « illustrare conati sunt, tamen uno ore ineffabile et incomprehensibi- « le esse proclamant ».

C) Concilium Vaticanum, Sess. III, § 4 *De Fide et Ratione,* can. I definivit : « Si quis dixerit in revelatione divina nulla vera et pro- « prie dicta mysteria contineri ; sed universa Fidei dogmata posse « per rationem rite excultam e naturalibus principiis intelligi et de- « monstrari, anathema sit » (*Enchir.* n. 1816). — Dantur ergo Fidei mysteria quorum demonstratio per principia *pure* philosophica est *omnino impossibilis*. Atqui **primum** ac profundissimum mysterium nostrae Fidei est Trinitas divinarum Personarum ; iuxta illud Hebr. XI, 6 *Credere enim oportet* accedentem ad Deum : **quia est** etc. » videlicet **unus et trinus.** — Ergo hoc mysterium **directe** demonstrari per philosophica principia est omnino impossibile.

— Hunc faciunt decreta Gregorii XI contra Lullium (Cfr. n. praec. § *E*) ; item decreta Pii PP. IX contra Günther et Frohschammer (*Enchir.* nn. 1655 et 1671) ; necnon sententia lata a C. S. O. ex iussu Leonis PP. XIII contra Rosminium (Ibid. n. 1915).

Dices. Verba Concilii Vaticani sunt interpretanda de impossibilitate demostrandi quam habet philosophus naturalis *in hypothesi* quod *nulla* facta fuisset a Deo huius mysterii revelatio supernaturalis, non autem hoc idem exsistimandum est *post revelationem* iam lucentem per orbem. Ergo ratio inducta non cogit.

R. Nego antecedens. Est namque ea interpretatio contra mentem Patrum Synodi Vaticanae : qui Patres de hac re sic loquuntur Sess. cit., cap. 4 : « Ratio Fide illustrata, cum sedulo, pie et so- « brie quaerit aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eam- « que fructuosissimam assequitur tum **ex eorum** quae *naturaliter* « cognoscit **analogia,** tum e mysteriorum ipsorum nexu inter se et « cum fine hominis ultimo, **numquam** tamen idonea redditur ad ea « perspicienda instar veritatum quae proprium ipsius obiectum con- « stituunt. Divina enim mysteria suapte natura intellectum creatum « sic excedunt, ut etiam revelatione facta et Fide suscepta, ipsius « tamen Fidei velamine contecta, et quadam quasi caligine obvoluta « maneant quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Domino : per

« Fidem enim ambulamus, et non per speciem » (*Enchir.* n. 1796).

4.° *Ratione theologica*. « Ostensum est enim supra (Q. XII, artt. « 4 et 12), quod homo per rationem naturalem in cognitione Dei per- « venire non potest nisi (*argumentando*) ex creaturis. Creaturae au- « tem (*quia non univoce sed solum analogice conveniunt cum Deo* — « Cfr. Q. XIII, art. 5) ducunt in cognitionem Dei, sicut effectus in « causam. Hoc igitur solum ratione naturali de Deo cognosci potest, « quod competere ei necesse est secundum quod est omnium entium « (*efficiens*) principium. Et hoc fundamento usi sumus supra (Q. XII, « art. 12), in consideratione Dei. Virtus autem creativa Dei est com- « munis toti Trinitati : unde pertinet ad *unitatem* essentiae, *non* ad « *distinctionem* Personarum. Per rationem igitur naturalem *cognosci* « possunt de Deo ea quae pertinent *ad unitatem essentiae,* **non au-** « **tem** ea quae pertinent ad distinctionem Personarum » (Hic, o); qua- lis est Divinarum Personarum Trinitas (Cfr. Conc. Colon. loc. cit.).

Confirmatur. Omnes rationes, a Doctoribus Catholicis inventae ad suadendam Trinitatem divinarum Personarum, insufficientes sunt ad hanc Trinitatem ostendendam. Probabo. — Ergo **absolute impos- sibile** est rationem humanam in praesenti vita per argumenta pure philosophica demonstrare **directe** Trinitatem divinarum Personarum. — Illatio patet. Quum enim Doctores Ecclesiae, etiam humanitus in- specti, habuerint magnam Sapientiae copiam, sequitur evidenter, ut quod ab ipsis in theologia perfectum non est, a posterioribus super- rari non est credibile.

Prob. antecedens ad examen revocando argumenta a nonnullis Doctoribus theologiae allata ad ratione naturali probandam Trinita- tem divinarum Personarum.

α) Alexander De Ales († 1245) et S. Bonaventura († 1274) co- nantur suadere exsistentiam Trinitatis hoc fere modo : « Deus est « infinite bonus : ergo infinite se communicat. Non potest infinite se « communicare *ad extra*. Ergo per processionem *ad intra*. Ergo dan- « tur processiones reales in Deo : dantur **relationes reales** in Ipso : « et sic dantur in Deo **plures Personae** ».

— Sed haec ratio non cogit ; quia *minor* propositio est **aequivo- ca.** « Bonitas enim infinita Dei manifestatur etiam in productione « creaturae, quia *infinitae virtutis* est *ex nihilo producere*. — Non « enim oportet, si infinita bonitate (*Deus*) se communicat, quod ali- « quid (*essentialiter*) infinitum a Deo procedat, sed (*sufficit ut illud*

« *quod a Deo procedit*), secundum modum suum recipiat divinam bo-« nitatem » (Hic ad 2.m). Vide, si lubet, Cl. P. De Régnon, *Études sur la Sainte Trinité* (Vol. II, étude X).

β) Alii theologi cum Richardo De S. Victore († 1173) nituntur confirmare Trinitatem divinarum Personarum hac alia via: «Perfecta « beatitudo non datur sine consortio amicorùm. Deus est summe « beatus independenter a creaturis. Ergo habet consortium amicorum « qui sunt Personae increatae. Exsistunt ergo huiusmodi divinae Per-« sonae » (Cfr. Lib. I. *De Trinit.* cap. 4).

— At hoc quoque argumentum est vanum. *Maior* enim propositio non est vera universaliter. Equidem: «quod sine consortio (*alicuius « amici*) non potest esse iucunda possessio alicuius boni, locum ha-« bet, quando in una persona non invenitur perfecta bonitas : unde « indiget ad plenam iucunditatis bonitatem bono alicuius alterius con-« sociati (*amabiliter*) sibi » (Hic ad 2.m). Deus autem habet **ex sese** plenam perfectamque bonitatem. Ergo non videtur indigere aliis Per-sonis creatis aut increatis (Cfr. De Régnon, Op. cit. études XI et XII).

γ) S. Augustinus autem (Lib. X *De Trin.* capp. 11 et 12) et S. Thomas (hic Q. XXVII, artt. 1 et 3), et communiter Thomistae (Cfr. Monsabré, Conf. cit. ; item Lacordaire, *Confér. de N. D.* Cfér. 48.e *De la Vie intime de Dieu*) conati sunt ostendere Trinitatem divinam hoc modo : « In creatura intellectuali invenitur processio *Verbi* et processio *Amoris*. Ergo *a pari* concedendum est Deo... »

— At haec quoque argumentatio non omnino convincit. Equidem « similitudo intellectus nostri non sufficienter probat aliquid de Deo, « propter hoc quod intellectus **non univoce** invenitur in Deo et in « nobis. — Et inde est, quod Augustinus super Ioan. *Tract.* 27 dicit « quod *per Fidem venitur* ad cognitionem et non e converso » (Hic ad 2.m).

— Fallacias argumentorum Lullii, Mastrofini etc. lege si lubet apud Vasquez (Hic, Disp. CXXXIII), Suárez (Lib. I *De Trinit.* cap. 11, n. 3), Knoll (Op. cit. § 114), Ianssens (Introd. in h. q.), etc.

Prob. **II.ª pars** conclusionis, videlicet: «Homo viator in praesenti « vita non potest per argumenta **pure** philosophica demonstrare *in-« directe* exsistentiam *realem* trium divinarum Personarum secundum « **proprias** earum formalitates ». Revera demonstratio *indirecta* seu ducens ad impossibile est illa in qua concluditur **rem** esse, aut non

esse, **qualem** nos affirmamus, quia secus sequeretur absurdum. Hoc constat ex dialectica. Unde, si daretur demonstratio *indirecta* Trinitatis divinarum Personarum per **sola** principia philosophiae *pure* naturalis, illa demonstratio haberet hanc formam dialecticam videlicet:

A) Impossibile est secundum philosophiam *naturalem,* quod Deus habeat attributum essentiale X, et non sit Trinus in Personis.

B) Atqui secundum philosophiam *naturalem* Deus **revera** habet attributum essentiale X.

C) Ergo secundum philosophiam *naturalem* Deus est **revera** Trinus in Personis.

Modo, ut hoc argumentum habeat relate ad nos vim demonstrativam, *duo* debent a nobis esse certo nota, videlicet veritas propositionis *maioris,* et veritas *minoris.* — Iamvero per philosophiam *naturalem* et ex creaturis mundi non possumus de Deo *certo* cognoscere nisi attributa *absoluta* et quae pertinent ad *unitatem essentiae,* sicut paulo ante ostendimus ex Angelico Doctore. Unde attributum X, quod affirmatur ab adversariis iam cognitum *certo* de Deo per philosophiam naturalem ex rebus creatis, est attributum quoddam *essentiale* ipsius Dei. Consequenter argumentum propositum ab adversariis potest, claritatis gratia, reduci in hanc novam formam:

α) Impossibile *absolute* est quod Deus habeat attributum *essentiale* sive **absolutum** X, simulque non sit Trinus in Personis.

β) Atqui per philosophiam **pure** naturalem et ex creaturis huius mundi certo constat Deum habere attributum essentiale seu **absolutum** X.

γ) Ergo per philosophiam **pure** naturalem et ex creaturis huius mundi certo constat Deum esse Trinum in Personis.

Porro in hoc syllogismo, licet propositio *minor* possit esse a nobis per **solam** philosophiam naturalem *cognita* tamquam *vera,* nihilominus propositio *maior* remanet tamquam propositio *nobis incerta* per **solam** philosophiam naturalem; quia per **solam** philosophiam *naturalem* et ex **solis** creaturis mundi non possumus **directe** demonstrare *connexionem necessariam* inter attributum **absolutum** Dei et Trinitatem divinarum Personarum; sicut in prima parte huius conclusionis *ratione theologica* ex S. Thoma ostendimus. — Et ideo conclusio γ) praecedentis syllogismi non remanet demonstrata. Q. E. D.

338. **Corollaria.** 1.° Facilius est scire rem *exsistere de facto,* quam scire quidnam intime ea res *sit in semetipsa,* sicut facilius de-

monstratur *Animam exsistere* quam quod scire *Quid sit Anima.* Si ergo humana ratio, orbata *omni* lumine divinae revelationis supernaturalis, non potest *directe* vel *indirecte* demonstrare per argumenta *pure* philosophica ordinis naturalis quod **exsistat realiter** *in Deo Personarum Trinitas ; a fortiori* eadem humana ratio, eisdem in circunstantiis constituta et per eamdem viam, non potest explicare directe aut indirecte **quidditatem** *Divinae Trinitatis.* Patet.

2.° Sicut per philosophiam naturalem et ex creaturis mundi non potest demonstrari nec *directe* neque *indirecte* Trinitas divinarum Personarum, ita quoque per eamdem naturalem philosophiam non potest *directe* aut *indirecte* demonstrari *Deum* non esse *Trinun in Personis.* — Equidem omnis demonstratio, vere talis, est *progressio* **recta** mentis a *primis principiis* ad *conclusiones veras.* Atqui haec propositio: *Deus* non est *Trinus in Personis*, est **falsa** et haeretica. Ergo ipsa non potest demonstrari **directe** vel **indirecte** per philosophiam **pure** naturalem ex creaturis. Constat.

Propterea quaecumque ab incredulis aut Rationalistis opponuntur contra hoc mysterium S.mae Trinitatis, non sunt verae demonstrationes sed solubilia argumenta: (Cfr. Conc. Vatic. Sess. III, cap. 4 ; item hic, o, et Q. I, art. 8; item Lib. I *Cont. Gent.* cap. 7; Card. Aguirre, Op. cit., Disp. 60; Hermann C. SS. R. *Inst. Theol. Dogm.* Tom. I, nn. 614-620, etc.).

339. Q. I. *An ratio humana, lumine* supernaturalis revelationis *omnino orbata,* possit philosophice seu *per argumenta* **pure** *philosophica* demonstrare **directe** aut **indirecte** *Possibilitatem* Trinitatis Personarum *in Deo?*

R. *Negative.* Decl. Deus non solum est cumulus omnium perfectionum, seu πέλαγος οὐσίας sicut S. Gregorius Natianzenus dicit, seu ipsum **esse,** τὸ ὄν sicut Exodi III, 14 legitur ; sed etiam habet *in actu* totum quod habet. Unde si demonstretur aliquid **posse** inveniri **in** Deo, illud **exsistit de facto** in Ipso. — Et ob hanc causam a quibusdam dicitur quod **in Deo Esse** et **possibile Esse convertuntur,** vel sicut aliis placet: « **Esse** et **Posse** in perpetuis sunt « **idem ;** perpetua enim non patiuntur aliquam transmutationem » (Bannez, *Com.* in h. a.). Si igitur humana ratio, lumine supernaturalis revelationis *omnino* orbata, posset per argumenta *pure* philosophica demonstrare *directe* aut *indirecte* **Possibilitatem** Trinitatis Personarum *in Deo,* tunc eadem humana ratio, lumine quoque su-

pernaturalis revelationis *omnino* orbata, poterit etiam per argumenta *pure* philosophica demonstrare *directe* aut *indirecte* **Exsistentiam realem** Trium Divinarum Personarum in **uno** Deo. Patet illatio.

Atqui ostendimus (Cfr. n. 337) quod humana ratio, lumine supernaturalis revelationis *omnino* orbata, non possit per argumenta *pure* philosophica demonstrare *directe* aut *indirecte* **exsistentiam realem** trium Personarum in Deo.

Ergo et similiter humana ratio, lumine supernaturalis revelationis *omnino* orbata, non potest per argumenta *pure* philosophica demonstrare *directe* aut *indirecte* **Possibilitatem** Trium Personarum *in* Deo.

340. Q. II. *An per rationem* pure *naturalem possit demonstrari* Mysterium S.mae Trinitatis non esse impossibile?

R. *Negative.* Revera τὸ *non esse impossibile* aequivalet τῷ *esse possibili:* constat. Sed ostendimus n.° praec., quod per rationem *pure* naturalem nequeat *directe* aut *indirecte* demonstrari *mysterium S.mae Trinitatis esse possibile.* Ergo per rationem *pure* naturalem nequit *directe* aut *indirecte* ostendi *mysterium S.mae Trinitatis non esse impossibile.*

341. **Obiic. 2.°** *Doctor Catholicus potest per argumenta* pure *philosophica defendere contra ethnicos* Non esse impossibile Mysterium S.mae Trinitatis *quod Fides Catholica praedicat* (*Cfr. hic, o*). *Ergo per rationem* pure *naturalem potest demonstrari* Mysterium Trinitatis non esse impossibile.

R. Dist. antec. Doctor Catholicus potest... defendere *modo quidem positivo* etc.: *Nego;* potest... defendere *modo quodam negativo* etc.: *Concedo.*—Nego consequens, et dico defensionem quae tamquam possibilis relinquitur Doctori Catholico contra ethnicos pro defensione Fidei Christianae non esse aliam nisi hanc, videlicet: solvere argumenta ethnicorum contra Fidem « non quidem hoc sensu « quasi possit *evidenter probari* veritas aut *evidenter ostendi* opposi- « ta falsitas: sed quia potest *sufficiens ratio* adferri cur non sit ad- « mittendum id quod in contrarium adsertur» (Cfr. Sylvium *Com.* in h. a.); quia scilicet omnia argumenta contra Fidem Catholicam adducta aut adducibilia, quum **supponant** idem iudicium dandum esse de *divinis* et de *creaturis,* manifeste procedunt ex falso, et sic sunt vere paralogismi (Cfr. n. 343, 2.°).

342. Q. III. *An possit ex rebus creatis* per philosophiam *pure*

naturalem **suaderi** tamquam *probabile* Ss. Trinitatis mysterium?

R. 1.° Supposita revelatione supernaturali huius mysterii, hoc potest declarari tamquam **valde** *probabile* per argumenta deducta ex rebus sensibilibus.

Prob. *A*) Equidem per exemplum, deductum ex intellectu et voluntate Animae humanae, S. Thomas cum omnibus theologis catholicis nititur suadere hoc altissimum Fidei Christianae mysterium; quemadmodum et nos superius egimus (Cfr. hic, o et ad 2.m).

B) Utuntur vero ad hoc idem mysterium pie exponendum S. Athanasius et Lactantius exemplo **Solis, Lucis** a sole proccedentis et **Splendoris** ab utroque emicantis, quae tria *unum solem* constituunt; S. Gregorius Natianzenus eamdem rem declarat per **Ignem, Splendorem** et **Calorem** quae tria *unum lumen* constituunt; Tertullianus vero rem declarat exemplo **Radicis, Trunci,** a radice procedentis, et **Rami** ab utroque dimanantis; etc. (Cfr. Bossuet, *Elévations sur les Mystères,* 2.e Semaine; Monsabrè, Carême 1874, II.e Confèr. nota 1.ª; item Contenson, *Theol. Ment. et Cordis,* Lib. III. Disp. II, cap. 1; etc.).

C) Suadetur autem eadem veritas ratione sequenti. Etenim omnis effectus repraesentat propriam causam *magis minusve* perfecte. — Atqui, Deus, qui creaturarum est prima causa efficiens et finalis, est *unus* in essentia atque *trinus* in personis. — Ergo indubitanter Deus huius suae physicae constitutionis *vestigium* aliquod vel *imaginem* in unaquaque creatura impressit (Cfr. infra Q. XLV, art. 7).

R. 2.° Si de mysterio Ss. Trinitatis nulla facta fuisset homini supernaturalis revelatio, **credo** quod homo per naturalem cognitionem *nullo modo* posset *suspicari,* aut *probabiliter* cognoscere **exsistentiam** Ss. Trinitatis in Deo.

Prob. Etenim, seposito lumine supernaturalis revelationis, homo, nonnisi ex his quae in sensibilibus creaturis apparent, potest **analogice** scire ea quae in Deo, prima causa efficiente et exemplari rerum mundanarum, inveniuntur. — Atqui in creaturis, praesertim sensibilibus huius mundi, non invenitur **una** numero *realitas,* exsistens simultanee in **tribus** realiter distinctis *suppositis* seu *personis;* sed e contra invenitur unumquodque **suppositum** possidere propriam substantiam *realiter distinctam* a substantia alterius *suppositi* seu *personae.* Patet.—Ergo per **analogiam** ex creaturis, praesertim sensibilibus huius mundi, non posset *suspicari* quod in Deo inveniatur

unica realitas essentiae divinae subsistens **simultanee** in **tribus** numero realiter distinctis *suppositis* seu *personis*.

Hoc autem praecise importat Trinitatis divinae mysterium, sicut ex dictis patet. — Et ideo, si de mysterio Ss. Trinitatis nulla facta fuisset homini supernaturalis revelatio, **credo** quod homo per *solam* cognitionem naturalem ex creaturis huius mundi *nullo modo* posset *suspicari* aut *probabiliter* cognoscere exsistentiam S.mae Trinitatis in uno Deo. Q. E. D. (Cfr. loc. cit.).

343. **Inferes.** 1.° Si igitur exsistentia Ss. Trinitatis in Deo sic excedit humanam rationem, ut per argumenta *pure* philosophica ex creaturis non possit neque *demonstrari* neque *probabiliter* ostendi, sequitur omnino indisciplinatos atque vanos esse conatus illorum theologorum (Cfr. n. 336) qui argumenta **pure** *philosophica* quaerunt aut conficiunt ad demonstrandum Trinitatem divinarum Personarum contra incredulos. Quinimo ille «qui probare nititur Trinitatem Per-«sonarum naturali ratione, Fidei dupliciter derogat:

«*Primo* quidem quantum ad dignitatem ipsius Fidei: quae est, «ut sit de rebus invisibilibus quae rationem humanam excedunt. «Unde Apostolus dicit ad Hebraeos XI, 1 quod *Fides* est *de non «apparentibus;* et idem Apostolus dicit I. Cor. II, 6 *Sapientiam lo-«quimur inter perfectos; sapientiam vero non huius saeculi, neque «principum huius saeculi* (i. e. Philosophorum) : *sed loquimur* Dei «*sapientiam in mysterio quae abscondita est.*

«*Secundo* quantum ad utilitatem trahendi alios ad Fidem. Cum «enim aliquis ad probandam Fidem inducit rationes quae non sunt «cogentes, cedit in irrisionem infidelium. Credunt enim quod huius-«modi rationibus innitamur et propter eas credamus» (Hic, o). Et revera ethnicus, qui, postquam audisset ex. gr. ab Abbate Rosmini dogma Trinitatis *posse* **saltem** *indirecte* demonstrari per *rationem* pure *naturalem*, acciperet ex ore eiusdem viri hanc Trinitatis demonstrationem: «Tres supremae formae *esse,* nempe *subiectivitas,* «*obiectivitas*, *sanctitas*, seu *realitas*, *idealitas*, *moralitas*, si transfe-«rantur ad *esse absolutum*, non posse aliter accipi nisi ut Personae «subsistentes et viventes» (est propositio XXVI inter damnatas a C. S. O. die 14 Dec. 1887) irrideret Fidem Christianam; quia illa Rosminii verba sunt argutia vere puerilis (Cfr. Zigliara, *Propaed.* etc. Lib. I, cap. XII, n. III, E).

2.° Ex eadem radice sequitur, quod hoc Trinitatis mysterium, si-

cut reliqua dogmata « quae Fidei sunt, non sunt tentanda probari « nisi per auctoritates (*divinae revelationis*) his qui (*eas*) auctoritates « suscipiunt: apud alios vero (*qui revelationem nullam recipiunt*) suf- « ficit (*Cfr. n. 341*) defendere *non esse impossibile quod praedicat « Fides*. Unde Dionysius dicit cap. 2 *De Div. Nom. Si aliquis est qui « totaliter eloquiis* (divinis) *resistit, longe erit a nostra philosophia. « Si autem ad veritatem eloquiorum* scilicet sacrorum *respicit, hoc et « nos canone utimur* » (Hic, o).

344. Q. IV. *An Deus de* sua potentia extraordinaria *possit facere ut homo* extra visionem beatificam *habeat* **cognitionem intuitivam** *huius mysterii?*

R. *A*) Capreolus, in II. *Sent.* Dist. XXIII, Q. unica, asserit homini *pure* viatori *posse* a Deo concedi *videre intuitive* mysterium S.mae Trinitatis ; atque in favorem huius opinionis citat Scotum.

B) Durandus vero in I. *Sent.* Prol. Q. III ; et in II. *Sent.* Dist. XXIII, q. 2 tenet *id esse impossibile.*

C) Sententiae Durandi accedit sententia Caietani (Cfr. Bannez, *Com.* in h. a.) et quorumdam aliorum theologorum. — Pro solutione sit

c) **Conclusio II.** *Etiam secundum potentiam Dei extraordinariam* **videtur impossibile,** *quod homo viator* **extra visionem Dei beatificam** *cognoscat evidenter mysterium Ss. Trinitatis, seu evidenter videat Deum ut* in se *est* unus *et* trinus.

Prob. *Ratione theologica.* Cognitio, quam habet homo extra visionem beatificam, fit per speciem intelligibilem creatam seu finitam. — Atqui per nullam speciem intelligibilem finitam potest repraesentari Deus, secundum quod est in se **unus** et **trinus** (Cfr. Q. XII, artt. 2, 4, 5 et 8): item per nullam speciem creatam potest **evidenter demonstrari** (consequenter neque **cognosci** hoc idem mysterium S.mae Trinitatis, sicut supra n.° 337 ostensum fuit. — Ergo nec de potentia Dei absoluta videtur possibile, quod homo viator **extra** visionem Dei beatificam cognoscat evidenter mysterium S.mae Trinitatis (Cfr. hic, o).

345. **Scholium.** In responsione ad 3.m Angelicus notat quod, licet cognitio evidens et distincta mysterii Trinitatis divinae excedat vim naturalem nostri intellectus, tamen **conveniens** (i. e. necessarium ad *melius esse*) fuit, ut eius aliqualis notitia nobis a Deo communicaretur per Fidei lumen duplici ex causa.

« *Uno modo* ad recte sentiendum de *creatione* rerum. Per hoc « enim quod dicimus Deum omnia fecisse **Verbo Suo,** excluditur « error ponentium Deum produxisse res *ex necessitate naturae.* — « Per hoc autem quod ponimus in Eo processionem **Amoris,** osten- « ditur quod Deus non propter aliquam *indigentiam* creaturas pro- « duxit, neque propter aliam causam extrinsecam, sed propter **Amo-** « **rem** suae bonitatis. Unde et Moyses, postquam dixerat : *In princi-* « *pio creavit Deus coelum et terram* (Gen. I), subdit : *Dixit Deus :* « *Fiat Lux* (Ibid., v. 3), ad manifestationem divini **Verbi ;** et postea « dixit : *Vidit Deus lucem quod esset bona* (Ibid. v. 4), ad ostenden- « dum probationem divini **Amoris.** — Et similiter in aliis operibus (*sex dierum legitur*).

« *Alio modo* et principalius (*convenienter facta est nobis* revela- « tio *mysterii S.mae Trinitatis*) ad recte sentiendum de salute gene- « ris humani, quae perficitur per Filium (*Dei*) incarnatum et per do- « num Spiritus Sancti » (Hic ad 3.m — Cfr. Molina, *Com.* in h. a.).

Art. II. Utrum sint ponendae notiones in divinis.

346. Ex art. praec. habemus, quod per solam revelationem *supernaturalem* possimus cognoscere certitudinaliter Trinitatem divinarum Personarum secundum propriam uniuscuiusque Personae *formalitatem.* Remanet nunc, ut mentem nostram ad hanc supernaturalem lucem admoventes, indigitemus theologiae tyronibus has formalitates divinarum Personarum proprias, seu **notiones divinas** quibus unaquaeque Persona S.mae Trinitatis distincte a coeteris aliis nobis viatoribus manifestatur.

347. Et haec investigatio est theologo valde utilis ad explanationem et defensionem mysterii S.mae Trinitatis contra rationalistas. Consistit namque hoc mysterium in profitendo **tres** *divinas Personas* esse **unum** *Deum.* Ponamus ergo quod rationalista a theologo quaerat : **Quo principio** Personae divinae sunt **unum?**, theologus respondebit : **Deitate.** Sed, si rationalista ulterius instet quaerendo : **Quo principio** Personae divinae sunt **tres?**, theologus nequit aliter respondere, nisi proferendo *notiones divinas quibus* scilicet *unaquaeque divina Persona nobis* apparet **distincta** *a coeteris aliis ;* ut-

puta dicendo: *Personae divinae sunt* **tres,** *quia* **totidem numero** *sunt* Paternitas, Filiatio *et* Processio (Cfr. hic, o).

348. Circa istas notiones vero tria occurrunt declaranda, nimirum:

α) An sint (art. praes.),

β) Quot sint (art. seq.),

γ) De earum certitudine quoad nos (art. 4 h. q.).

349. A primo igitur quaesito incipientes disputare, animadverte in titulo:

1.° τὸ *sint ponendae in divinis* valet idem ac τὸ *exsistant* realiter ac formaliter *in divinis Personis.* Haec explicatio deducitur ex dictis in expositione tituli Art. 1 QQ. XXVII (Cfr. nn. 21-23).

2.° Perpende in eodem titulo τὸ *notio* esse contractionem vocis **nominatio** (Cfr. pseudo Dionysium in Lib. *De Divin. Nomin.* cap. 1), aut vocis **notificatio** (Cfr. art. seq. ad 2.m), et propterea saepissime a Tullio (Lib. III. *De Offic.*) et a philosophis **notio** usurpatur pro *definitione* aut *cognitione* rei, ut quum dicimus alia est *notio hominis,* alia *bovis,* alia *leonis* etc. Sed a theologis in tractatu de S.ma Trinitate τὸ *notio* accipitur ad significandum « id quod est « propria ratio cognoscendi divinam Personam » (art. seq. o. — Cfr. hic, o, et ad 2.m). — Ad cuius definitionis intelligentiam adverte, quod in Deo, licet unica sit realitas simplicissima, tamen quum illa realitas sit *infinita,* neque possit in sua totalitate a nostro intellectu comprehendi (Cr. Q. XII, art. 7), propterea possumus, *tum* in divina natura *tum* in Personis divinis, distinguere *virtualiter* per nostrae mentis operationem *varias* earumdem Personarum *formalitates.*

A) Illa formalitas, seu nota, exsistens *specialiter* in aliqua Persona divina, et per quam notam cognoscimus Personam illam, eamque *distinguimus* ab aliis, vocatur *notio divina.* Et sub hac postrema acceptione fit sermo de divinis notionibus in hoc et sequentibus articulis.

350. **Scholium.** Nomen *notio* in sensu theologico occurrit in translatione latina Epistolae quam Patres Synodi Antiochonae miserunt contra errores Pauli Samosateni ad S. Dionysium PP., et in versione latina Epistolae XLIII S. Basilii M. agentis de distinctione Personarum divinarum; item in S. Augustino Lib. V *De Trinit.* cap. 6 ubi ait: « Alia *notio* est qua intelligitur **Genitor,** et alia qua in« telligitur **Genitus** » et apud alios Patres, Augustino posteriores:

quorum testimonia congessit P. Suárez (Lib. VII *De Trinit.,* cap. 1) et P. Vasquez (Hic Disp. CXXXVI, cap. 2). — At

351. Q. *Quo indicio, seu criterio cognoscere poterimus nomina* vere exprimentia *divinas notiones?*

Praenota. Ad hoc ut nomen aliquod *vere* exprimat divinam notionem, oportet quod habeat *quinque* sequentes conditiones:

1.° quidem quod tale nomen significet realitatem, non communem tribus divinis Personis sed *propriam* **uni** vel ad summum **duabus** divinis Personis. — Si namque significaret aliquid commune *tribus* divinis Personis, talè nomen evidenter non ostenderet nobis distincte *unam* aut *alteram* divinam Personam, sed **solam** realitatem divinam tribus Personis communem (Cfr. I. *Sent.* Dist. XXVI, Q. II, art. 3; et Dist. XXXIII, art. 2);

2.° oportet quod exprimat formalitatem pertinentem ad **dignitatem.** — Etenim *Persona* designat *id quod est dignissimum in* **tota** *natura* (Cfr. Q. XXIX, art. 3 ad 2.m); unde si *notio* sit vere nomen proprium Personae divinae, oportet quod designet formalitatem pertinentem ad quamdam divinae naturae dignitatem (Cfr. hic, o).

3.° oportet quod designet formalitatem pertinentem ad **originem** aut **relationes divinas.** — Etenim **notio** denotat formalitatem *propriam* divinae Personae, idest formalitatem qua vel *Persona* distinguitur ab *essentia divina,* vel *una* divina Persona distinguitur ab *alia.* Huiusmodi antem sunt nomina quae *vel* relationes divinas *vel* origines Personarum divinarum significant. Ergo *nomen,* vere exprimens *notionem divinam,* debet designare formalitatem pertinentem ad **originem** seu **relationes divinas.** Q. E. D. (Ibid.).

4.° oportet ut tale nomen non sit aliquid *concretum* sed sit nomen **abstractum.** — Equidem differentia inter nomen *abstractum* et nomen *concretum* est, quod nomen *abstractum* designat rem per modum *formae* qua aliquid *est* tale, sicut *humanitas* est **id quo** homo *est* homo; e contra nomen *concretum* designat rem per modum *suppositi* seu *subsistentis, homo* enim denotat *id quod subsistit* in natura humana. — Iamvero **notiones** sunt principia, quibus Personae divinae manifestantur nobis tamquam **constitutae** in proprio *esse,* et **distinctae** ab *aliis.* — Ergo recte **notio** divina debet exprimi per nomen **abstractum** (Cf. Caiet, *Com.* in h. a.).

5.° oportet ut tale nomen exprimat formalitatem *propriam* alicui divinae Personae *non solummodo* per ordinem ad *eamdem* aut *alias*

divinas Personas, sed etiam et **praecipue** per ordinem ad *nostrum intellectum* cognoscentem; quoniam **notio** est formale principium **distincte** a nobis **cognoscendi** Personas divinas. —

Hinc recapitulando omnes has quinque conditiones in unum, habemus quod

A) *Notio* possit definiri dicendo: «Est **nota** seu formalitas divina «*nomine abstracto* expressa, qua *distincte* cognoscitur a nobis *ali*- «*qua divina Persona,* quaeque **nota** ad eiusdem Personae *originem* «aut *dignitatem* pertinet» (Cfr. n.° 349, § *A*).

352. His praenotis, sensus h. a. est iste:

Utrum **notio** *aliqua divina exsistat* formaliter *in Personis divinis?*

A) Petrus Praepositivus, natione Longobardus, Doctor et Cancellarius Sorbonicus, qui saec. XIII vitam finivit, negative respondit huic quaesito hac ductus ratiuncula. — In quocumque, aiebat ipse, invenitur *abstractum* et *concretum,* in eo invenitur *compositio quaedam.* In divinis autem nulla compositio inveniri potest. Ergo nomina *abstracta* non sunt ponenda in Personis divinis. — Iamvero *notiones* sunt formalitates quaedam significatae in *abstracto,* utputa *Paternitas* etc. Ergo huiusmodi *notiones* non sunt ponendae *vere ac proprie* in divinis Personis (Cfr. hic, o et ad 3.m).

Verum, quum animadvertisset Praepositivus S. Scripturam uti nominibus abstractis circa Personas divinas, ut in illo: «Flecto ge- «nua mea ad Patrem Domini Nostri Iesu Christi ex quo omnis **Pa**- «**ternitas** in coelo et in terra nominatur» (Ephes. III, 14-15), exsistimavit, quod, quando huiusmodi nomina *abstracta* inveniuntur in divino eloquio, illa sunt interpretanda pro *concretis.* Sicut enim, addebat Praepositivus, quando dicimus: *Rogo benignitatem tuam,* sensus est: *Rogo te benignum,* ita quoque quando S. Scriptura nominat *Paternitatem,* intelligendus est *Deus Pater* (Hic, o et loc. cit.).

Sententia Petri Praepositivi coincidit quasi in idem cum errore Gilberti Porretani (Cfr. Q. III, art. 3, o, et ad 1.m) et ex eadem falsa radice procedit. Quemadmodum enim Gilbertus, ne videretur laedere Dei simplicitatem, noluit admittere nomina *essentialia* et *in abstracto,* ex. gr. *Deitatem, Sapientiam, Bonitatem, Vitam* etc., posse praedicari **proprie** de Deo, sed explicabat illa nomina in sensu *concreto,* quasi *Deus* est *vita,* significaret idem ac: *Deus* est *vivens:* pari modo Praepositivus ob timorem laedendi Dei simplicitatem erra-

vit dicendo nomina personalia *in abstracto* non posse dici *proprie* de Deo.

Gregorius Ariminensis (I. *Sent.* Dist. XXVI, Q. unica, art. 2) et Gabriel Biel (Ibid. Dist. XVIII, Q. I, art. 3, *Dub. 1.°*) Praepositivum sequuntur in hac parte (Cfr. Capreolum, Ibid. Dist. XXVI). — Sed

a) *Praepositivi sententia est reiicienda.*

Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° Tota ratio propter quam Praepositivus noluit admittere usum nominum *abstractorum* et *concretorum* quando loquimur de divinis Personis, est timor laedendi simplicitatem Personarum divinarum. — Atqui vanus est timor iste. — Ergo omnino vana est positio Praepositivi.

Prob. min. Non minoris simplicitatis est τὸ *Deus* vel quodlibet *attributum Dei absolutum,* quam *Persona divina;* sicut evidens est apud omnes theologos. — Atqui, quando loquimur de *Deo* vel de *attributis Dei absolutis,* utimur tum nominibus *abstractis* tum nominibus *concretis:* siquidem dicimus: *Deus* est *sua Deitas, sua vita,* etc. — Ergo *a pari,* loquendo de *Persona divina,* iure utimur tum *nominibus concretis,* videlicet *Pater* vel *Genitor, Filius* vel *Genitus* etc.; tum nominibus *abstractis* ad eam **unam** Personam *attinentibus,* seu **divinis notionibus** (Cfr. n.° 351, *A*), utputa nominando *Paternitatem, Filiationem,* etc.

2.° Praeterea in praesenti vita (Cfr. hic, o, et ad 3.m) intellectus noster non cognoscit Deum secundum quod *in semetipso exsistit,* sed Deum cognoscit per *analogiam ad creaturas* praecipue *sensibiles* (Cfr. Q. III, art. 3 ad 1.m et Q. XIII, art. 1). Unumquodque autem, secundum quod *cognoscimus,* ita quoque *nominamus;* eo quod nomina sunt signa conceptionum mentalium. Et ideo in *praesenti vita* nos cogimur ea, quae in Deo realiter exsistunt, nominare non secundum modum quo *in Deo sunt,* sed **analogice** ad modum secundum quem similes formalitates inveniuntur in creaturis *praesertim* sensibilibus. (Hic canon est iugiter a theologo prae mente habendus, ne inde contingat confundere ordinem *ontologicum* cum ordine *logico* **praesertim** nostrae vitae intellectivae).

Age vero, quando loquimur de rebus corporalibus, nos distinguimus *abstractas* formalitates a formalitatibus *concretis,* atque utimur nominibus *abstractis* ad significandum earum *simplicitatem,* utimur autem nominibus *concretis* ad significandum earum *subsistentiam.* Ergo *a pari* circa divinas Personas nos in praesenti vita convenien-

ter distinguimus formalitates *abstractas* a *concretis,* atque utimur nominibus *abstractis* ad significandum divinas Personas tamquam *res simplices,* utimur vero nominibus *concretis* ad significandum divinas Personas per modum *rei subsistentis.* — Consequenter **usus** horum nominum circa divinas Personas non praeiudicat *simplicitati* earum. (Hic, o, et loc. cit.).

B) Sententia Praepositivi reiecta, sequitur

b) **Conclusio.** *Necesse est ponere in divinis Personis* **notiones** *quasdam.*

Nota. Conclusio docetur unanimiter a Scholae Theologis contra Praepositivum. At contradicere unanimi theologorum sensui *in re tam gravi,* qualis est praesens S.mae Trinitatis mysterium, est *temerarium* atque *haeresi proximum* (Cfr. M. Canum Lib. VIII. *De Loc. Theol.* cap. 4). Unde conclusio haec tamquam *certa* atque *Fidei proxima* est retinenda. Videlicet, quemadmodum Gilberti positio, nolens in Deo inveniri distinctionem inter *abstractum* et *concretum* quantum ad nomina *essentialia,* damnata fuit an. 1148 ab Eugenio PP. III in Conc. Rhemensi; pari modo poterit error iste Praepositivi damnari tamquam haeresis per Ecclesiae publicum iudicium (Cfr. hic ad 1.m et art. 4 h. q., o; item Bannez, *Com.* in h. a.).

Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° Catholici Doctores debent habere nomina apta ad recte loquendum circa mysterium Ss. Trinitatis. Unde, quum confiteantur *Patrem* et *Filium* et *Spiritum Sanctum* esse *unum Deum* et *Tres Personas,* debent habere nomina opportuna tum ad explicandam *formalitatem* qua tres Personae sunt **unum,** tum ad indicandum *formaliatem* secundum quam *unaquaeque* Persona secernitur **ab aliis.** Videlicet debent habere nomina **essentialia** *abstracta* ad hoc ut per ea possint respondere haereticis quaerentibus: **Quo principio** Pater et Filius et Spiritus Sanctus *sunt* **unus Deus?** Et similiter debent habere **personalia** *abstracta* per quae respondeant eisdem infidelibus quando quaerunt: **Quo principio** Pater **distinguitur** a Filio, vel a Spiritu Sancto?

Iamvero *notiones* nihil aliud sunt, quam **principia** seu **formalitates** obiectivae, quibus nobis manifestatur *distinctio* **unius** divinae Personae a **duabus aliis.** — Ergo in divinis poni debent *notiones* (Hic, o et loc. cit.).

2.° Praeterea necessarium est Doctori Catholico habere nomina apta ad exponendum ea quae Fides praedicat de S.ma Trinitate. —

Atqui profitemur in **una** Persona Dei Patris inveniri **duas numero** relationes *specifice* distinctas, videlicet *Paternitatem* per quam Ipse refertur ad **solum** Dei Filium, et *Spirationem Activam* per quam Ipsemet refertur ad **solum** Spiritum Sanctum. — Ergo Doctori Catholico sunt necessaria nomina *apta* ad exprimendum pluralitatem relationum *specificarum* in **una** Dei Patris Persona exsistentium: patet. — Iamvero **notiones** divinae, *obiective* consideratae, non sunt aliud quam **nomina** manifestantia nostro intellectui ea quae Fide credimus in Deo esse. — Ergo necesse est in divinis Personis *notiones quasdam* esse.

Omnia sunt *per se* clara, excepta veritate primae *minoris* in qua asseritur, quod relatio *Paternitatis* et relatio *Spirationis Activae,* quae sunt in Deo Patre, sint **duae** *specifice* distinctae relationes. Probatur ergo ista minor sic: Relativa, utpote *ad aliud* se habentia, concipiuntur et distinguuntur, quemadmodum **motiones,** videlicet speciem recipiunt a **termino** relativo quem *essentialiter* respiciunt. Unde impossibile est, quod *una eademque* specifice *relatio* terminet ad *duos* vel *plures* **terminos relativos specifice** inter se distinctos. — At relatio divina, quae dicitur *Spiratio passiva* seu **Processio,** quaeque correlative respondet ad *Spirationem Activam,* distinguitur **specifice** a *Filiatione* quae correlative respondet ad *Paternitatem* (quia sicut ostendimus Q. XXVIII, art. 4, *Processio Spiritus Sancti* non potest dici *Generatio* in divinis). — Ergo est impossibile quod *Paternitas divina,* et *Spiratio Activa* quae in Deo Patre inveniuntur, sint **una eademque** *specifice* relatio, sed debent esse **duae** relationes inter se *specifice* distinctae (Hic, o. — Cfr. Caiet. *Com.* in h. a. et Bannez *Com.* in art. seq.).

353. **Corollaria.** 1.° In divinis igitur non solum invenitur terminus *qui,* idest divina Persona, sed etiam terminus *quod* seu divina essentia, ac terminus *quo* videlicet proprietas personalis seu **notio** (Hic, o).

« 2.° α) Notiones (*Cfr. n. 351, 4.°*) significantur in divinis non « ut res (*subsistentes*) sed ut rationes quaedam (*abstractae*) quibus « cognoscuntur Personae, licet ipsae notiones vel relationes realiter sint in Deo, ut supra (Q. XXVIII, art. 1) dictum est. (*Atqui relatio,* abstracte *sumpta, non est, neque potest concipi tamquam principium reale agendi sive uti* suppositum quod *agit, neque tamquam* terminus « *per se actionis: patet.*) Et ideo quae habent ordinem aliquem ad

« actum aliquem *essentialem* et *personalem*, non possunt dici de *no-*
« *tionibus*, quia hoc repugnat modo significandi ipsarum. Unde non
« possumus dicere, quod Paternitas *generet* vel *creet*, sit *sapiens* vel
« *intelligens*.

β) « Essentialia vero (*attributa*) quae non habent ordinem ad ali-
« quem actum, sed removent conditiones creaturae a Deo, possunt
« praedicari de notionibus. Possumus enim dicere, quod *Paternitas*
est *aeterna* vel *immensa*, vel quodcumque huiusmodi.

« γ) Et similiter propter identitatem rei (*i. e.* realem *inter* notio-
« nes *atque* nomina substantiva *personalia*) possunt substantiva per-
« sonalia et esssentialia praedicari de notionibus. Possumus enim
« dicere quon *Paternitas* est *Deus*, et *Deitas* est *Pater*» (Hic ad 2.m
— Cfr. Q. XXXIX, artt. 1, 4, 5 et 6; item Caiet. et Bannez, *Com.* in h. a.).

Art. III. Utrum sint quinque notiones.

354. « Titulus intendit de numero quinario *adaequate;* ita quod
« neque *plures* neque *pauciores* sint notiones quam *quinque* » (Caiet. *Com.* in h. a.), videlicet *Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Communis Spiratio* et *Processio*.

355. « In hac quaestione Scotus in I. *Sent.*, Dist. XXVIII, Q. II
« valde dubitat *An* inspirabilitas *debeat poni* **notio** Filii, non tamen
« audet hoc diffinire, ne a communi Sanctorum sententia discedat »
(Bannez, *Com.* in h. a.). Etenim communis Ss. Patrum et Theologorum sententia est, prout sequitur

Conclusio. *Notiones divinae sunt* **quinque,** *videlicet* **Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Communis Spiratio** *et* **Processio.**

Nota. Nonnisi *temerarie* conclusio ista negari potest (Bannez, loc. cit.).

Prob. *Ratione theologica.* Equidem notio divina nihil est aliud quam formalitas propria (seu ratio formalis) qua a nobis *distincte* cognoscitur aliqua ex Personis S.mae Trinitatis (Cfr. n. 351, *A*). Unde **tot** numero sunt notiones divinae **quot** numero sunt omnes formalitates propiae (seu rationes formales) quibus a nobis *distincte* cognosci possunt Personae S.mae Trinitatis.

Atqui omnes formalitates propriae quibus a nobis *distincte* co-

gnoscitur aliqua ex Personis S.mae Trinitatis, sunt quinque videlicet *Innascibilitas, Paternitas, Filiatio, Communis Spiratio,* et *Proessio.* Probabo.

Ergo pariter notiones ipsae divinae sunt solummodo quinque, videlicet *Innascibilttas, Paternitas,* etc.

Prob. min. Revera Persona **prima** S.mae Trinitatis potest a nobis *distincte* cognosci: **primo** per hanc formalitatem quod scilicet ipsa *a nulla alia* divina Persona procedit, et sic innotescit per notionem quae dicitur **Innascibilitas; secundo** potest a nobis *distincte* cognosci per hanc formalitatem quod scilicet ab ipsa **sola** procedit Dei Verbum seu *Filius Dei,* et sic innotescit per notionem quae dicitur **Paternitas** divina.

Deinde **secunda** Persona S.mae Trinitatis potest a nobis *distincte* cognosci secundum quod a **solo** Deo Patre procedit; et sic nobis innotescit per notionem quae dicitur **Filiatio** divina.

Adhuc **primae duae** Personae **simul sumptae** possunt a nobis *distincte* cognosci per hoc quod ab **ipsis** tamquam ab **unico principio** procedit tertia Persona S.mae Trinitatis seu Spiritus Sanctus; et sic **utraque Persona** nobis innotescit per notionem quae dicitur **Communis Spiratio.**

Denique **tertia** Persona Trinitatis non potest a nobis *distincte* cognosci per hoc quod ab ipsa procedat *alia* divina Persona, quia secundum Fidem Catholicam non datur quarta divina Persona: sed potest a nobis *distincte* cognosci per hoc quod a *Deo Patre* et a *Deo Filio* tamquam ab **unico principio** procedit; et hoc modo *Spiritus Sanctus* nobis innotescit per notionem quae dicitur **Processio.**

Sic igitur summando omnes istas notiones, habemus quod omnes formalitates propriae etc. Q. E. D. (Hic, o).

356. **Inferes.** 1.° Ex quinque notionibus *quatuor* tantum sunt relationes proprie dictae, videlicet: *Paternitas, Filiatio, Spiratio* et *Processio.* — Etenim, sicut inferius (Cfr. Q. XXXIII, art. 4 ad 3.m) dicetur, *innascibilitas* non est **relatio** nisi reductive (Hic, o).

2.° Ex quinque notionibus *quatuor* tantum sunt proprietates, videlicet: *Innascibilitas, Paternitas, Filiatio* et *Processio.* — Etenim *Communis Spiratio,* quum conveniat **simul** Deo Patri ac Dei Filio, non potest dici **proprietas** (Ibid.).

3.° Ex eisdem quinque notionibus *tres* tantum sunt relationes personales, hoc est constituentes **unam** divinam personam, videlicet:

Paternitas, Filiatio et *Processio*. — Etenim *Innascibilitas* et *Communis Spiratio* dicuntur notiones **personarum** magis quam notiones *personales* sicut inferius Q. XL, art. I ad 1.m dicetur (Ibid.).

357. **Scholium I.** Spiratio Activa quae est in Deo Patre, et Spiratio Activa quae est in Dei Filio, *non distinguuntur realiter* inter se, sed sunt realiter identica.

Decl. Etenim in Deo omnia sunt **unum realiter,** nisi inter ea adsit oppositio relativa; seu, ut phrasi S. Anselmi utamur, *Unitas non amittit suam consequentiam, ubi non obviat aliqua relationis oppositio* (*Lib. De Proc. Spirit. Sancti,* cap. 2).

Atqui *Spiratio Activa* quae est in Deo Patre, et *Spiratio Activa* quae est in Deo Filio, non habent inter se oppositionem relativam, sed potius sunt **unicum** principium a quo procedit Spiritus Sanctus: sicut Fides Catholica praedicat.

Et ideo utraque Spiratio Activa sunt inter se *realiter* identicae. Cfr. hic, o.

358. Obiic. *Filius Dei* non spiratur *a Deo Patre; item Spiritus Sanctus* non generatur *a Deo Patre et a Dei Filio: denique* τὸ esse ab alio *quod convenit tum Filio Dei tum Spiritui Sancto videtur esse eorum* communis notio. *Et ideo videtur in Dei Filio ponenda* Non-Spirabilitas *tamquam* nova notio; *et similiter in Spiritu Sancto* Ingenerabilitas *tamquam* nova notio; *et in utrisque* notio τοῦ esse ab alio.

R. Nego consequens. Equidem triplici ex causa *Ingenerabilitas* relate ad Spiritum Sanctum, et *Non-Spirabilitas* relate ad Filium Dei, non possunt dici *Notiones.*

*I.*a *causa* est quam indicavimus ex Angelico Doctore. Etenim *omnis notio* exprimit semper aliquid pertinens ad *specialem* Personae *dignitatem* (Cfr. n. 351, *A*). — Iamvero *Non-Spirabilitas,* seu non esse spiratum a Deo Patre, non dicit *dignitatem* seu perfectionem *specialem* et personalem in *Filio Dei;* similiter *Ingenerabilitas,* seu non procedere per modum generationis a *Deo Patre* aut a *Filio Dei,* non exprimit aliquam *specialem* perfectionem seu dignitatem personalem in *Spiritu Sancto:* sed dignitas *specialis* in Dei Filio habetur per *Filiationem Dei,* et dignitas *specialis* in Spiritu Sancto invenitur per eius *Processionem* a Deo Patre eiusque Filio. — Et ideo merito *Non-Spirabilitas* non ponitur notio *Filii Dei,* et *Non-Generabilitas* non computatur tamquam notio *Spiritus Sancti.*

II.ª causa est quia *Non-Spirabilitas* et *Non-Generabilitas* non exprimunt formalitatem aliquam seu perfectionem *essentialiter* divinam, sed possunt aeque convenire creaturis. Adamo etenim convenit *Non-Spirabilitas* a Deo Patre, et tamen Adam creatura fuit. Similiter Adamo convenit *Non-Generabilitas,* quoniam non fuit genitus ab alio homine, sicut fabulatus est an. 1655 Isaac de la Peyrère circa *Praeadamitas,* sed creatus fuit *immediate* a Deo prouti Gen. I, 27 legitur. — E contra *Innascibilitas,* seu τὸ *non ab alio genitus,* denotat in Deo Patre maximam dignitatem, quoniam recognoscit in Ipso **fontem** omnium quae tam in aliis divinis Personis quam in creaturis inveniuntur. — Sumitur haec ratio ex S. Augustino Lib. V *De Trinit.,* cap. 8.

III.ª causa assignatur a S. Hilario in Lib. *De Synodis,* super can. 26, videlicet: « ad commendandam unitatem divinae naturae. Po- « nendo siquidem *innascibilem* unam Personam, ponitur **unum** prin- « cipium et caput in natura divina. Inquit enim Hilarius, quod ponere « **duos** innascibiles (*in natura divina*) est ponere **plures** Deos et « **plures** naturas divinas; ac per hoc ponere **unum** innascibilem « commendat unitatem divinae naturae. Propter quod sacri Doctores « non *qualitercumque* ponunt innascibilitatem esse notionem, sed ut « *propria* est Patri; ita quod (*ut sic*) nec essentiae nec Spiritui San- « cto convenit » (Caiet., *Com.* in h. a.).

α) Denique τὸ *esse ab alio* non exprimit aliquid *speciale* pertinens ad *dignitatem* Personae divinae, sed est aliquid *commune* tam Personis divinis quam creaturis, ut per se patet. Et ideo, quia *notio* debet esse aliquid essentialiter pertinens ad divinas Personas, τὸ *esse ab alio* non potest connumerari inter notiones divinas. Cfr. Suárez, Lib. VIII *De Trinit.,* cap. 2; Vasquez, Hic, Dispp. 147, cap. 4; etc. Ex dictis sequitur

359. **Corollarium.** *Actus notionalis,* i. e. operatio procedens a Persona divina, *non est ipsa notio.* — Revera *actus notionalis,* utpote operatio procedens a persona divina, est *aliquid concretum* **emanans** a Persona divina aut **terminans** ad Personam aliquam divinam.

E contra *notio divina* est formalitas *nomine abstracto* expressa, et manifestans nobis aliquam divinam Personam (Cfr. n. 351, 5.° *A*).

Ergo actus notionalis non est notio divina.

360. **Scholium II.** *A*) « Harum (*quinque notionum*) tantum qua-

« tuor (*videlicet* Paternitas, Filiatio, Spiratio, *et* Processio) sunt rela- « tiones : nam Innascibilitas (*quum non exprimat* formaliter *ordinem* « *ad terminum aliquem positivum*) non est relatio (*realis — Cfr. n.* « *146*) nisi per reductionem (*ad ipsam Paternitatem*) ; ut infra Q. « seq. art. 4 ad 3.m dicetur » (Hic, o).

B) Praeterea, « si hoc in *proprietatis* ratione observetur ut *pro-* « *prium* esse dicatur quod convenit **uni soli** (S. Thom. Opusc. II, « cap. 59), quatuor tantum (*ex suprapositis notionibus*) proprietates « sunt. Nam *Communis Spiratio* non est proprietas, quia convenit « **duabus** Personis » (Hic, o), videlicet Patri et Filio.

C) Rursum ex quinque notionibus « tres sunt notiones Persona- « les, idest constituentes Personas, scilicet Paternitas, Filiatio et « Processio ; nam Communis Spiratio et Innascibilitas dicuntur *no-* « *tiones Personarum,* non autem *Personales,* ut infra Q. XL, art. 1 « magis patebit » (Hic, o).

361. Propter hoc quod Deo est una essentia, Ipse dicitur *unus ;* propter hoc quod in Deo sunt tres Personae, Ipse dicitur trinus. — Fit inde.

Q. I. *Nonne poterit Deus dici* QUINUS, *ex eo quod in Ipso sunt* **quinque notiones ;** *aut* QUATRINUS, *ex eo quod in Ipso inveniantur* **quatuor proprietates ?**

R. *Negative.* Etenim unumquodque nominatur **tale** ex his quae ei conveniunt prouti est *in seipso,* non autem ex his quae ei conveniunt per ordinem *ad nostrum modum* cognoscendi illud. Per se patet.

Iamvero « *essentia* in divinis significatur ut **res** quaedam (*singu-* « *laris in natura*), et similiter *personae* significantur ut **res** quaedam « (*subsistentes individualiter in Deo*) : sed *notiones* significantur ut « rationes (*abstractae ab ipsis divinis Personis, atque nobis in prae-* « *senti vita*) notificantes Personas. Et ideo, licet dicatur Deus **unus** « propter *unitatem essentiae,* et **trinus** propter *Trinitatem Persona-* « *rum,* non tamen dicitur **quinus** propter *quinque notiones* » (Hic ad 2.m).

Et similiter, quia *proprietates* significantur tamquam *formae* non quidem concrete subsistentes, sed potius uti formae differentiantes divinas Personas, propterea ex *quaternitate proprietatum* Deus ne- quit dici **quatrinus.** — Sit nunc

362. **Q. II.** *An* Paternitas *et* Communis Spiratio, *quae sunt in* Deo Patre, *sint relationes invicem* realiter *distinctae ?*

R. *Negative.* Et sane relationes mutuo oppositae nequeunt coadunari in *eadem* divina Persona, prouti supra in Q. XXX, art. 2 exposuimus: secus cum Sabellio dici posset, quod Persona Dei Patris et Persona Filii Dei sint una eademque Persona divina. Unde «cum «sola oppositio relativa faciat pluralitatem (*seu distinctionem*) rea«lem in divinis, plures proprietates unius Personae, cum non oppo«nantur ad invicem relative, non differunt realiter» (Hic ad 3.m). Et ideo *Paternitas* et *Communis Spiratio* quae sunt in Deo Patre (et similiter *Filiatio* et *Communis Spiratio* quae sunt in Dei Filio) non distinguuntur invicem realiter sed sola ratione ratiocinata seu **virtualiter.**

α) «Nec tamen (**et hoc nota!!...**) de se invicem praedicantur «(*Paternitas* et *Communis Spiratio*), quia significantur ut diversae «rationes Personarum: sicut etiam non dicimus, quod attributum po«tentiae sit attributum scientiae, licet dicamus quod *Scientia* sit *Po«tentia*» (Hic ad 3.m) in Deo.

Art. IV. Utrum liceat contrarie opinari de Notionibus.

363. In titulo ad τὸ *liceat* supple absque periculo aut crimine haereseos: agitur siquidem de liceitate in rebus Fidei, sicut ex corpore articuli apparet.

364. Item τὸ *de notionibus* interpretandum est *amplissime* secundum quod comprehendit doctrinam superius traditam circa *exsistentiam* necnon circa *numerum* notionum divinarum: iste namque articulus complet quodammodo doctrinam duorum articulorum *immediate* praecedentium (Cfr. Nazarium, *Com.* in h. a.).

365. *Opinio* autem est *assensus,* sive *adhaesio, intellectus* **uni** parti *contradictionis* cum **formidine** partis *oppositae* (Cfr. P. II-II, Q. I, art. 4, o). Et utitur Angelicus voce *opinari;* quoniam omnis assertio contra doctrinam Ecclesiae, quae est *columna et firmamentum veritatis* (I. Tim. III, 15), nequit esse vera, et rursum omnis adhaesio intellectus in propositionem non cognitam uti veram non potest esse ad summum, nisi *opinio.*

366. Atqui in duobus articulis praecedentibus constituimus ex doctrina Ss. Patrum et Ecclesiae Catholicae:

primo *notiones* aliquas esse ponendas *realiter* in Deo;

secundo has notiones esse tantum *quinque.*

Atqui contra *primam* propositionem est haec :

α) *Nullae notiones exsistunt* realiter *in divinis.*

Contra *alteram* autem militat sequens affirmatio :

β) *Notiones divinae* sunt *pauciores* vel *numerosiores* quam *quinque.*

Et ideo de propositionibus α) et β) est intelligendum τὸ *contrarie opinari* positum in titulo.

367. Unde sensus praesentis articuli est iste: *Utrum absque* periculo *aut* crimine *haereseos sit licitum* opinari α) *vel quod* nullae exsistant *realiter* notiones in divinis, β) *vel quod* istae notiones sint plures *vel* pauciores quam **quinque?**

368. Verum S. Thomas, suo more, uberius quaestionem resolvit, regulas subministrando *generales* quantum ad liceitatem opinandi circa veritates divinitus revelatas. Ea propter praenota 1.° « quod « ad Fidem pertinet aliquid dupliciter :

A) « uno modo **directe,** sicut ea quae nobis sunt *principaliter* di- « vinitus tradita (*idest* publice *ac* solemniter *nobis proposita ad* cre- « dendum *per Ecclesiae auctoritatem*), ut *Deum esse trinum* et *unum,* « *Filium Dei esse incarnatum* et huiusmodi.....

B) « (*Alio modo*) **indirecte** vero ad Fidem pertinent ea ex qui- « bus negatis consequitur aliquid contrarium Fidei ; sicut si quis di- « ceret *Samuelem non fuisse filium Elcanae :* ex hoc enim sequitur « Scripturam Sacram (Cfr. I. Reg. I, 20) esse falsam » (Hic, o. — Cfr. P. II.ª-II.ae, Q. I, art. 6 ad 1.m; et Q. II art. 5, o ; et Q. XI, art. 2, o). Quae conclusio est evidenter contra solemnem Ecclesiae definitionem (Cfr. Concil. Vaticanum, Sess. III, § 2 *De Revel.,* can. 4).

Sed haec quae *indirecte* ad Fidem pertinent sunt in triplici differentia.

α) Aliqua enim ex *indirecte* pertinentibus ad Fidem fuerunt processu temporis ab Ecclesia *dogmatice* definita et *nobis* proposita ad credendum ; uti haec : « B. Maria Virgo fuit sine labe originali con- « cepta ».

β) Alia ex *indirecte* ad Fidem pertinentibus nondum ab Ecclesia fuerunt *dogmatice* definita, attamen ab omnibus Christifidelibus unanimi consensione Fide divina creduntur, uti haec : « Deipara Virgo « Maria post mortem fuit corpore et animo assumpta in coelum »

γ) Alia demum ex *indirecte* ad Fidem pertinentibus nondum sunt per Ecclesiae iudicium infallibiliter determinata, sed adhuc sunt hinc inde sub disputatione theologorum, uti haec: « Character sacramen-« talis pertinet *reductive* ad secundam speciem **qualitatis** ».

369. Exinde intelligi possunt qualificationes variae propositionum ad Christianam Fidem attinentium, videlicet:

A) Propositio enuntians (Cfr. n. praec.) veritatem *directe* pertinentem ad Fidem, aut, licet *indirecte* pertinentem ad Fidem, **solemniter** tamen ab Ecclesiae iudicio definitam, nominatur **propositio dogmatica**; et vicissim

α) ei *contradictorie opposita* propositio nominatur propositio **obiective** *haeretica.*

B) Propositio enuntians (Cfr. n. praec.) propositionem *indirecte* pertinentem ad Fidem, ab universali tamen Ecclesia *publice* retentam sed nondum *dogmatice* definitam, nominatur **propositio Catholica,** seu **Fidei proxima**; et vicissim

b) ei *contradictorie opposita* propositio nominatur propositio **acatholica** aut *haeresi* obiective *proxima.*

C) Propositio enuntians (Cfr. n. praec.) propositionem *indirecte* ad Fidem pertinentem, et de qua adhunc hinc inde theologi *libere* disputant, appellatur propositio **adiaphora** obiective in *Fide Catholica;* et vicissim

c) ei *contradictorie opposita* propositio nuncupatur etiam propositio obiective **adiaphora** in Fide Catholica.

Nota propositiones *C*) et *c*), etsi obiective *adiaphoras* in Fide, posse mereri nonnumquam qualificationem *temeritatis* aut *erroris,* aut *offensivae piarum aurium,* aut alterius huiusmodi theologicae notae.

370. Praenota 2.° In homine qui opinatur aliquid contra ea quae *directe* aut *indirecte* pertinent ad Fidem sed iam fuerunt per Ecclesiae iudicium solemniter definita (Cfr. n. praec. § *A*), attendenda est tum dispositio ex parte *intellectus* eius, tum dispositio ex parte *voluntatis* eiusdem.

α) Ex parte *intellectus* eius qui contrarium Fidei opinatur, considerandum est: utrum id faciat *sciens* propriam opinionem esse **contra** Fidem ab Ecclesia solemniter determinatam; an e contra id faciat *ignorans* seu non advertens propriam opinionem esse **contrariam** Fidei ab Ecclesia solemniter determinatae.

β) Ex parte *voluntatis* eius qui contrarium Fidei opinatur opor-

tet considerare an hoc faciat *cum pertinacia,* volens scilicet sentire **contra** id quod Ecclesia determinaverit; an e contra faciat hoc *absque pertinacia* videlicet cum animo parato ad propriam opinionem deponendam semel cognito quod haec sua opinio sit **contra** solemnem Ecclesiae definitionem (Cfr. hic, o et loc. cit.). — Exinde deducimus, quod :

γ) Si quis *scienter* et *pertinaciter* opinaverit contra propositionem declaratam n.° 369, § *A*, est *formaliter* haereticus ; et

γ') huius hominis assertio dicenda est haeresis *formalis* (Ibid.).

δ) Si quis autem *ignoranter* et *absque pertinacia* opinaverit contra propositionem n.° 369, § *A* declaratam, est haereticus *materialiter ;* et

δ') eius assertio est dicenda haeresis *materialis,* non autem formalis (Ibid.).

ε) Pari modo, si quis *scienter* et *pertinaciter* opinaverit contra propositionem n.° 369, § *B* declaratam, non est formaliter haereticus, sed est *sapiens haeresim* aut *errans,* quoniam *implicite* sentit totam Ecclesiam in credendo errare posse : unde et

ε') eius assertio dicenda est assertio *haeresi proxima* aut *error in Fide* (Ibid.).

ζ) Demum, si quis *scienter* ac *pertinaciter* opinaverit contra propositionem n.° 369, § *C* declaratam, *nullum haereseos crimen* incurrit, sed forte *temeritatis* etc. unde et

ζ') eius opinio non est dicenda haeresis, sed **forte** *temeritas* aut *error* etc. (Ibid.).

371. Praenota 3.°, quod « licet de notionibus non fiat (*explicita*) « mentio in S. Scriptura (*nec in aliquo Concilio*), fit tamen (*utrobi-* « *que*) mentio de Personis; in quibus intelliguntur (*implicite*) notiones, « sicut abstractum in concreto » (Art. 2 h. q. ad 1.^{m}). Etenim notiones divinae sunt formalitates quaedam personales abstractae ab eisdem. Si ergo doctrina de notionibus invenitur *implicite* contenta tum in S. Scriptura, tum in Conciliorum actis, nulli dubium esse poterit, quod doctrina de notionibus pertineat *indirecte* et *implicite* ad Fidem, seu contineatur *virtualiter* in dogmate catholico de tribus divinis Personis (Cfr. Bannez, *Com.* in h. a.).

372. His praesuppositis, sequitur

Conclusio. *Si quis falsum* opinaretur *circa notiones divinas* **absque voluntatis pertinacia,** *vel non advertens ex sua falsa opi-*

nione sequi aliquid contra dogmata *definita* ab Ecclesia *circa Fidem Trinitatis, talis homo* **non incurreret** *crimen* haeresis formalis, *sed esset* **solummodo** errans circa Fidem. — *At, si id retineret* **advertens** *ex sua falsa opinione sequi aliquid* **contra** dogmatice definita *ab Ecclesia circa Fidem Trinitatis,* **praecipue** *si hoc faciat* **cum pertinacia voluntatis,** *incurreret* crimen haereseos formalis, *quoniam in isto casu talis homo* **pertinaciter ac scienter discredit implicite** *ea quae* ab Ecclesia *sunt* dogmatice definita *de S.ma. Trinitate.*

Constat ex dictis (Cfr. hic, o).

QUAESTIO XXXIII

DE PERSONA PATRIS

373. **Prologus.** Expleto tractatu de divinis Personis in communi, disserendum est iuxta praemissa in prologo Q. XXIX de eisdem divinis Personis *in speciali,* videlicet de *notionibus* quibus unaquaeque Persona Trinitatis consuevit a nobis nominari seu designari.

374. Et, quoniam Deus Pater est *prima* Persona, a qua aliae duae procedunt, ideo considerandae sunt primo loco illae notiones, quae ad Personam Dei Patris spectant.

375. Et quantum ad hoc duo facit Angelicus: considerat nimirum:

prius notiones Dei Patris, quae *nominibus positivis* exprimuntur (artt. 1-3 h. q.);

deinde notionem *innascibilitatis,* quae *voce negativa* exprimitur (art. 4 h. q.).

376. Notiones autem, quae sub *vocibus positivis* Deo Patri attribuuntur, sunt praecipue **duae** videlicet τὸ *principium* ac τὸ *Pater.* — Et quia nomen *Principium* habet maiorem extensionem quam τὸ *Pater,* ideo Angelicus synthetice procedens disserit:

primo de notione **Principium,** secundum quod solet Deo Patri attribui (art. 1 h. q.);

deinde de notione «**Pater**» (artt. 2 et 3 h. q.).

Lucidus ordo et facilis.

ART. I. UTRUM COMPETAT PATRI ESSE PRINCIPIUM.

377. In titulo τὸ *Pater* denotat primam personam Trinitatis, et accipitur *formaliter* secundum quod scilicet distinguitur *realiter* a Deo Filio et a Deo Spiritu Sancto.

378. Rursum in eodem titulo τὸ *competat* significat idem ac *sit proprium* seu praedicetur cum omni proprietate sermonis.

379. Tandem circa τὸ *principium* adverte istud nomen etymologiam trahere a τῷ *prius,* ideoque importare *praecedentiam* unius supra alterum. Unde etymologice τὸ *principium* describi potest: *illud quod habet* praecedentiam *super alterum,* quod vocatur *principiatum* (Cfr. arg.m 3.m). Transumptum vero est hoc nomen *principium* ad significandum *illud a quo aliud procedit* **quocumque modo,** tum si *adsit,* tum si *absit* **praecedentia** unius super aliud. Ut enim scribit S. Thomas: « licet hoc nomen **principium,** quantum ad id a quo « imponitur ad significandum, videatur a prioritate sumptum non ta- « men significat *prioritatem* sed *originem.* Non enim idem est *quod* « significat nomen et *a quo* nomen imponitur; ut supra Q. XIII, art. « 8 dictum est » (Hic ad 3.m).

A) Unde in praesenti quaestione « hoc nomen *principium* nihil « aliud significat quam *id a quo aliquid procedit.* Omne enim a quo aliquid procedit quocumque modo, dicimus esse *principium,* et e converso » (Hic, o).

380. **Scholium.** Adverte autem hoc in loco differentiam inter Graecos et Latinos. Apud Graecos namque idem prorsus valent vox αἰτία et vox ἀρχή. E contra apud nos Latinos nomen *causae* habet significationem diversam a nomine *principii:* quia « hoc nomen « *causa* » « videtur importare diversitatem (*saltem numericam*) substantiae et « dependentiam alicuius (*videlicet effectus*) ab altero (*nempe causa*): « quam (*diversitatem et dependentiam*) non importat nomen *principii.* « In omnibus enim causae generibus semper invenitur *distantia* inter « causam et id, cuius est causa, secundum aliquam perfectionem aut « virtutem. Sed nomine *principii* utimur etiam in his quae *nullam* « huiusmodi *differentiam* habent, sed solum (*differunt*) secundum « quemdam ordinem, sicut cum dicimus *punctum* esse principium *li-* « *neae,* vel etiam cum dicimus *primam* partem lineae esse principium

« *lineae.* — (*Unde*) principium *communius* (*sive universalius*) est quam « causa, sicut causa *communius* est quam elementum. Primus enim « terminus vel etiam prima pars rei dicitur *principium* sed non *causa*» (Hic ad 1.m) talis rei.

A) Aliis verbis; τὸ *principium* communiter acceptum includit *semper* et *exclusive* **duo,** videlicet :

α) realem distinctionem inter *principium* et *principiatum* saltem quantum ad *relationes* invicem *oppositas ;* deinde

β) ordinem inter principium et principiatum, qui ordo :

a) quandoque sumitur ex parte *situs,* ita *punctum* est principium *lineae ;*

b) quandoque sumitur ex parte *integrationis,* ita *pars* est principium *totius ;*

c) quandoque sumitur ex parte *potentialitatis,* ita *totum* est principium *partis,* per divisionem scilicet ;

d) quandoque sumitur ex parte *originis* seu emanationis unius ab alio, ita *ignis* est principium *caloris ;*

e) quandoque sumitur ex parte *influxus causalis,* utputa quum dico : *Artifex* vel *marmor* est principium *statuae.*

B) E contra τὸ *causa* proprie dicta includit **quatuor,** nempe :

α) realem distinctionem *causae* a proprio *causato ,* patet ; item includit :

β) influxum causalem τοῦ *causae* super τὸ esse *effectus,* quia effectus habet *esse* a propria causa ; proinde includit :

γ) dualitatem realem inter τὸ esse *causae* atque τὸ esse *effectus:* atque tandem :

δ) dependentiam realem *effectus* a propria *causa.* Patet.

381. Varie distinguitur *principium* communiter acceptum ; nimirum :

α) quoddam nominatur *principium primum* sive ἀναρχον ; et hoc est illud quod a nullo alio procedit, sed ab ipso omnia alia *aliquo modo* procedunt.

β) Aliud nominatur *principium secundum ;* et hoc est illud quod sic *ab alio* procedit, ut tamen aliquid aliud ab ipso procedat (Cfr. art. 4 h. q., o).

382. Adhuc etiam τὸ *principium,* acceptum in sua communi significatione, a theologis sumitur quandoque *essentialiter,* quandoque *personaliter.*

α) Τὸ *principium* acceptum *essentialiter* denotat in Deo **illud a quo** procedit **omnis** realitas finita *actu* exsistens in hoc mundo, seu denotat *Dei omnipotentiam.*

β) Τὸ *principium* acceptum *personaliter* significat Personam divinam a qua alia Persona S.mae Trinitatis procedit.

383. His praenotatis, pro resolutione quaesiti in praesenti articulo, statuuntur duae conclusiones.

Conclusio I. *Si* τὸ principium *accipiatur* essentialiter, *hoc nomen* **non soli** Deo Patri, *sed* omnibus et singulis Personis S.mae Trinitatis *convenit.*

Nota. Est Fidei dogma (Cfr. Bannes, *Com.* in h. a.).

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Enimvero Christus fatetur *eamdem omnipotentiam* habere *Patrem Æternum* quam habet *Filius Dei ;* ait enim: «**Pater meus** usque modo operatur, et **Ego** operor... Quae« cumque enim **Ille fecerit,** haec et **Filius similiter facit...** Sicut « enim *Pater* suscitat mortuos et vivificat, sic et *Filius* quos vult *vi*« *vificat* » (Ioan. V, 17-21) .— At nomen *principii* essentialiter *accepti* denotat *omnipotentiam divinam* (Cfr. n. praec., α). — Ergo nomen **principium,** essentialiter dictum, convenit *tum* Deo Patri *tum* Dei Filio. — Unde, quando Christus a Iudaeis fuit interrogatus: « **Tu** « quis es ? Dicit eis Iesus: **Principium** (Τὴν Ἀρχήν), qui et loquor « vobis » (Ioan. VIII, 25).

Parique ratione, quia omnipotens est Spiritus Sanctus iuxta illud: « Spiritus **ubi vult, spirat** » (Ioan. III, 8), et aliud: « Verbo Domini « coeli firmati sunt, et Spiritu oris eius **omnis virtus** eorum» (Psal. XXXII, 6), evidenter τὸ *principium* essentialiter *acceptum* convenit quoque Spiritui Sancto, sicut Patri et Filio. Q. E. D.

2.° *Ex Ss. Patribus. A*) Symbolum pseudo Athanasii, quo Ecclesia in sacra lithurgia utitur, haec habet: « Omnipotens *Pater,* « Omnipotens *Filius*, Omnipotens *Spiritus Sanctus ;* et tamen **non** « **tres** omnipotentes, sed **unus** (*Deus*) **omnipotens**» (Cfr. *Enchir.* n. 39). Videlicet **principium** omnipotentiae convenit **non** *soli* Deo Patri, sed **peraeque** Deo Filio ac Deo Spiritui Sancto.

B) S. Augustinus (Lib. V. *De Trin.,* cap. 14) scribit: « Relative « ... ad creaturam ... Pater et Filius et Spiritus Sanctus **unum prin**« **cipium** sunt, sicut **unus** Creator, et **unus** Dominus » (Cfr. ibid. Lib. I *De Trin.* cap. 1; item Lib. VI, cap. 2; et *Enchiridio,* cap. 38).

3.° *Ex Concilio* Later. IV, cap. *Firmiter,* ubi Patres sic definie-

runt: « Pater generans, Filius nascens et Spiritus Sanctus proce- « dens **consubstantiales** (*sunt*) et **coaequales** et **coomnipotentes** « et **coaeterni, unum** universorum **principium** creator omnium visi- « bilium et invisibilium, spiritualium et corporalium etc. » (*Enchir.* n. 428). Videlicet τὸ **principium,** acceptum essentialiter, non **soli** Deo Patri sed peraeque convenit Deo Filio ac Deo Spiritui Sancto.

4.° *Ratione theologica.* In divinis omnia sunt unum ubi non obviat relativa oppositio, sicut pluries diximus. — Atqui *Dei omnipotentia* **non dicit** oppositionem relativam nec ad *Dei Paternitatem,* nec ad *Dei Filiationem* neque ad *Processionen Spiritus Sancti,* sed ad **solas creaturas.** — Et ideo *omnipotentia divina* **aeque convenit** singulis Personis S.mae Trinitatis.

Sed *principium,* dictum *essentialiter,* est *divina omnipotentia* (Cfr. n. praec., α).

Ergo, si τὸ *principium* accipiatur *essentialiter,* aeque convenit singulis Personis S.mae Trinitatis (Hic, o).

384. Tota igitur quaestio huius articuli est de notione **Principium** sumpta personaliter (Cfr. n. 382, β), num scilicet τὸ *Principium,* personaliter *acceptum,* conveniat Deo Patri **formaliter** ut Pater est.

Pro solutione sit

Conclusio II. *Principium, sumptum* personaliter, *convenit* vere et proprie α) *tum* Deo Patri *ut* Pater *est, tum* Deo Filio *ut* Filius *est,* β) *non autem* Spiritui Paraclito.

Nota. Est Fidei dogma.

Prob. I.ª pars conclusionis. 1.° *Ex Ss. Patribus. A*) Auctor Lib. *De aeterna Filii et Spir. Sancti cum Deo* (Patre) *exsistentia contra Sabellianos,* inter op. S. Athanasii, dicit: «Pater **radix** et **fons** (*est*) « Spiritus Sancti ». Porro **radix** et **fons** significant idem ac *principium.*

B) S. Augustinus Lib. IV. *De Trinit.* cap. 29 declarans illud Christi *Spiritum Veritatis, quem Ego mittam vobis a Patre* (Ioan. XV, 26) dicit: « *Totius Divinitatis,* vel si melius dicitur, Deitatis « **principium** est **Deus Pater** ». Super quae verba adverte quod *Deus Pater* dicitur **principium** *totius Divinitatis,* non quatenus sit **principium** *sui ipsius* (hic namque sensus, prout vidimus contra Schellium — Cfr. Vol. I, n. 293, §. F — est omnino absurdus), sed, quia est **prima** Persona Divinitatis, a qua aliae duae procedunt, eo

ferme modo quo Adam dicitur **principium** Generis Humani inquantum est *prima persona* a qua processerunt omnia humana individua (Cfr. I. *Sent.* Dist. XXIX, §. *Expositio textus*).

2.° *Ex Conciliis. A*) Syrmiense Concilium in *Can. 24* (Cfr. Carranza O. P., *Summa Concil.*) anathemate ferit eum qui dixerit in divinis *Filium esse* sine *principio*. Ergo Ipse habuit principium ab alio, qui est *Deus Pater*. Consequenter hic est vere **Principium** Filii sui.

B) Concil. Toletanum XI in *Symbolo Fidei* haec habet: « Ipse « (*Pater*) a nullo originem ducit: ex quo et Filius nativitatem, et « Spiritus Sanctus processionem accepit. Fons ergo Ipse et origo est « totius divinitatis » (*Enchir.* n. 275).

C) In Conc. Lugdunensi II, celebrato sub B. Gregorio PP. X, legitur: « Fideli ac devota professione fatemur, quod Spiritus San« ctus aeternaliter ex Patre et Filio, **non** tamquam ex duobus prin« cipiis, **sed** tamquam ex *uno principio*... procedit » (*Enchir.* n. 460). Ergo verissime tam Deus Pater quam Deus Filius sunt **unum** principium Spiritus Sancti.

3.° *Ratione theologica.* Principium, sumptum *personaliter,* denotat Personam illam divinam a qua procedit altera (Cfr. n. 382, β). — Atqui a Deo Patre vere procedunt Persona Filii Dei et Persona Spiritus Sancti, quemadmodum a Persona Filii vere procedit Persona Spiritus Sancti; sicut Fides Catholica nos docet. — Ergo τὸ principium, sumptum *personaliter,* convenit vere et proprie *tum* Deo Patri ut Pater est, *tum* Dei Filio ut Filius est (Hic, o).

Prob. II.ª PARS conclusionis. *Ratione theologica.* Revera princi« pium, *personaliter* sumptum, denotat Personam divinam a qua *alia* divina Persona procedit. — Atqui secundum Fidem Catholicam a Persona Spiritus Sancti nulla alia divina Persona procedit: constat. — Ergo τὸ principium *personaliter* acceptum, non convenit Spiritui Sancto (Cfr. hic ad 1.m).

385. **Corollarium.** *Notio,* vere talis, est propietas *personalis* quae specialiter *uni soli* Personae Trinitatis convenit (Cfr. Q. praec. art. 2). — Atqui vox *principium,* **solitarie** dicta, convenit *tum* Deo Patri relate ad alias Personas Trinitatis, *tum* Filio Dei relate ad Spiritum Sanctum. — Ergo vox *principium* **solitarie** dicta, non potest in rigore theologico dici *notio* Dei Patris aut Filii Dei.

Et dico «**solitarie** sumpta»: nam, si illa vox intelligatur cum adiectione alterius vocis, potest fieri *notio* quaedam divina. Revera

quum dico *Principium* **sine** *principio* (ἀναρχον), utique intelligitur **solus** Deus Pater, et sic est **notio** *Dei Patris ;* si autem dicatur *Principium* **de** *principio,* erit **notio** Filii Dei ; si autem dicatur *Principium* **de utroque,** erit **notio** Spiritus Sancti. Verum, quum Spiritus Sanctus **non sit** principium **a quo intra Deum** oriatur **quarta** divina Persona, propterea in notione *Principium* **de utroque** τὸ principium accipitur *essentialiter* (Cfr. n. 382, α), seu denotat *omnipotentiam divinam,* quae est principium omnium creaturarum.

Notio autem *Principium* **non de principio** coincidit cum *Innascibilitate* seu *Improcessibilitate :* notio vero *Principium de principio* coincidit cum *Filiatione Dei* (Cfr. Mag. *Sentent.* Lib. I, Dist. XXIX, § *primo*). — Sit nunc

386. Q. I. *An* Pater *possit dici* **causa** Filii *in divinis?*

R. *A*) Apud Graecos potest ; quoniam apud eos ἀρχή significat idem ac αἰτία. Unde Graeci Doctores, uti S. Ioan. Damascenus (Lib. I *De Fide Orthod.* capp. 8 et 10), S. Ioan Chrysostomus (*Hom. II* super Ioan.), S. Cyrillus Alexandrinus (Lib. XI *in Ioan.,* cap. 7) et alii indifferenter utuntur in divinis nomine *causae* et nomine *principii.*

B) *Apud nos Latinos vero* non licet *Deum Patrem vocare* causam *Filii Dei.*

Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° Etenim «hoc invenimus in ori-«gine divinarum Personarum, quod *tota* essentia unius accipitur in «alia ; ita quod *una* numero est essentia trium (*Personarum*), et «*idem* esse... Omnis (*autem*) causa vel est *extra essentiam* rei, si-«cut *efficiens* et *finis ;* vel *pars* (*est*) *essentiae,* sicut *materia* et *forma* » (I. *Sent.* Dist. cit. art. 1, o). Ergo in divinis Pater nequit dici *causa* Filii sui.

2.° «Omnis causa habet ordinem *principii* ad *esse* (*sive exsiste-«re*) sui causati, quod per ipsam constituitur (*in rerum natura*). Pa-«ter autem (*aeternus*) non habet aliquem ordinem principii ad *esse* «Filii, sicut nec ad *esse* suum, cum unum et idem sit *esse* utriusque «(*Personae*). Unde (*Deus*) Pater non est *causa* Filii (*Dei*) sed princi-pium» (Ibid. — Cfr. hic ad 1.m).

C) Ob eamdem causam neque Deus Pater neque Deus Filius potest dici *causa* Spiritus Sancti (Cfr. hic ad 1.m). — Sit nunc

387. Q. II. *An* Deus Pater *possit dici* **Auctor** Filii Dei ?

R. *A*) Iuxta S. Thomam in I. *Sent.,* loc. cit. «nomen *Auctoris* «addit supra rationem *Principii* hoc quod est *non esse ab* aliquo» :

unde videtur significare *principium non de principio,* sive *Illum qui* principaliter *producit.* — Atqui iuxta Fidem Catholicam in S.ma Trinitate **solus** *Pater* est huiusmodi *principium* non de *principio.* — Ergo iuxta Angelicum et S. Augustinum in Lib. II *Cont. Maximinum,* cap. 14 n. 6 Deus Pater **potest** dici *Auctor Filii* et *Auctor Spiritus Sancti ;* Filius Dei vero **nequit** vocari *Auctor Spiritus Sancti,* sed *Principium* tantum.

B) Iuxta alios autem Scholae Doctores nomen *Auctoris* valet idem ac nomen *Principii.* Et iuxta hanc interpretationem aeque dici potest Pater aeternus *auctor* Filii et Spiritus Sancti, ac similiter Filius Dei *auctor* Spiritus Sancti (Cfr. infra Q. XXXVI, art. 4 ad 7.m; item Bannez, Molina, Vasquez etc. *Com.* in h. a.). — Ultimo loco

388. Q. III. *Utrum* Filius Dei *possit dici* **causatus** *vel* **principiatus** *a* Deo Patre ?

R. *A*) Graeci Doctores absque Fidei periculo libere usi sunt in divinis tum voce *causae* (αἰτία) et causati (αἰτιατόν), tum nominibus *principii* et *principiati,* eo quod in eorum lingua haec varia nomina non male sonant neque arguunt aliquam minorationem in Dei Filio respectu ad Deum Patrem.

B) Apud nos Latinos vero, sicut nomen *causae* nequit dici de Deo Patre per ordinem ad Deum Filium aut ad Deum Spiritum Sanctum, ita viceversa Dei Filius nequit dici *causatus* a Patre, et similiter non potest dici Spiritum Sactum esse *causatum* a Deo Filio aut a Deo Patre (Cfr. Card. Billot, Tract. *De Trinitate,* thes. 19).

β) Quod vero attinet ad vocem *principiatum,* dico quod si ad « rem ipsam attendamus, sicut conceditur *Patrem* esse **principium** « *Filii,* ita debet concedi quod *Filius* est **principiatus** a *Patre,* quo- « niam nequit intelligi *principium* sine *principiato.* At, quoniam *prin-* « *cipiatum* videtur denotare quamdam subiectionem et minorationem « respectu *principii,* idcirco D. Thomas, sequutus (*sequens...?!*) gra- « vissimos auctores Latinos, non vult admittere *Filium* esse *princi-* « *piatum ;* sicut Magister in I *Sent.* Dist. 29 concedit *Filium* **esse ex** « *principio,* negat tamen inde sequi quod *Filius* **habeat** *principium,* « quia *habere,* inquit, *principium* videtur denotare quod **aliquo modo** « incoeperit. Et tamen secundum rem negari non potest, quod *Filius* « habeat *principium,* nam esset negare *illum* habere *Patrem* » (Bannez, Loc. cii.).

γ) Simili modo ostenditur, quod non sit dicendum, quod Spiri-

tus Sanctus sit *principiatus* a Patre, aut a Filio, aut ab utroque. Constat.

Art. II. Utrum hoc nomen **Pater** sit nomen proprium divinae Personae.

389. Alterum nomen positivum, conveniens primae Personae Trinitatis est *Pater*. Hoc tamen nomen, monente Caietano (*Com.* in art. seq.), dupliciter dictum invenitur in S. Scriptura, nempe :

α) quandoque *personaliter,* ut in illo: «Pater Domini Nostri Iesu «Christi» (II. Cor. I, 3);

β) quandoque vero *essentialiter,* ut in illo : «Pater misericordiarum» (Ibid.); et alibi: «Pater noster qui es in coelis» (Math. VI, 9).

390. Non est autem hic sermo de *Patre* prouti est nomen *essentiale*. Evidens est namque nomen Dei *essentiale* convenire aequaliter unicuique Personae S.mae Trinitatis. Fit igitur quaestio de *Patre* prouti in divinis dicitur *personaliter*.

391. De hoc nomine autem duo occurrunt exponenda, nempe :

1.° Utrum τὸ *Pater,* dictum *personaliter,* conveniat primae Personae S.mae Trinitatis? (art. praes.); et

2.° Quem ordinem prioritatis invicem in Deo habeant τὸ *Pater* personaliter dictum, ac τὸ *Pater* essentialiter dictum (art. seq.).

392. «In titulo (*igitur h. a.*) ly *Pater,* ut in solutione dubii pate«bit, sumitur prout in divina Trinitate admittitur» (Caiet. *Com.* in h. a.), idest personaliter.

393. Unde τὸ *proprium* quod in titulo habetur, debet interpretari de nomine stricte proprio **uni tantum** divinarum Personarum.

394. Quia vero τὸ *Persona* denotat substantiam individualiter subsistentem in natura intellectuali, propterea ad hoc ut aliquod nomen sit *stricte* personale alicuius, requiruntur **cumulative** tres conditiones.

Prima conditio est, quod designet non quidem aliquod *accidens,* vel aliquam *circunstantiam exstrinsecam* illius Personae, sed significet *substantiam* seu *naturam propriam* illius personae. Hinc nomina *Medicus, Geometra, Italus, Senex* etc., quia denotant **qualitatem** quamdam **accidentalem** hominis, nequeunt dici nomina *stricte* personalia, sed debent dici nomina *communia* Personae humanae.

Secunda conditio est, quod illud nomen designet *naturam* vel

substantiam alicuius Personae, non solummodo *specifice* vel sub *individualitate vaga,* sed debet significare eius *substantiam individuam in atomo.* Unde haec nomina *Persona, Suppositum,* ὑπόστασις, *Quidam homo* etc. non sunt *stricte personalia,* sed potius **individui vagi.**

Tertia conditio est, quod nomen, denotans *naturam substantiae individuae in atomo,* non sit nomen *arbitrarium* aut *pluribus commune,* sed sit veluti *discretivum* **unius** Personae ab **omnibus aliis.** Hinc ex. gr. *Petrus, Paulus, Thomas* etc. *non* sunt *nomina* **stricte** *personalia:* inveniuntur siquidem *multi* Petrus, *multi* Paulus etc. (Cfr. Caiet. *Com.* in h. a. et Card. Billot, *De Trinit.* Thes. XX, § I). — Hinc

A) **Definitio.** Nomen, *stricte* proprium alicuius Personae, est nomen significans, sive manifestans nobis, id *quo* talis Persona constituitur formaliter in suo *esse personali* et *distinguitur a coeteris aliis* (Cfr. hic, o).

395. Unde sensus quaestionis praesentis est iste: *Utrum* Pater *sit nomen significans* propriam substantiam *seu* proprium esse substantiale *alicuius divinae Personae, an e contra significet* aliquid adiaciens *seu* exstrinsecum *eidem divinae Personae?*

« Unde ly *divinae Personae* supponit pro ipsa hypostasi ut sic » (Caiet. *Com.* in h. a.).

396. In corpore articuli unica ponitur

Conclusio. Pater *est nomen* **stricte proprium** *Personae* **primae** *S.mae Trinitatis.*

Nota. Docetur ab omnibus.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Quum nomen, *stricte proprium* alicuius Personae, hanc discriminet ab omnibus aliis personis, evidenter illud dicendum est nomen *stricte proprium* primae Personae S.mae Trinitatis, *quo* nomine vocatur ista Persona *quoties* de ea in S. Scriptura fit mentio *per ordinem* ad alias divinas Personas. — Atqui quoties in S. Scriptura fit mentio de **prima** Persona S.mae Trinitatis, haec semper sub nomine *Patris* designatur. — Ergo etc.

Prop. maior satis constat ex ipsis terminis. Nisi enim velimus falso supponere S. Scripturam, nominando divinas Personas, numquam eas nomine *stricte proprio* designare, fatendum est nominibus *propriis* fuisse usam, *praecipue* quando eas simul nominat.

Prop. minor ostenditur. Revera Christus, mittens Apostolos ad

praedicandum evangelium, iussit baptizare gentes «in nomine *Patris* «et *Filii* et *Spiritus Sancti*» (Matth. XXVIII, 19). Quo praecepto satis aperte indicavit, quod τὸ *Pater* sit nomen ex sua propria ratione aptissimum ad significandum **primam** Personam S.mae Trinitatis. — Idipsum Christus ostendit, dicens: «**Ego** rogabo **Patrem,** et **alium** «**Paracletum** dabit vobis» (Ioan. XIV, 16): et olim David de Christo prophetavit dicens: «Dominus dixit ad me *Filius* meus est **Tu**: «**Ego** hodie genui **Te**» (Psal. II, 7 — Cfr. Act. XIII, 33 + Hebr. I, 5; et V, 5).

2.° *Ratione theologica.* Equidem «nomen (*stricte*) proprium cu- «iuslibet Personae est id, per quod illa Persona (*constituitur in pro- «prio esse personali et*) distinguitur a coeteris aliis (Cfr. *n. 394,* § «*A*). — Id autem, per quod (*constituitur in proprio esse personali et*) «distinguitur ab omnibus aliis Persona Patris, est *Paternitas.* — «Unde (*stricte*) proprium nomen Personae Patris est hoc nomen **Pa- «ter** quod significat Paternitatem» (Hic, o), seu relationem Paternitatis uti subsistentem in divina natura (Hic ad 1.m). Propositio maior et illatio huius argumenti relinquuntur notae ex dictis.

Minor vero declaratur ex eo quod, dum apud nos *Paternitas* est quaedam *circunstantia* sive quoddam *accidens personale,* e contra, quum divinae Personae constituantur relationibus (Q. XXIX, art. 4, o), *Paternitas divina* constituit ipsum *esse personale* primae Personae Trinitatis, *reduplicative* prouti distinguitur in *proprio esse personali* ab aliis duabus Personis divinis. Consequenter hoc nomen *Pater* quod *propriissime* significat Paternitatem, est nomen *stricte proprium* primae divinarum Personarum (Cfr. hic ad 1.m).

397. Ex sacra lithurgia evidens est Primam Personam S.mae Trinitatis nominari saepe etiam *Genitorem* vel *Generantem.* Fit ergo

Q. I. *Utrum nomen* **Pater** *sit nomen magis proprium* primae Personae Trinitatis *quam nomina* **Genitor** *vel* **Generans?**

R. *Affirmative.* Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° Equidem *Genitor* seu *Generans* derivatur a *Generatione,* dum *Pater* denominatur a *Paternitate.* — Iamvero *Generatio* exprimit quoddam **fieri** seu viam ad habendum filium: e contra *Paternitas* exprimit *complementum* et *finem* Generationis, videlicet **actualem Filii possessionem:** constat. — Sic igitur, quando *prima* Persona Trinitatis vocatur *Pater,* nominatur ab aliqua *perfectione completa;* dum, si nominatur *Genitor* vel *Generans,* nominatur a perfectione *incohata.*

Atqui, monente Aristotele (Lib. II. *De Anima,* text. 49) denominatio *perfecta* alicuius rei sumitur ab eius *forma,* et sequitur conditionem eiusdem formae.

Ergo denominatio primae Personae S.mae Trinitatis fit *magis perfecte* per nomen *Patris* quam per nomina *Genitoris* aut *Generantis* (Hic ad 2.m).

2.° « Hoc nomen *Pater* non solum significat proprietatem sed etiam « hypostasim (*primae Personae Trinitatis*): sed hoc nomen *Ge-* « *nitor* vel *Generans* significat tantum proprietatem (*eiusdem divinae* « *Personae*); quia hoc nomen *Pater* significat relationem (*Paternita-* « *tis*) quae est *distinctiva* et *constitutiva* hypostasis: hoc autem no- « men *Generans* vel *Genitor* significat originem quae *non est distin-* « *ctiva* et *constitutiva* hypostasis » (Q. XL, art. 2, o), sed potius praesupponit Personam iam constitutam. — Est igitur nomen *Pater* perfectius designans primam Trinitatis Personam, quam nomen *Genitor* vel *Generans*.

398. Manifestum est nomen *Pater* dici tam de Deo quam de creaturis. — Porro unumquodque a nobis nominatur quomodo a nobis cognoscitur. — Unde, quum nos cognoscimus *Patrem* **terrenum** prius *prioritate temporis* quam *Patrem* **coelestem** (quia in hac vita cognoscimus *prius* creaturas, *deinde* Deum), sequitur nos nomen *Pater* imposuisse Patri terreno prius *prioritate temporis* quam *Patri* **coelesti,** seu **transtulisse** nomen Pater a Patre terreno ad Patrem coelestem. — Consequenter nomen Pater in nostro sermone, si consideretur quantum ad modum significandi, convenit proprie Patri terreno, convenit autem per quamdam translationem seu minus proprie Patri coelesti (Hic ad 4.m). — Quo posito, oritur.

Q. II. *Res designata per nomen* **Pater** *convenit* principalius perfectiusque *Patri terreno,* an *Patri coelesti?*

R. *Convenit* principalius perfectiusque **Deo Patri** quam **Patri terreno.**

Prob. *Ratione theologica.* Generatio invenitur *perfectius* atque *principalius* in

Deo *quam* in humana creatura. — Paternitas autem fundatur in Generatione. — Ergo Paternitas invenitur *perfectius principaliusque* in Deo *quam* in humana creatura. — At *res,* designata per nomen *Pater,* est *Persona* habens *Paternitatem.* — Ergo huiusmodi res invenitur *perfectius* ac *principalius* in Deo quam in humana creatura.

Omnia sunt clara, dummodo **prima** propositio *maior* probetur. Probatur autem sic. Omne generans facit sibi simile, communicando propriam naturam ipsi genito. Unde de ratione generationis sunt duo, videlicet *distinctio* realis *suppositorum* (generantis nempe et geniti) et *unitas specifica formae* seu naturae quae a Generante communicatur Genito. — Quanto ergo magis servatur *dualitas suppositorum,* et *unitas naturae specificae* inter Generantem et Genitum, tanto magis perfecta erit Generatio. — At nulla maior *unitas* quam *unitas* **numerica.** — Ergo illa Generatio, in qua inter *Generantem* atque *Genitum* invenitur *dualitas* numerica *Personae,* et ulterius adest *unitas* numerica *naturae,* est omnium perfectissima. — Hoc autem verificatur in Ss. Trinitate, quoniam cum *distinctione* numerica *Personarum* Patris et Filii adest ibi *unitas* numerica *essentiae divinae:* dum in creaturis non invenitur nisi **sola** *unitas specifica,* vel *generica,* aut *analogica* inter substantiam Generantis et substantiam Geniti. — Ergo verissime Generatio (consequenter *Paternitas* et *res* designata per nomen *Pater*) exsistit *principalius* ac *perfectius* in divinis, quam in creaturis (Cfr. hic ad 4.m; et Caiet. *Com.* in h. a.).

α) Et propter hanc causam Apostolus ad Ephes. III, 14-15, ait: « Flecto genua mea ad **Patrem** Domini Nostri Iesu Christi, ex quo « **omnis** Paternitas in coelis et in terra nominatur ».

Art. III. Utrum hoc nomen **Pater** dicatur in divinis **per prius** secundum quod **personaliter** sumitur.

399. Adverte circa titulum nomen *Pater,* cum dicitur de Deo, quandoque sumi *personaliter* et designare divinam Personan a qua per generationem oritur alia: quandoque vero sumi *essentialiter* et sic designare Deum secundum quod ab eo processerunt creaturae. Quum ergo duae formalitates divinae designentur a τῷ *Patre* cum de Deo dicitur, propterea in praesenti articulo comparantur invicem istae duae formalitates quantum ad earum *prioritatem* et *posterioritatem:* ita ut sensus quaesiti sit iste: *Utrum* formalitas divina, *qua Deus* est Pater **ad intra,** affirmetur de Deo per **prius quam** formalitas divina *qua Deus* est Pater **ad extra?**

400. Ubi nota τὸ **per prius** non significare prioritatem *durationis* seu *temporis.* Evidens est namque, quod loquendo de prioritate durationis « aeternum est prius temporali. Ab aeterno autem Deus est

« Pater Filii: ex tempore autem Pater est creaturae. Ergo (*si consi-* « *deretur prioritas durationis evidenter*) per prius dicitur Paternitas « in Deo respectu Filii, quam respectu creaturae » (Hic *Sed Cont.*).

401. Quaestio igitur, de qua titulus h. a. inquirit, respicit *prioritatem naturae* inter Paternitatem qua Deus dicitur Pater *ad intra,* et Paternitatem qua dicitur Pater *ad extra:* ita ut sensus praesentis quaestionis sit iste : *Utrum* Paternitas, secundum quam *Deus* dicitur Pater **ad intra,** habeat *naturae prioritatem* super Paternitatem secundum quam Deus dicitur Pater **ad extra ?**

402. Memento autem ex Dialectica, quod *prioritas naturae* est praecedentia unius ad alterum, orta ex eo quod *unum* dat esse *alteri* seu est *principium efficiens* alterius, quamvis *unum* et *alterum* simul coexsistant in eodem momento durationis. Ita ex. gr. Sol est *natura prius* quam radius; quia, licet Sol et radius simul coexsistant, nihilominus radius *accipit esse* a Sole. Statuto puncto quaestionis, sit

403. **Conclusio.** *Paternitas-Filiatio quae* **intra** *Deum invenitur, habet* naturae prioritatem *super* Paternitatem — Filiationem *quae viget inter* **Deum** *et* **creaturas.**

Nota. Est communis inter Doctores sententia.

Prob. *Ratione theologica.* Omnia imperfecta derivantur secundum quamdam deficientiam ab homologe perfectis, sicut ens per participationem seu ens finitum est derivatio quaedam entis per essentiam seu entis infiniti. — Iamvero ratio Paternitatis-Filiationis, sicut ratio Generationis super quam Paternitas et Filiatio fundantur, invenitur modo perfectissimo inter divinas Personas, quoniam istarum **una eademque** est substantia: dum ratio Paternitatis-Filiationis invenitur solum modo imperfecto inter Deum et Creaturas, quoniam Deus et Creaturas non conveniunt in una eademque natura.—Ergo Paternitas et Filiatio, quae invenitur inter divinas Personas, se habent tamquam causa exemplaris cuiusvis Paternitatis et Filiationis quae invenitur inter Deum et Creaturas; aliis verbis: Paternitas-Filiatio, quae adest inter divinas Personas, habet **naturae prioritatem** super Paternitatem-Filiationem quae adest inter Deum et Creaturas. Q. E. D. (Cfr. hic, o ; item Bannez, *Com.* in h. a).

404. **Corollarium.** Creatura dicitur filia Dei, inquantum habet similitudinem quamdam cum ipso Deo. Quae quidem similitudo habet diversos gradus.

α) « Dicitur enim Deus alicuius creaturae **Pater** propter similitu-« dinem **vestigii** tantum, utpote irrationalium creaturarum ; secun-« dum illud Iob XXXVIII, 28 *Quis est pluviae* **Pater?** *aut quis* **ge-« nuit stillas?**

β) « Alicuius vero creaturae, scilicet rationalis, (*Deus est Pater*) « secundum similitudiem **imaginis;** secundum illud Deuter. XXXII, « 6 *Nonne Ipse est* **Pater tuus** *qui possedit, et fecit, et creavit te?*

γ) « Aliquorum vero (*Deus*) est **Pater** secundum similitudinem « **Gratiae :** qui etiam dicuntur **filii adoptionis** secundum quod ordi-« nantur ad haereditatem Gloriae per munus Gratiae aceptum ; se-« cundum illud Rom. VIII, 16 *Ipse Spiritus reddit testimonium spiritui « nostro quod sumus* **filii Dei ;** *si autem* **filii** *et* **haeredes.**

δ) « Aliquorum vero (*Deus est Pater*) secundum similitudinem « **Gloriae,** prout iam gloriae haereditatem possident; secundum illud « Rom. V, 2 *Gloriamur in spe* **Gloriae** *filiorum Dei* » (Hic, o).

Art. IV. Utrum esse ingenitum sit Patri proprium.

405. In titulo τὸ *Pater* sumitur personaliter, seu pro **prima Persona** S.mae Trinitatis et secundum quod distinguitur realiter a duabus aliis.

406. Item in eodem titulo τὸ *proprium* sumitur *stricte* secundum quod distinguitur a *communi,* unde significat idem ac *personale.* Nam proprium in genere est illud quod convenit **uni,** eique **soli** et **semper.** Ita ex. gr. **protoparens** humani generis est nomen *proprium* Adami, quia tale nomen convenit **uni** Adamo, eique **soli** ac **semper.** Unde nomen *stricte proprium* Dei Patris est illud quod illi **uni,** illi **soli** et **semper** convenit (Cfr. art. 2 h. q.).

407. Adverte ulterius, quod, licet in divinis non reperiatur nec **prius** neque **posterius;** quia Deus utpote aeternus (Q. X. artt. 1-2) excludit omne **prius** et **posterius;** nihilominus in Deo invenitur α) **principium primum** seu principium non de principio, videlicet Deus Pater qui a nullo procedit; et β) **principium secundum** seu principium de principio, videlicet Deus Filius, qui vere est **principium** Spiritus Sancti simulque est **de principio** inquantum procedit a Deo Patre (Cfr. hic, o).

408. Art. 2 Q. XXVII monuimus, quod vox **Generatio** nonnum-

quam accipitur *latissime* et sic denotat τὸ *fieri* novi compositi ex materia praeexsistente : nonnumquam vero accipitur *stricte* secundum quod scilicet est propria viventium, et hoc modo significat originem viventis a principio vivente coniuncto secundum similitudinem in eadem natura specifica. — Est vero τὸ *ingenitum* (gr. ἀγέννητον) idem ac *non genitum.* — Et ideo τὸ *ingenitum* potest exponi multis modis, videlicet *large, stricte* et *strictissime,* prouti hic in responsionibus ad argumenta notat Angelicus post S. Ioan. Damascenum (Lib. I. *De Fide Orthod.* cap. 5) et S. Cyrillum Alex. (*Thesauro,* Assert. I, II, et III). Videlicet :

A) Τὸ **ingenitum,** *large* sumptum, potest exponi ita

α) ut significat idem ac *non factum, factibile tamen:* ita dicimus *Synagoga Antichristi est* **ingenita,** i. e. *nondum aedificata ;*

β) ut significet idem ac *non factum nec factibile,* tum si res, de qua dicitur, **iam actu** per se **exsistat,** quo modo dicimus **Deitas est ingenita,** tum si subiectum, de quo dicitur, **actu non exsistat,** quo modo dicimus **Nihilum est ingenitum.**

B) Τὸ **ingenitum,** acceptum *stricte,* potest exponi dupliciter, videlicet : vel

α) ita ut significet *non genitum, generabile tamen* per generationem *propriam* viventium, et hoc modo dicimus *Antichristus est* **ingenitus ;** vel

β) ita ut significet *rem exsistentem, non generatam nec generabilem* per generationem *propriam* viventium, aliis verbis secundum quod significat *exsistens ingenerabile per generationem propriam viventium :* quo modo dicimus *Angelus est* **ingenitus.** — Adhuc

b) Τὸ **ingenitum,** sumptum pro **ingenerabili,** accipitur :

α') quandoque *negative,* et in hac acceptione significat rem exsistentem et *non capacem* trahendi ab alio originem per generationem ; sicut de *Angelo* dictum est ;

β') quandoque vero sumitur *privative,* et tunc denotat rem actu exsistentem, habentem tamen formalitatem *privative* oppositam formalitati *filiationis* quae innascitur in subiecto vivo quod originem ab alio per generationem capere potest. Huiusmodi *ingenitum* est Adam, *protoparens* humani generis, relate ad nos. Patet.

C) Τὸ **ingenitum,** acceptum *strictissime,* potest exponi dupliciter, videlicet : vel

α) ita ut significet idem ac *non processum, processibile tamen ab*

alio ; et hoc modo dicimus : *A puncto X huius chartae linea est* **ingenita,** i. e. nondum ducta : vel

β) ita ut significet *rem exsistentem quae a nullo principio erat processibilis* aut *processit,* sive τὸ *exsistens et a nullo principio processibile neque processum,* sive τὸ exsistens et a nullo principio habens originem.

c) Adhuc τὸ **ingenitum,** hoc ultimo sensu acceptum, potest intelligi vel *negative* vel *privative :* ita tamen ut

α') *negative* sumptum significat τὸ *realiter exsistens, et incapax habendi originem ab alio ;* e contra

β') *privative* sumptum significat idem ac *Persona exsistens realiter, quae a nullo habet originem.* — Ex. gr., quia *Persona* vel Suppositum est capax essendi terminus originis ab alio, propterea si Persona a nullo principio originem habens exsistat realiter, ea vere esset τὸ *ingenitum privative* dictum et *strictissime.* E contra, quia *Essentia divina non est capax* essendi **terminus** originis ab aliquo principio (quia est a se), propterea ipsa est τὸ ingenitum *strictissime* et *negative* dictum (Cfr. hic ad 2.m).

d) **Nota.** Τὸ **ingenitum,** strictissime *privative* aut *negative dictum,* quamvis per *privationem* aut *negationem* definiatur, tamen nullam imperfectionem in re definita ponit, sed potius in tali re perfectionem maximam subaudit ; quoniam *non esse ab alio* est evidenter summa perfectio (Cfr. hic ad 2.m ; et I. *Sent.* Dist. XIII, art. 4, o).

409. Post haec admonemus, quod

A) Sabelliani, quum considerassent neque Deum Patrem neque Spiritum Sanctum fuisse unquam incarnatos, sicut credimus de Filio Dei, affirmarunt quidem *Dei Filium* non esse *ingenitum,* simul tamen professi sunt esse **ingenitum** tam *Deum Patrem* quam *Spiritum Sanctum.* Unde et contra eos in Conc. Syrmiensi, can. 18 definitum fuit : « Si quis, Spiritum Paraclytum dicens, *ingenitum* asserit *Deum,* « anathema sit » (Carranza, *Sum. Concil.*).

B) Ariani e converso pro eodem reputantes τὸ *ingenitum* ac τὸ *increatum* ac similiter τὸ *genitum* ac τὸ *creatum,* concesserunt quidem Deum Patrem, utpote **ingenitum,** esse vere **increatum,** dum Dei Filius, utpote a Deo Patre **genitus,** esset vero **creatura** (Cfr. S. Cyrillus Alexandr. Lib. XI *in Ioan.* cap. 7 ; et S. Ambros. Lib. *De Incarnat. Sacramento,* cap. 8).

His praenotatis, pro solutione articuli pono sequentes conclusiones;

410. **Conclusio I.** *Si* τὸ **ingenitum** *significat* **rem non factam, factibilem tamen,** τὸ **ingenitum** *nulli divinae Personae neque divinae essentiae convenit.*

Nota. Est Fidei Christianae dogma.

Declaratione conclusio ista non indiget; quia *omne factibile* est evidenter aliquid *essentialiter finitum:* cuiusmodi non est neque ulla divina Persona, neque divina Essentia sive Deitas. Patet.

411. **Conclusio II.** *Si* τὸ **ingenitum** *significat* **rem non factam neque factibilem,** τὸ **ingenitum** *est attributum commune tum Essentiae divinae, tum singulis Personis divinis.*

Nota. Est etiam certum Fidei dogma.

Declar. Equidem tum Essentia divina tum unaquaeque divina Persona est **essentialiter** *infinita,* causa **absolute** *prima* omnium entium. — Huiusmodi vero res evidenter est **omnino** *non facta neque factibilis.* — Ergo si τὸ **ingenitum** etc. Q. E. D. Cfr. S. Thom. Opusc. I (*Edit. P.*), cap. 8; item hic ad 3.m; et Q. IX, art. 1, o.

412. **Conclusio III.** *Si* τὸ **ingenitum** *significat* **rem non genitam sed generabilem** *per generationem* **propriam** *viventium,* τὸ **ingenitum** *nec divinae Essentiae, nec ulli divinae Personae convenit.*

Nota. Est quoque Fidei dogma.

Declar. Revera nec divina Essentia neque ulla divina Persona potest esse subiectum τοῦ *fieri;* quia quodvis illorum est *actus* omnino *purus* et *ab aeterno exsistens.* — Atqui *res non genita sed generabilis per generationem* **propriam** *viventium* est evidenter subiectum alicuius *fieri.* — Ergo si τὸ **ingenitum** etc. Q. E. D.

413. **Conclusio IV.** Τὸ **ingenitum** α) *si accipiatur pro ingenerabili* **negative** *sumpto, est attributum commune tam Deitati quam Deo Patri et Spiritui Sancto, non autem Dei Filio;* β) *si vero sumitur* **privative,** *tunc* **soli** *Deo Patri in divinis convenit.*

Nota. Utraque pars mihi videtur theologice certa.

Prob. I.ª pars. *Ratione theologica.* Revera τὸ **ingenitum,** acceptum pro ingenerabili **negative** sumpto, significat rem actu exsistentem et non capacem trahendi ab alio originem per generationem propriam viventium (Cfr. n. 408, *B, b,* α). — Atqui tum *Deitas,* tum *Deus Pater,* tum *Spiritus Sanctus* sunt realitates actu exsistentes et non capaces trahendi originem ab alio per generationem propriam

viventium : dum *Dei Filius* est quidem res actu exsistens sed quae **de facto** traxit originem ab alio (i. e. Deo Patre, ideoque *capax est* trahendi originem ab alio) per generationem propriam viventium. — Ergo τὸ **ingenitum,** acceptum pro ingenerabili *negative* sumpto, est attributum commune tam Deitati quam Deo Patri et Spiritui Sancto, non autem Dei Filio. Q. E. D. (Cfr. hic ad 2.m et ad 3.m).

Prob. II.ª PARS. *Ratione theologica.* Τὸ **ingenitum,** acceptum pro ingenerabili **privative** sumpto, denotat rem actu exsistentem et habentem formalitatem *privative* oppositam formalitati Filiationis Cfr. n. 408, *B, b,* β). — Atqui in divinis **soli** *Deo Patri,* ex vi suae divinae Paternitatis, convenit esse rem actu exsistentem et **habentem** formalitatem *privative* **oppositam** formalitati Filiationis : nam Spiritus Sanctus **non habet** formalitatem *privative* **oppositam** formalitati Filiationis, sed potius ipsi **repugnat** esse Filium Dei vivi. — Ergo τὸ **ingenitum,** acceptum pro ingenerabili **privative** sumpto, in divinis **soli** Deo Patri convenit. Q. E. D. (Cfr. ibid. et ad 1.m).

414. **Conclusio V.** *Si* τὸ **ingenitum** *significat* **rem non processam sed processibilem ab alio** (Cfr. n. 408, *C,* α), *huiusmodi* **ingenitum** *non convenit nec Deitati neque ulli divinae Personae.*

NOTA. Est certa doctrina Catholica.

Prob. *Ratione theologica.* Etenim τὸ *processibile ab alio* exprimit processionem quae *in futuro* est complenda, sicut desinentia vocis «**processibilis**» aperte indicat : consequenter importat quoddam *fieri.* — Atqui nullum *fieri* poni potest intra Deum neque in *Deitate* neque in *ulla divina Persona:* constat. — Ergo τὸ **ingenitum,** si denotat rem non processam sed ab alio processibilem, non convenit nec Deitati neque ulli divinae Personae. Q. E. D.

415. **Conclusio VI.** Τὸ **ingenitum,** *acceptum quatenus significat* τὸ **exsistens non habens originem ab alio principio,** α) *si intelligatur* **privative** (Cfr. n. 408, *C,* β'), **soli** *Deo Patri convenit,* β) *si autem intelligatur* **negative** (Cfr. ibid., *C,* α'), *competit tam Deo Patri quam divinae essentiae.*

NOTA. Utraque pars est certa doctrina Catholica.

Prob. I.ª PARS conclusionis. 1.° *Ex Ss. Patribus. A*) S. Athanasius in Epist. *ad Serapionem* dicit : « Spiritus Sanctus *non est ingenitus,* quia imprincipiatum esse ac ingenitum **soli** Deo Patri Catholica Ecclesia, congregata apud Nicaeam, recte et fideliter attribuit ; et de **solo** Patre hoc esse credendum et praedicandum toti

« mundo sub anathemate mandavit ». Eadem habet in Lib. *De Synodis,* n. 47.

B) S. Basilius (Lib. I. *adv. Eunomium,* n. 15) scribit : « Qui ve-« rus et **solus** (*Deus*) Pater est, ex nullo alio est : hoc autem *ex* « *nullo esse* idem est atque **ingenitum** esse ».

C) S. Hilarius (Lib. *De Synodis,* can. 25, n. 60) perpendens, qualiter, si duae Personae in divinis **ingenitae** seu **innascibiles** ponerentur, in Deo invenirentur **duae** Personae *realiter* distinctae et *non relative* oppositae (quod idem est ac ponere duos *numero* Deos et non unum *numero* Deum) infert : « Cum **unus** Deus sit, « **duo** innascibiles esse non possunt ; cum idcirco Deus unus sit..... « quia innascibilitas **sola** penes *unum* sit. Filius autem idcirco Deus, « quia ex innascibili essentia natus exsistat ». Videlicet τὸ **ingenitum,** inquantum est innascibile, **soli** Deo Patri a S. Hilario tribuitur.

D) S. Augustinus (Lib. V. *De Trinit.* cap. 6, n. 7) scribit : « Cum « **ingenitus** dicitur Pater, *non* quid sit *sed* quid non sit dicitur ». Videlicet τὸ **ingenitum,** inquantum exprimit innascibilitatem, convenit **soli** Deo Patri.

2.° *Ex Conciliis. A*) Sicut ex S. Athanasio audivimus, Concil. Nicaenum I definivit Patrem **solum** in divinis esse ingenitum.

B) Praeterea formula Fidei Catholicae, quae adscribitur Pastori, Epo. Galleciae, saec. V, in assertione Fidei Catholicae contra Priscillianistas, haec habet : « Est ergo **ingenitus** Pater, **genitus** « Filius, non genitus Paraclitus sed **a Patre Filioque** procedens » (*Enchir.,* n. 19).

C) Toletanum XI item inquit : « Spiritus Sanctus *nec* **ingenitus** « *nec* **genitus** creditur ; ne aut si *ingenitum* dixerimus, **duos Patres,** « aut si *genitum,* **duos Filios** praedicare monstremus » (Ibid. n. 277) in divinis.

D) In symbolo Fidei, quod nunc temporis Episcopi in propria ordinatione emittunt, ipsimet sic loquuntur : « Ita credo et confiteor, « ut Patrem **ingenitum,** Filium **unigenitum,** Spiritum Sanctum nec « genitum nec ingenitum sed a Patre et Filio procedentem veraciter « praedicemus » (Ibid. n. 346).

— Alias auctoritates lege apud eumdem Denzinger, Op. cit. nn. 39 et 428.

3.° *Ex Lithurgia* Ecclesiae Catholicae idem deducitur, quoniam

necesse est, sicut Coelestinus I (Epist. XXI, cap. 11) recte docuit ut « obsecrationum quoque sacerdotalium sacramenta respiciamus « quae ab Apostolis tradita in toto mundo atque in omni Ecclesia « Catholica uniformiter celebrantur ut legem credendi lex statuat « supplicandi » (*Enchir.*, n. 139). — Age vero in Officio S.mae Trinitatis in aña. ad *Magnificat* pro II Vesp. legitur: «Te Deum Patrem **ingenitum,** te Filium unigenitum, te Spiritum Sanctum Paraclitum « toto corde et ore confitemur, etc. ». — Unde recte τὸ **ingenitum** soli Deo Patri attribuimus in sensu quod Ipse **solus** a nullo originem habeat, sitque principium non de principio.

4.° *Ratione theologica.* In divinis **solus** Pater est Persona quae *a nullo principio* procedat: est enim, sicut vidimus (Cfr. n. 384), ipse Θεαρχικός iuxta expressionem pseudo Dionysii in Lib. *De Coel. Hierarch*, cap. 1. — Modo τὸ *ingenitum,* sumptum strictissime atque *privative,* nihil aliud exprimit quam Persona non habens originem ab alio principio (Cfr. n. 408, *c,* β'). — Ergo τὸ *ingenitum,* sumptum *strictissime ac privative,* **soli** Deo Patri convenit (Hic, o et ad 1.m, 2.m et 3.m).

Prob. II.a PARS *conclusionis. Ratione theologica.* Omne realiter exsistens, et incapax habendi originem ab alio tamquam a principio, est τὸ **ingenitum** acceptum **strictissime** et **negative,** prouti supra (Cfr. n. 408, *c,* α') vidimus. — Iamvero non solum *Persona Dei Patris,* sed etiam *divina Essentia* sunt aliquid realiter exsistens et incapax habendi originem ab alio tamquam a principio: patet ex terminis. — Ergo τὸ *ingenitum,* sumptum *strictissime et negative,* convenit non solum Deo Patri sed etiam Essentiae Divinae. Q. E. D. (Cfr. loc. cit).

416. **Scholium.** Quum **Paternitas** et **Innascibilitas** seu τὸ **Ingenitum** uni eidem Deo Patri, qui simplicissimus est et actus purus, conveniant, satis evidens est eas non differre inter se realiter, secus aliqua compositio realis induceretur in Deo Patre: absurdum. — Consequens est igitur ut *Divina Paternitas* et *Innascibilitas* seu τὸ *Ingenitum* sint duo aspectus eiusdem notionis i. e. *principii primi,* quae notio dicitur personaliter de Deo Patre; ac propterea dicendae sunt *duae notiones* inter se **virtualiter** distinctae (Cfr. hic, o).

417. **Petes 1.°** *Quid ponit* τὸ Innascibilitas *in Deo Patre?*

Respondeo dicendum, quod Proprietates *in divinis* sunt in duplici differentia.

Quaedam enim earum *notificant* Personas et eas *constituunt*; huiusmodi sunt *Paternitas, Filiatio* etc. Et istae proprietates ponunt evidenter aliquid *reale* seu positivum in Persona Divina cuius sunt tales proprietates ; quia quod *constituit* rem, *ponit* evidenter aliquid *reale* in ipsa re constituta.

Aliae autem proprietates *notificant* Personam sed eam *non constituunt*. Et istae proprietates non ponunt aliquid *reale* seu *positivum* in Persona divina cuius sunt tales proprietates, sed in ea ponunt *simpliciter negationem* aliquam.

Atqui *innascibilitas* seu τὸ *esse ingenitum* nihil aliud exprimit in Deo Patre quam simplicem negationem Generationis Passivae ; quia *innascibile* seu *ingenitum* valet idem ac **non Filius.**

Et ideo *innascibilitas* non ponit aliquid **reale** in Persona Dei Patris, sed **simplicem negationem** per quam *solum* notificatur prima Persona Trinitatis in nostro intellectu.

« Nec propter hoc sequitur, quod *ingenitum* non debeat poni pro« pria notio Patris ; quia prima et simplicia per negationes notifican« tur, sicut dicimus punctum esse cuius pars non est » (Hic ad 1.m).

418. **Petes 2.°** *Proprietas Dei Patris, secundum quam* **non est ab alio,** *cur exprimitur per nomen significans* **remotionem generationis,** *i. e. per* τὸ **Ingenitum,** *et non potius per nomen significans* **remotionem processionis** *i. e. per* τὸ **Improcessibile ?**

Respondet huic difficultati Angelicus dicens : « Proprietas (*Dei*) « Patris, prout non est ab alio, potius significatur per remotionem « *nativitatis* Filii, quam per remotionem *processionis* Spiritus Sancti « *tum* quia processio Spiritus Sancti non habet nomen speciale, ut supra (Q, XXVII, art. 4 ad 3.m) dictum est ; *tum* quia etiam ordine « naturae (*processio Spiritus Sancti*) **praesupponit** generationem « Filii. — Unde remoto a (*Deo*) Patre quod non sit genitus, cum ta« men sit principium (*quod*) generationis, sequitur consequenter quod « non sit procedens processione Spiritus Sancti ; quia Spiritus San« ctus non est Generationis principium sed a Genito (*i. e. Filio « etiam*) procedens » (Hic ad 5.m).

QUAESTIO XXXIV

DE PERSONA FILII

419. **Prologus.** Propositum nostrae intentionis est declarare in hac et duabus sequentibus quaestionibus nomina *propria* per quae nobis innotescit *secunda* Persona S.mae Trinitatis. Et quia haec secunda Persona Trinitatis potest considerari vel in *sola* divina natura, vel ut *Homo* factus, propterea quaedam nomina attribuuntur Dei Filio considerato in *sola* Divina Natura, et quaedam alia attribuuntur Ipsi ut *incarnato*.

De posterioribus nominibus, qualia sunt *Christus, Salvator, Repemptor, Rex Gentium, Mediator Dei et Hominum* etc., nihil ad praesens institutum pertinet sed ad tractatum de Dominica Incarnatione. Unde hic considerabimus solum nomina quae Filio Dei, prout subsistit in **sola** Dei natura, conveniunt.

420. S. Ambrosius (Lib. II. *De Fide* etc. *prol.*) ex variis locis N. et V. Tertamenti collegit duodecim nomina quibus solet secunda Persona S.mae Trinitatis designari, eaque assimilat duodecim praetiosis lapidibus assutis in vestimento S. Aaronis qui Christi figuram gessit. Nomina haec sunt 1) *Filius Dei,* 2) *Verbum,* 3) *Imago,* 4) *Idea,* 5) *Principium,* 6) *Sapientia,* 7) *Lux,* 8) *Candor lucis aeternae,* 9) *Character,* 10) *Figura substantiae Dei,* 11) *Speculum sine macula,* 12) *Veritas.*

Declaratur. Secunda Persona S.mae Trinitatis nominatur:

α) *Dei Filius,* quia per naturalem generationem a Deo Patre procedit (Cfr. art. 2 h. q. ad 3.m);

β) *Verbum Dei,* quia per intelligibilem processionem immaterialiter est a Deo genita (Ibid.);

γ) *Imago,* quia perfecte repraesentat Deum Patrem a quo per intelligibilem generationem processit (Ibid. et Q. seq.);

δ) *Idea divinae mentis,* quia intelligibiliter repraesentat omnia quaecumque Deus Pater intelligit;

ε) *Principium,* quoniam a Dei Filio procedunt tam Spiritus Sanctus quam creaturae omnes (Cfr. Q. praec. art. 1, o);

ζ) *Sapientia Dei,* quia est altissima conceptio a divino intellectu possessa (Prov. IX, 1);

η) *Lux,* quoniam illuminat non solum mentem Dei Patris, sed etiam omnem hominem venientem in hunc mundum (Joan. I, 9);

θ) *Candor lucis aeternae,* quia est lumen de lumine, perfecta irradiatio mentis Dei Patris (Sap. VIII, 26) et beatorum;

ι) *Character,* quia *personali differentia* discernitur a Deo Patre, et manet in Eius possessione;

κ) *Figura substantiae Patris,* quia in semetipso accepit a Deo Patrem totam eius substantiam (Heb. I, 3);

λ) *Speculum sine macula Dei Maiestatis,* quia perfecte aequalis est Deo Patri in maiestate (Sap. VII, 26);

μ) *Veritas* demum, quia Verbum intelligibile a Dei Mente procedens (cuiusmodi est Dei Filius) adaequat perfecte totum esse divinitatis; in qua adaequatione veritas consistit, sicut in Ontologia docetur.

421. Ex his duodecim nominibus principaliora, quaeque proprie attribuuntur Dei Filio, sunt haec quatuor, videlicet: *Filius, Splendor, Imago* et *Verbum,* quoniam exprimunt varios aspectus *nativitatis,* per quam Dei Filius personaliter a Deo Patre procedit distinctus. « Ipsa enim **nativitas** Filii (*Dei*), quae est proprietas personalis « Eius, diversis nominibus significatur, quae Filio attribuuntur ad « exprimendum diversimode perfectionem Eius. Nam ut ostendatur « connaturalis Patri, dicitur *Filius;* ut ostendatur coaeternus, dicitur « *Splendor;* ut ostendatur omnino similis dicitur, *Imago;* ut osten- « datur immaterialiter genitus, dicitur *Verbum*» (art. 2 h. q. ad 3.m).

422. Ut autem propositae sibi (Cfr. Vol. I, n. 13) in hoc opere componendo brevitati morem gereret, Angelicus, reliquis omissis, tractat solum de quatuor praedictis.

α) « Sed ratio *Filii* ex ratione *Patris* consideratur » (Prol. h. q.) facillime, ita scilicet ut quemadmodum **Pater** essentialiter dictus denotat totam Trinitatem quatenus causam effectricem et exemplarem creaturarum, pari modo **Filius** essentialiter seu metaphorice dictus significat creaturam intellectualem, quatenus per divinam gratiam trahitur in Filiationem Dei *adoptivam* et in consortium divivae naturae; iuxta illud: « Maxima et praetiosa nobis promissa « donavit, ut per haec efficiamini divinae consortes naturae » (II. Pet. I, 4).

β) Et similiter quia *Paternitas* in Deo Patre se habet, sicut Filiatio in Dei Filio, sequitur quod, sicut τὸ *Pater* personaliter sumptum est nomen **stricte proprium** primae Personae S.mae Trinitatis, ita τὸ *Filius* personaliter acceptum est nomen **stricte proprium** secundae Personae Trinitatis (Cfr. n. 394, § *A*).

γ) Item sicut ratio **Paternitatis,** *personaliter* sumpta, invenitur *primo, principaliter* et *fontaliter* (Cfr. n. 396) in prima Persona Trinitatis, *secundario* autem in creatura praesertim humana ; ita ratio **Filiationis,** *personaliter* accepta, invenitur *primo, principaliter* et *fontaliter* in secunda Persona Trinitatis, *derivative* autem in creaturis praesertim intellectualibus.

δ) Tandem sicut *Paternitas* personaliter accepta habet naturae prioritatem super *Paternitate divina* accepta essentialiter (Cfr. n. 403), ita *Filiatio Dei* personaliter considerata est prior prioritate naturae quam *divina Filiatio* accepta essentialiter seu metaphorice, quaeque convenit creaturis praesertim intellectualibus per ordinem ad Deum.

423. Ratio igitur *Filii,* quae convenit secundae Personae S.mae Trinitatis, satis congnita est ex dictis circa nomen *Patris* (Q. praec.). « Unde restat considerandum de *Verbo* et *Imagine* » (Prol. h. q.), prouti sunt nomina propria Filii Dei.

424. Dicemus autem primo loco de nomine « **Verbum** » quia in « nomine Verbi eadem (*personalis*) proprietas importatur quae in « nomine Filii. Unde dicit Augustinus (Lib. VII *De Trinit.* cap. 2) *Eo « dicitur* Verbum *quo* Filius » (Art. 2 h. q. ad 3.m).

425. Sunt vero in hac quaestione tres articuli, quorum ordo satis per se patet.

Art. I. Utrum Verbum in divinis sit nomen personale.

426. Circa titulum memento ex dictis supra n. 394, § *A,* quod in tractatu de S.ma Trinitate nomen **personale** vocetur illud quod sive *intrinsece* sive *ex consequenti* importat originem sive processionem unius divinae Personae ab alia : eo quod divinae Personae per *originem* et *relationem* ad invicem distinguantur. — Nomen autem **essentiale** est illud quod *nec* intrinsece *nec* ex consequenti importat originem aut processionem unius divinae Personae ab alia.

427. In eodem titulo consideranda sunt verba « *in divinis* »

quoniam heic non inquiritur de Verbo, universim sumpto, sed unice de Verbo quatenus de Deo dicitur, sicut in illo « *Et* Deus *erat* Verbum » (Joan. I, 1).

428. Rursum adverte particulam « *sit* » quae habetur in titulo. Ea namque innuit non quaeri hoc in loco *Utrum* Verbum **possit supponere** *pro* Persona *in divinis;* neque inquiri *An* Verbum **ex accomodatione loquentium** *sit nomen* Personale *in divinis ;* sed quaeritur *Utrum* Verbum **ex sua propria significatione** *sit nomen* Personale *in divinis ?* Quae sane quaestio, quum implexas multas alias habeat, has seriatim exponere aggredior. — Sit igitur

429. Q. I. *Utrum* **Verbum** *dicatur* proprie *aut* metaphorice *in divinis ?*

Ad aliqualem notitiam *Verbi divini* manuducit cognitio *verbi humani intellectus*. Dicit enim Augustinus in Lib. XV *De Trinit.* cap. 10 « Quisquis potest intelligere **Verbum** non solum antequam sonet « verum etiam antequam sonorum eius imagines cogitatione invol« vantur, iam potest videre aliquam *Verbi* illius similitudinem, de « quo dictum est: *In principio erat Verbum* » (Ioan. I, 1). Cfr. hic, o.

430. Unde variae significationes huius vocis « *Verbi* » sunt praenotandae.

A) Priscianus Caesariensis, grammaticus saec. VI, in Lib. I. *De Part. Orat.,* cap. *De Verbo* ait τὸ *Verbum* etymologiam trahere a *verberatione aëris ;* et sic videtur significare motionem sonoram ab ore animalis emissam. At, hac etymologia seposita, penes theologos et philosophos τὸ *Verbum* solet accipi quandoque *proprie,* et quandoque *metaphorice.*

α) Verbum, *proprie* acceptum, denotat *ideam* seu *signum* illud quod potentia cognoscitiva efformat intra se dum actu cognoscit rem aliquam, et *in qua idea* seu *signo* contemplatur rem quam cognoscit (Cfr. hic, o et ad 4.m; item I. *Sent.* Dist. XXVII, Q. II, art. 1, o).

β) Verbum, *metaphorice* sumptum, denotat *operationem aliquam exteriorem* vel *rem* forinsecus *operatam* quatenus huiusmodi *operatio* aut *res exterior* assumitur ab una persona ad proprias conceptiones alteri manifestandas; sicut demonstrando epistolam manu Regis conscriptam solemus dicere: « Hoc est *verbum* quod dixit vel mandavit « Rex » (Ibid.).

B) Adhuc τὸ Verbum *proprie* acceptum solet tripliciter sumi, videlicet: *propriissime, minus proprie* et *improprie.* Sumitur:

α) *propriissime,* quando designat *notionem obiectivam* quam mens producit intra se dum actu intelligit. Et sub hoc adspectu *Verbum* a quibusdam Doctoribus nominatur *verbum cordis,* a S. Ioan. Damasceno (Lib. I. *Orthod. Fidei* cap. 18) *lux* vel *splendor intellectus,* a S. Augustino (Lib. IX *De Trinit.* cap. 10) verbum *impressum* seu *manens in Anima cogitante.* — Adhuc *Verbum* sumitur quandoque :

β) *minus proprie,* et tunc significat *vocem* qua quis manifestat forinsecus ea quae mente intelligit. Et sub hoc adspectu nominatur *Verbum vocis,* vel cum S. Augustino *Verbum cum syllogismo prolatum,* vel cum S. Damasceno *Angelus,* seu *Nuntius intelligentiae* i. e verbi mentalis. — Denique *Verbum* sumitur quandoque :

γ) *improprie,* et tunc significat vocem *imaginatione* conceptam etsi nondum *exterius* prolatam. Et hoc verbum a quibusdam nominatur verbum quod habet *imaginem vocis,* a S. Augustino *verbum* (orale) *animi sinu cogitatum,* et a S. Damasceno *verbum* (orale) *in corde enuntiatum* (Ibid.).

431. His praenotatis, sit

Conclusio I. *Tam verbum* **vocis** *quam verbum* **imaginatione conceptum** *nonnisi* **metaphorice** *exsistunt in Deo.*

Nota. Est certa apud omnes theologos.

Prob. *Ratione theologica.* Etenim utrumque *verbum* est aliquid *sensibile* et *corporeum;* uti ex terminis constat. — Consequenter nequeunt exsistere *formaliter* ac *proprie,* sed solum *improprie* ac *metaphorice,* in Deo : eo scilicet modo quo in Deo ponitur *ira, tristitia,* etc. — Ad rem S. Thomas : « Verbum *vocis,* quia corporaliter « impletur, de Deo dici non potest nisi *metaphorice,* prout ipsae sci- « licet creaturae a Deo productae etiam *verbum eius,* dicuntur, aut « motus ipsarum (*dicuntur verbum Dei*) inquantum designant intelle- « ctum divinum, sicut effectus causam.

« Unde eadem ratione nec Verbum, quod imaginem habet vocis, « poterit dici de Deo *proprie* sed *metaphorice* tantum ; ut sic dican- « tur *Verbum Dei* **ideae** rerum faciendarum » (Q. IV. *De Verit.* inter *QQ. Dispp.,* art. 1, o. — Cfr. I. *Sent.* loc. cit. et hic, o) in mente divina exsistentes.

432. Unde tota quaestio, ab initio proposita, huc reducitur ut sciamus : « Utrum in divinis exsistat realiter Verbum **propriissime** « dictum ; an e converso **omnia** quae de Dei Verbo in Scripturis

« dicantur, debeant intelligi **metaphorice** pro *dicto* vel *facto* quod « per *verbum orale* Deus aliquibus hominibus revelavit?»

A) « Ariani, quorum **fons** Origenes invenitur, posuerunt Filium « **alium** a Patre esse in *diversitate* substantiae. Unde conati sunt, « cum Filius Dei *Verbum* dicitur, astruere (*Verbum ibidem*) non esse « *proprie* dictum, ne sub ratione *Verbi* procedentis cogerentur fateri « Filium Dei non esse extra substantiam Patris » (Hic ad 1.m — Cfr. S. Epiphan. Lib. *De Haeres.* haer. 64).

B) Ad positionem Arianorum accessit Rosminius, qui videtur docuisse Verbum Dei esse formam quamdam idealem τοῦ *esse initialis* quod Deo et creaturis *univoce* convenit (Cfr. Denzinger. *Enchir.* nn. 1894-1906), seu quod « Verbum (*Dei*) est materia illa invisa ex qua, « ut dicitur Sap. XI, 18, creatae fuerunt res omnes universi » (*Enchir.*, n. 1909). Unde et infert quod « revelato mysterio SS. Tri- « nitatis, potest ipsius exsistentia demonstrari argumentis mere spe- « culativis, negativis quidem et indirectis, huiusmodi tamen ut per « ipsa veritas illa ad philosophicas disciplinas revocetur atque fiat « propositio scientifica sicut ceterae etc. » (Ibid. n. 1915).

Contra horum dicta ponitur

Conclusio II. *Arianorum positio est omnino reiicienda.*

Nota. Est Fidei dogma.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Etenim in Evangelio S. Ioannis v. 1 legitur: *Verbum erat apud Deum et Deus erat Verbum.* — Atqui Verbum Dei, *metaphorice* dictum, est aliquid finitum et creatum, non autem Deus; sicut etiam Ariani concedunt. — Ergo hoc ipso quod iuxta evangelium S. Ioannis *Verbum* sit *Deus,* huiusmodi Verbum Dei non est Verbum *metaphorice* dictum sed *propriissime* acceptum.

2.° *Ex Conc. Syrmiensi.* Ibi namque can. 7 definitum fuit: « Si « quis *affectivum* aut *prolativum* Verbum dixerit Dei Filium, anathe- « ma sit » (Cfr. art. seq. ad 2.m). — Aliorum Conciliorum auctoritates lege sequenti conclusione.

3.° *Ratione theologica.* Non datur verbum *metaphorice* aut *minus proprie* dictum, nisi praesupponatur Verbum *propriissime* dictum. Probabo. — Si ergo, fatentibus Arianis, exsistit realiter in divinis verbum Dei *metaphorice* aut *minus proprie* dictum, debet quoque in divinis exsistere Dei Verbum *propriissime* acceptum. — Illatio patet.

Prob. antecedens. Verbum *metaphorice* aut *minus proprie* dictum nonnisi haec duo potest significare, videlicet:

vel vocem aut aliud signum ideographicum manifestans conceptionem nostri intellectus,

vel ipsas res exteriores quae factae sunt iuxta ideas praeconceptas a divino intellectu (Cfr. n. 430, § *A*, α, et *B*, β).

Porro manifestum est ex ipsis terminis, quod verbum *metaphoricum*, tum si intelligatur in priori sensu tum si accipiatur in altero sensu, habet *correlationem* necessariam ad verbum mente conceptum quod propriissime dicitur.

Et ideo *illogice* (uti haereticorum mos est) agunt Ariani volentes in Deo inveniri verbum *metaphorice* dictum, non autem verbum *propriissime* acceptum (Cfr. hic, o).

« Etsi ergo Verbum aliquando dicatur *metaphorice* in divinis, ta« men oportet ponere Verbum *proprie* dictum (Hic ad 1.m). Dicitur « autem *proprie* Verbum in Deo, secundum quod significat conce« ptum intellectus » (Hic, o).

433. Q. II. *Verbum mentale,* **propriissime** *dictum, quidnam* significat *in divinis?*

R. Ad intelligentiam dicendorum nota, quod in omni eo, qui actualiter intelligit, possunt *tria* considerari videlicet :

α) Operatio ipsa intelligendi,

β) Elementum obiectivo-ontologicum, videlicet *res* quae tamquam cognita obiicitur menti intelligenti,

γ) Elementum obiectivo-psychologicum, idest *terminus* ille qui *producitur* ab operatione intellectiva intra intellectum *actu* intelligentem. « Quicumque enim intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, « procedit aliquid intra ipsum ; quod est conceptio rei intellectae ex « vi intellectiva et eius notitia (*i. e. specie impressa eiusdem rei*) « procedens » (Q. XXVII, art, 1, o — Cfr. n. 62).

Horum autem trium *postremum* est illud quod dicitur **propriissime** Verbum mentis seu Verbum cordis.

Unde loquendo de divinis, Verbum mentis, *propriissime* dictum, est terminus ille, qui per actionem intellectus Dei Patris vitaliter procedit et manet in eodem intellectu, manifestando intellectui eiusdem Dei Patris omnia quaecumque intelligit ipsemet.

434. **Corollaria.** 1.° Facile est advertere quod in omni intellectione verbum mentale distinguitur **saltem** *virtualiter* ab operatione intellectiva. Etenim operatio intellectiva se habet tamquam **principium** a quo procedit verbum mentis ; quod proinde se habet

tamquam illius operationis **terminus.** Modo constat *principium* et *terminum* eiusdem operationis invicem distingui **saltem** *virtualiter.* Constat.

2.° Rursum in omni agente intellectuali verbum mentale distinguitur **saltem** *virtualiter* ab elemento pure ontologico quod manifestatur intelligibiliter in verbo mentali. — Etenim verbum hoc mentale nonnisi in actuali cognitione invenitur tamquam eius terminus. — Atqui res, obiective manifestata intellectui per tale verbum, adest quoque sub alia forma extra intellectum. — Et ideo **unum** non est formaliter **aliud.** Patet.

3.° Sic igitur etiam in divinis, ubi *virtualis* distinctio praecipuum locum obtinet, Verbum mentale Dei **propriissime** dictum non est nec *operatio* intellectus divini, nec *res* quae per istam operationem *manifestatur* divino intellectui, sed est *terminus* vitaliter *procedens* per operationem divini intellectus atque continens intelligibiliter omnia quaecumque Deus intelligit.

435. His praesuppositis, movetur

Q. III. *Verbum mentale,* **propriissime** *dictum, in divinis estne monen* **essentiale,** *an vero* **personale?**

Rabbi Moyses Maimonides (1139-1209), sicut refert P. Nicolaus Eymericus, O. P. in suo *Direct. Inquisit.,* P. II, q. 4, docuit Verbum in divinis dici **tantummodo** essentialiter (Cfr. Porrecta, *Append.* in h. a.).

Durandus vero in I. Sent. Dist. XXVII, q. 2 sensit, quod Verbum secundum *propriam* significationem dicitur in Deo *essentialiter,* sed secundum *quamdam appropriationem* tribuitur personaliter **soli** Deo Filio.

Angelicus demum, iunior quum esset, sensit in I. *Sent.* Dist. cit., Q. II, art. 2, o, quod Verbum *proprie* dictum *possit* in divinis intelligi tum *essentialiter* tum *personaliter:* at, procedente aetate, docuit in Q. IV. *De Verit.,* art. 2, Verbum in divinis dici **magis** personaliter **quam** essentialiter, sive esse nomen **potius** personale **quam** essentiale ; in Summa Theologica demum art. praes. docet ut sequitur

Conclusio III. *Nomen* **Verbum,** propriisime *acceptum, in Deo est nomen* **Personale.**

Nota. « Est autem conclusio articuli ita certa, ut oppositum sit « plusquam temerarium. Est enim conclusio communis sententia cum « Magistro in I. *Sent.* Dist. XXVII ». Bannez, *Com.* in h. a.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura. A*) In Evangelio S. Joannis I, 1-14 legimus « Et *Deus* erat **Verbum...** Et **Verbum** *caro* factum est ». Videlicet Verbum, in Deo *propriissime* dictum, humanam suscepit naturam. — Atqui non *divina natura,* sed *Persona divina,* humanam suscepit naturam, seu est incarnata: constat ex Fide. — Et ideo Verbum in Deo *propriissime* dictum est nomen Personale et non Essentiale.

B) Praeterea I. Ioan. V, 7 dicitur: « Tres sunt qui testimonium « dant in coelo *Pater*, **Verbum** et *Spiritus Sanctus,* etc. » Ubi τὸ **Verbum** non solum connumeratur cum aliis duabus divinis Personis, sed etiam exhibetur tamquam *testimonium faciens,* seu *operans* cum duabus aliis Personis divinis: constat. — Atqui operari est proprium Personarum vel suppositorum. — Ergo τὸ **Verbum** in citato testimonio est Persona quaedam divina. Consequenter nomen **Verbum** etc.

2.° *Ex Ss. Patribus. A*) S. Cyrillus Alexand. (Lib. VII *Thesaur.* cap. 1) dicit: « Verum Patris *Verbum* Filius est, neque est aliud « verum *Verbum* Patris quam Filius ».

B) Praeterea « dicit Augustinus in VII *De Trinit.,* cap. 2 *Sicut* « *Filius refertur ad Patrem, ita et Verbum ad id cuius est Verbum.* « Sed *Filius* est nomen Personale, quia relative dicitur. Ergo et « *Verbum* » (Hic. *Sed Cont.*) propriissime dictum. — Et ibidem, cap. 3 scribit: « Eo dicitur *Verbum* quo Filius ». Cfr. etam Lib. VII *De Trinit.* cap. 2.

C) S. Ioan. Damascenus (Lib. I. *De Fide Orthod.,* cap. 18) ait: « Verbum Dei est **substantiale** et *in hypostasi* ens », seu ens personaliter subsistens (Cfr. Q. XXIX, art. 2, o).

3.° *Ex Conciliis Oecumenicis. A*) Conc. Ephesinum, celebratum an. 431 inter anathematismos S. Cyrilli, can. 12 haec habet: « Si « quis non confitetur Dei Verbum *passum carne,* et *crucifixum carne* « etc... anathema sit» (*Enchir.* n. 124)—*Agere* autem et *pati* est proprium **Personae.** — Ergo Dei Verbum est nomen Personale.

B) Synodus Generalis V in decreto *De Tribus Capitulis,* Act. I, can. 2 statuit: « Si quis non confitetur Dei Verbi *duas* esse *nativitates*... talis anathema sit » (*Enchir.* n. 214). Et ibidem can. 10 definivit: « Si quis non confitetur Dominum Nostrum Iesum Christum « qui *crucifixus* est *carne* Deum esse verum... et *unum de Sancta* « *Trinitate,* talis anathema sit » (Ibid. n. 222). Porro *mori, pati, esse unum de Sancta Trinitate* etc. conveniunt non *essentiae* sed *Per-*

sonae divinae. — Ergo *Verbum* in divinis est nomen personale. — Similia habentur in Concilio Tolet. XI, saepe Dei Filium nominando *Verbum* (*Enchir.* nn. 275-287).

4.° *Ratione S. Thomae.* « Verbum secundum quod proprie dicitur « in divinis, significat aliquid ab alio procedens (*Cfr. n. 433*): quod « pertinet ad rationem nominum Personalium in divinis; eo quod « Personae divinae distinguuntur secundum originem, ut dictum est « (Q. XXVII, art. 3. Unde oportet, quod nomen *Verbi,* secundum « quod *proprie* in divinis accipitur, non sumatur essentialiter sed « personaliter tantum » (Hic, o — Cf. Bannez, *Com.* in h. a.).

436. **Obiic.** *Sicut* **Verbum** *significat emanationem ab intellectu, ita* **Amor** *significat emanationem a voluntate. Atqui in divinis* **Amor** *quando accipitur* proprie, *dicitur* **essentialiter;** *dum dicitur* personaliter, *quando sumitur* **per quandam appropriationem.** *Ergo a pari* **Verbum** proprie *dicitur* **essentialiter, per appropriationem** *vero dicitur in Deo* personaliter.

R. Concedo *maiorem* et *minorem:* nego autem *consequens* cum *paritate.* Disparitas est in hoc, quod ob inopiam nostrorum vocabulorum circa processionem *voluntatis,* per idem nomen *Amoris* solemus indicare indifferenter tum operationem sive **actum** amoris, tum **terminum** qui per talem actum procedit a voluntate (Cfr. Q. XXVII, art. 3): dum circa processionem *intellegibilem* habemus vocabula specialia ad significandum tum **operationem** intelligibilem tum **terminum** ab intellectu procedentem per hanc operationem. Et nomen huius **termini** ab operatione intellectiva procedentis est **Verbum.** — Sed id quod in Deo procedit per modum **termini** est *Persona.* — Et ideo **Verbum,** propriissime dictum, in divinis est nomen *personale* (Cfr. I. *Sent.* Dist. XXVII, Q. II, art. 1 ad 2.m; item Q. IV *De Veritate* inter *QQ. Dispp.,* art. 2 ad 7.m; et Caiet. *Com.* in h. a.).

437. **Scholium I.m** In responsione ad 2.m S. D. monet, quod « *Cogitationis...* nomen Dei Verbo **proprie** non convenit. Dicit enim « Augustinus Lib. XV *De Trinit.* cap. 16: *Ita dicitur illùd* Verbum « Dei, *ut* cogitatio *non dicatur, ne aliquid esse quasi volubile creda-* « *tur in Deo quod nunc accipiat* forman *ut* Verbum *sit, eamque di-* « *mittere possit atque* informiter *quodammodo volutari.* Cogitatio « enim (*quasi* Cogitatio — RR. *Cum* et *agitatio*) *proprie* in *inquisi-* « *tione veritatis* consistit; quae in Deo locum non habet (*quum Deus* « *omnia perfectissime cognoscat* — *Cfr. Q. XIV, art. 7*). Cum vero

« intellectus iam ad forman veritatis pertingit, *non cogitat* sed *per-*
« *fecte* veritatem contemplatur. Unde Anselmus (*quando in* Monologio, *cap. 60 ait :* « Dicere Summo Spiritui nihil aliud est, quam cogi-
« tando intueri») improprie accipit *cogitationem* pro *contemplatione* ».

438. **Scholium II.**m Operatio qua verbum profertur, nominatur **Dictio** vel **Dicere**. Atqui *dicere* importat relationem ad *verbum*. Et ideo, « sicut, proprie loquendo, *Verbum* dicitur *personaliter* in divi-
« nis, ita et *Dicere*. Unde sicut *Verbum* non est commune Patri et
« Filio et Spiritui Sancto, ita non est verum quod Pater, Filius et
« Spiritus Sanctus sint **unus** dicens. Unde Augustinus dicit Lib. VII
« *De Trinit.* cap. 1: «**Dicens** *illo coaeterno Verbo non singulis inte-*
« *lligitur in divinis, sed* **cum** *ipso Verbo sine quo non est utique*
« **dicens**».

« Sed **dici** convenit cuilibet Personae. **Dicitur** enim non solum
« *Verbum* sed etiam **res** quae *Verbo* intelligitur vel significatur. Sic
« ergo **uni soli** Personae in divinis convenit **dici** eo modo quo *dici-*
« *tur Verbum:* eo vero modo quo dicitur **res** *in Verbo intellecta,* cui-
« libet (*divinae*) Personae convenit **dici.** Pater enim, intelligendo se
« et Filium et Spiritum Sanctum et omnia alia quae eius scientia
« continentur, concipit Verbum : ut sic tota Trinitas Verbo dicatur,
« et etiam omnis creatura ; sicut intellectus hominis **verbo** (*totum*)
« quod concipit intelligendo lapidem, lapidem dicit » (Hic ad 3.m).

Quid autem intersit inter duas istas functiones operationis intellectivae, videlicet inter *dicere* et *intelligere;* item qua ratione operatio divini intellectus quantum ad functionem quae est *intelligere* conveniat singulis Personis Trinitatis, dum quantum ad functionem quae est *dicere,* sit *propria* **uni** Deo Patri, haec duo supra (Q. XXVII, art. 1) fuerunt exposita.

Quod vero S. Anselmus in *Monologio,* cap. 60 singulis divinis Personis attribuat tam *dicere* quam *intelligere,* id processit ex eo quod « Anselmus... improprie accepit *dicere* pro *intelligere:* quae
« tamen differunt, nam *intelligere* importat solam habitudinem *intelli-*
« *gentis* ad *rem intellectam,* in qua (*habitudine*) nulla ratio originis
« importatur, sed solum informatio quaedam in intellectu nostro, prout
« intellectus noster fit in actu per formam (*seu speciem*) rei intelle-
« ctae. In Deo autem importat omnimodam identitatem, quia in Deo
« est omnino idem intellectus et (*obiectum*) intellectum, ut supra
« ostensum est Q. XIV, artt. 4 et 5. — Sed *dicere* importat principa-

« liter habitudinem ad *verbum conceptum:* nihil enim est aliud *dicere* « quam *proferre verbum.* Sed mediante verbo importat habitudinem « ad rem intellectam, quae in verbo prolato manifestatur intelligenti. « Et sic **sola** Persona, quae profert Verbum, est *dicens* in divinis, « cum tamen *singula* personarum sit *intelligens* et *intellecta,* et per « consequens *Verbo dicta* » (Hic ad 3.m).

ART. II. UTRUM VERBUM SIT PROPRIUM NOMEN FILII.

439. Dictum est nomen Verbi, secundum quod propriissime de Deo dicitur, esse nomen Dei personale, videlicet, **uni** tantum divinae Personae conveniens. Quaenam autem sit huiusmodi Persona, operosius discutiendum est. Ea propter circa titulum nota τὸ *nomen proprium* heic accipi pro nomine significante *formalitatem* secundum quam Dei Filius a Patre et a Spiritu Sancto distinguitur.

440. Quidam haeretici, Ἄλογοι dicti, negarunt *Filium Dei esse Verbum,* ac propterea omnes libros S. Scripturae, videlicet Evangelium, Apocalypsim et Epistolas S. Ioannis Apostoli, in quibus fit sermo de *Verbo* tamquam de vero *Filio Dei,* expunxerunt tamquam spurios ex canone S. Scripturae (Cfr. S. Augustinus Lib. *De Haeres.* n. 11 ; et S. Epiphanius, *Haer.* 51).

α) Huc quoque spectat haeresis Arianorum dicentium *Verbum* in divinis esse **alienum, peregrinum** et **segregatum** a substantia *Dei Patris,* neque dici posse nisi **abusive** *Filium Dei.* De qua haeresi legi possunt speciatim acta in Conc. Ephesino (Oecum. III) et in II. Constantinopolitano (Oecum. V). — Cfr. Nicephorum Lib. II. *Hist. Eccles.* cap. 8.

Contra haereticos istos ponitur

441. **Conclusio I.** *Verbum,* **propriissime** *dictum, in divinis est nomen* **proprium** *Filii Dei.*

NOTA. Ad Fidei dogma *videtur* spectare.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Haec enim, quum de *Filio Dei* mentionem facit, *saepe* vocat illum **Verbum,** dum nullam aliam S.mae Trinitatis personam hoc nomine designat. Probabo. — Ergo **Verbi** nomen, prouti *personaliter* dicitur in divinis, est **proprium** solius *Filii Dei.* — Illatio patet.

Prob. antec. Nota sunt testimonia illa : « In principio erat *Ver-* « *bum*... et Deus erat *Verbum*... et *Verbum* **caro** factum est. Et vi-

« dimus gloriam *Eius,* gloriam quasi **Unigeniti a Patre** etc.» (Ioan. I, 1-14); item I. Ioan. V, 7: « Pater, *Verbum,* et Spiritus Sanctus, « et hi tres **unum** sunt». Demum Apoc. XIX, 13 de Christo ait idem Ioannes: « Et vocatur nomen Eius *Verbum* Dei ».

2.° *Ex Ss. Patribus* idem deducitur: quorum testimonia dedimus Concl. III art. praec.

3.° *Ex Conciliorum actis* idem deducitur. Vide loc. cit.

4.° *Ratione S. Thomae.* « **Verbum** proprie dictum in divinis « personaliter accipitur et est proprium nomen Personae Filii: signi- « ficat enim quamdam emanationem intellectus (*i. e. terminum qui « per intellectionem procedit*). Persona autem, quae procedit in divi- « nis secundum emanationem intellectus, dicitur *Filius;* et huiusmodi « processio dicitur *Generatio,* ut supra (Q. XXVII, art. 2) ostensum « est. Unde relinquitur quod **solus** *Filius* proprie dicatur Verbum in « divinis » (Hic, o).

442. **Obiic.** *S. Basilius* Lib. V *contra Eunomium,* cap. 11 *exponens illa:* Portans omnia **Verbo** (gr. ῥήματι) virtutis suae (*Heb. I, 3*), *et alia:* Sumentes gladium Spiritus, quod est **Verbum** (gr. ῥῆμα) Dei (*Ephes. VI, 17*) *dicit* Spiritum Sanctum esse **Verbum** Dei. — *Ergo ratio* **Verbi** *in divinis non convenit* **uni** *Filio Dei.*

R. Nego consequens. Etenim « quod vero Basilius interpretatur « Verbum pro Spiritu Sancto, improprie et figurate locutus est, prout « Verbum alicuius dici potest omne illud quod est manifestativum « eius; ut sic ea ratione dicatur Spiritus Sanctus Verbum Filii, quia « manifestat Filium » (Hic ad 5.m).

Vel potest dici S. Basilium vocare Spiritum Sanctum Verbum Filii quasi tubicinen et praeconem Filii; iuxta illud Christi de Sancto Spiritu: «Non loquetur a semetipso, sed quaecumque audiet loquetur» (Ioan. XVI, 13). Omnia enim quae Sancti de Christo loquuti sunt, per inspirationem acceperunt. Et « quod hic sit intellectus Ba- « silii, patet ex eo quod subdit: *Eloquium Filii* per Apostolum dici « *gladium Spiritus* quod est *Verbum Dei:* Ipsum enim Verbum Dei, a « Sanctis prolatum, *gladius Spiritus* manifeste dicitur ». S. Thomas ita in Opusc. I, cap. 12 (Cfr. Q. IV. *De Verit.* inter *QQ. Dispp.* art. 3).

α) Ceterum advertendum est, quod in locis in obiectione adductis Scriptura Sacra non utitur voce Λόγος, sicut quando agit de Filio Dei, sed voce Ῥῆμα, quae *dictum* aut *sermo,* aut *praedicatio* ex-

ponitur (Cfr. Suárez, Lib. IX *De Trinit.*, cap. I, n. 11; item Vasquez, *Com.* in h. a.; item P. Zorell, S. I. *Novi Testamenti Lexic. Graecum,* Parisiis 1911).

443. In libris canonicis et Ss. Patrum secunda Persona S.mae Trinitatis nominatur quandoque *Filius* et quandoque *Verbum,* sicut ex dictis patet. Proponitur inde

Q. I. *Utrum secunda Persona S.mae Trinitatis vocetur* magis proprie *et* exactius **Filius** *quam* **Verbum?**

Famosa Synodus Pistoriensis anno 1794 agens de augustissimo S.mae Trinitatis mysterio, § 2 *Decreti de Fide,* docuit: « tres divi-« nas Personas, secundum earum proprietates personales et incom-« municabiles, exactius loquendo, exprimi seu appellari *Patrem, Ver-« bum* et *Spiritum Sanctum,* quasi minus propria et exacta foret « appellatio **Filii** etc. » (*Enchir.* n. 1597). Quae tamen assertio a Pio PP. VI damnata fuit tamquam *imprudens, et facile homines rudes praesertim et incautos in fraudem impellere valens* (Ibid. n. 1595). Ad remotionem huius erroris sit

Conclusio II. *Persona secunda S.mae Trinitatis non vocatur* **Filius Dei** *minus proprie vel minus exacte quam* **Verbum Dei.**

Prob. 1.° *Argumento Biblico,* ex quo evidenter apparet Sacras litteras *indifferenter* alterutro nomine denotare secundam S.mae Trinitatis Personam. Constat. — Ergo etc.

2.° *Ratione S. Thomae.* « In nomine **Verbi** eadem proprietas « (*personalis*) importatur quae in nomine **Filii.** Unde dicit Augusti-« nus (Lib. VII *De Trinit.* cap. 2): **Eo** dicitur *Verbum* **quo** *Filius.* Ipsa « enim nativitas Filii, quae est proprietas personalis Eius, diversis « nominibus significatur, quae Filio attribuuntur ad exprimendum di-« versimode perfectionem Eius. Nam ut ostendatur connaturalis Pa-« tri, dicitur *Filius;* ut ostendatur coaeternus, dicitur *Splendor;* ut « ostendatur omnino similis, dicitur *Imago;* ut ostendatur immateria-« liter genitus, dicitur *Verbum.* Non autem potuit unum nomen inve-« niri per quod omnia ista designarentur » (Hic ad 3.m).

Sic igitur, quia utraque vox *Filius* et *Verbum* denotant eamdem proprietatem secundae Personae Trinitatis sub varia eius perfectione, neutra vox est dicenda prae altera *magis propria* aut *magis exacta.* — Sequitur

444. Q. II. *Utrum Persona secunda Trinitatis* perfectius *per* **Verbum Dei** *quam per* **Filium Dei** *significetur?*

R. *Probabiliter affirmative.* Prob. Equidem nomen *Verbum Dei,* ex sua propria significatione, includit totum id quod perfectionis inest in nomine *Filii Dei,* et superaddit aliquid aliud. Probabo. — Ergo Persona secunda S.mae Trinitatis, quia est essentialiter infinita, perfectius per nomen *Verbi Dei* significatur quam per nomen *Filii Dei.*

Prob. antec. Revera « **Filius** (*ex vi proprii nominis*) importat re- « lationem **tantum** alicuius ad principium *a quo* oritur. Sed **Verbum** « importat relationem et ad principium *a quo* dicitur et ad *id quod* « est quasi *terminus,* scilicet id quod secundum *Verbum* manifesta- « tur: quod quidem principaliter est *Pater,* sed ex consequenti est « *Creatura* » (Q. IV *De Verit.* inter *QQ. Disp.* art. 6 ad 7.m). Unde, quamvis proprietas personalis Filii *eadem realiter* sit tum si secundum eam dicatur *Filius* tum si secundum eam dicatur *Verbum* aut *Imago,* attamen « quantum ad modum significandi non est eadem ra- « tio nominum trium (*cfr. art. praec.*) praedictorum. *Verbum* enim « non solum importat rationem originis (*sicut Filius*) sed etiam (*ra- « tionem*) manifestationis » (Q. IV. *De Verit.* inter *QQ. Dispp.,* art. 4 ad 6.m) Dei et creaturae sicut mox dicetur. Aliis verbis secunda Persona Trinitatis Divinae *significatur* **perfectius** per *Verbum* quam per *Filium.*

α) Fatendum tamen est eamdem secundam Personam magis sub nomine *Filii* quam sub nomine *Verbi* esse notam apud Christianos.

445. Penes eosdem Patres, uti Hilarium (Lib. II. *De Trinit.*), Tertullianum (Lib. *Cont. Praxeam,* cap. 8), Cyprianum (Lib. II *adv. Iudaeos,* cap. 3), Augustinum (Lib. X *sup. Ioan.* Cap. 8), etc. *Filius Dei* appellatur quandoque *Sermo,* quandoque autem *Verbum.* Fit ergo

Q. III. *An Filius Dei* **magis recte** *nominetur* **Verbum** quam **Sermo ?**

R. *Affirmative.* « **Sermo** enim non unam dictionem significat sed « *orationem conflatam ex pluribus dictionibus.* **Verbum** autem est « *dictio simplex.* Et propterea **Verbum** magis quadrat significando « **Dei Verbo** quod est simplicissimum. Et quamvis apud veteres pro « **Verbo Sermonem** aliquando legimus, hoc tamen est rarius, ideo- « que minus (*a nobis*) frequentandum. Cfr. Augustinum Q. 63 inter QQ. LXXXIII ». Hactenus Sylvius, *Com.* in h. a. — Vide art. seq. *Sed Cont.*

α) Unde omnino improbanda est praxis Ioannis Diodati, ministelli Protestantium, qui in Bibliae Sacrae versione italica loco vocis **Verbo** utitur vocibus **La Parola.**

Art. III. Utrum in nomine Verbi importetur respectus ad creaturas.

446. Circa titulum nota 1.° τὸ *in nomine Verbi* non significare vocem hanc **Verbum,** sed realitatem divinae Personae quae *proprie* nominatur *Dei Verbum.*

2.° Adverte vocem **respectus** significare idem ac **relatio;** ita ut sensus articuli sit: *Utrum realitas divinae Personae quae* proprie *dicitur* Dei Verbum, *includat relationem ad creaturas?*

447. Ad cuius difficultatis intelligentiam adverte quod *Verbum mentale* importet manifestationem intelligibilem alicuius obiecti deducti ex idea impressa, quaeque manifestatio intelligibilis sistit *in* et *coram* intellectu qui eructat tale verbum mentale (Cfr. Q. IV *De Verit.* inter *QQ. Dispp.* art. 5, o). Quando enim intellectus actuatus ab idea impressa trigoni concipit et interius eructat seu parturit verbum mentale repraesentans formulam quamdam trigonometricam, in tali intellectu habetur manifestatio intelligibilis huius formulae deductae ab idea impressa illius trigoni. Proinde *verbum mentale* importat essentialiter *duas* relationes; quarum

α) *una* est *ad intellectum* qui concipit seu eructat tale verbum; quia omne quod procedit ab alio, ad hoc relationem dicit, sicut ex superioribus patet.

β) *Altera* vero relatio verbi mentalis est **proxime** ad *ideam impressam* actuantem intellectum, quaeque idea est *comprincipium* verbi mentalis; **remote** vero ea relatio est ad *obiectum reale* sive extramentale (puta triangulum in pariete depictum) ex quo obiecto assumpta fuit ab intellectu *idea impressa.* Id ex psychologia notum relinquitur. — Atqui in divinis **solus** Deus Pater est *dicens* seu eructans *Verbum* (Cfr. art. 1 h. q.). — Evidens proinde est quod ipsum *Verbum Dei,* formaliter uti Verbum, importet relationem ad *Deum Patrem* formaliter uti eructantem ipsum. — De hac igitur relatione nulla fit quaestio.

448. Sed quia idea impressa in intellectu Dei Patris est divina

essentia secundum quod est etiam exemplar fundamentale omnis entis finiti; et quia tota virtualitas divinae essentiae *manifestatur comprehensive* in **Dei Verbo** quod procedit ab intellectu *Dei Patris,* manat proinde quaestio :

Utrum realitas, *quae* intelligibiliter Deo Patri *manifestatur* in **Verbo suae mentis,** dicat *relationem* ad *creaturas* seu *entia finita* quae in mundo *realiter* exsistunt vel exsistere possunt?

Hoc est punctum doctrinale solvendum in praesenti articulo.

449. Ad cuius solutionem, gradatim deveniendo, sit

Q. I. *Quaenam res manifestantur intelligibiliter in* **Verbo** *divini intellectus ?*

R. Varie de hac quaestione sentiunt theologi.

A) Scotus in I. *Sent.* Dist. XXII, q. 1 et alibi tenet in Verbo Dei manifestari intelligibiliter essentiam divinam et eius perfectiones absolutas, non autem proprietates et relationes divinarum Personarum.

B) Puteanus (*Com.* in h. a. *Dub. II,* conclus. ultima) cum paucis aliis quos citat Arrubal (Hic, Disp. CXXIII, cap. 5), docet in *Verbo Dei* exprimi intelligibiliter essentiam, proprietates absolutas et *Personam Dei Patris,* non autem *Personam Filii* neque *Personam Spiritus Sancti.*

C) Vasquez (Hic, Disp. CXLII, cap. 4), Alarcon (Hic, Disp VIII, cap. 8), Turrianus (Hic, Disp. XXVIII, Dubb. 1-3), Aegidius Lusitanus, et quidam alii, volunt in *Verbo Dei* manifestari intelligibiliter *essentiam, proprietates absolutas, Personas* item *Patris* et *Filii,* non autem Personam Spiritus Sancti.

D) Omnes autem praedicti doctores una cum Arrubal (Hic, Disp. CXXIII, capp. 5 et 6) et Pesantio (Hic, Disp. 2) tenent creaturas non manifestari intelligibiliter in *Verbo Dei.*

E) Thomistae, ex opposito, uti Caietanus (*Com.* in h. a.), Salmanticenses (Hic, Disp. XII), Ioannes a S. Thoma (Hic, Disp. XV, art. 2), Gonet (Hic, Disp. IX, artt. 1 et 2), etc. affirmant *essentiam Dei, eiusque perfectiones* tam *absolutas* quam *relativas,* et *omnes creaturas* etiam *pure possibiles* manifestari intelligibiliter in *Dei Verbo.* — His adhaerendo, sit

e) **Conclusio I.** *In Verbo Dei manifestantur intelligibiliter Deo Patri tum* **essentia,** tum **proprietates,** *tum* **Personae omnes divinae,** *tum demum* **omnes creaturae** *etiam* **pure possibiles.**

Prob. 1.° *Argumento Biblico.* Et primo quod *Dei Verbum* manifestat intelligibiliter *semetipsum* intellectui Dei Patris, patet ex terminis.

Item quod *Verbum Dei* intellectui Dei Patris manifestat intelligibiliter *divinam essentiam,* constat ex hoc quod *Verbum Dei* est realiter identicum cum *divina essentia.*

Rursum quod ipsum *Dei Verbum* manifestat intellectui Dei Patris hanc Dei Patris Personam, eruitur ex eo quod *totus Pater* est in *Dei Filio,* iuxta illud Christi ad Philippum : « Philippe, qui videt *Me,* « videt et *Patrem*... Non creditis, quia *Ego* in *Patre,* et *Pater* in *Me* est » (Ioan. XIV, 9-10). Unde et Dei Filius a S. Paulo dicitur *figura* (gr. Χαρακτὴρ) *substantiae Dei Patris* (Heb. I, 3).

In tantum vero totus Filius est in Deo Patre, inquantum procedit a Deo Patre. — Atqui a Dei Verbo procedit Spiritus Sanctus, iuxta illud Christi ad suos discipulos : « Paracletus, quem **Ego** mit- « tam vobis **a Patre** etc. » (Ioan. XV, 26). — Ergo *Spiritus Sanctus* repraesentatur in *Dei Verbo,* ac propterea manifestatur intelligibiliter intellectui Dei Patris contuentis suum Verbum.

Denique omnes creaturae, etiam *pure possibiles,* continentur intelligibiliter in *Dei Verbo ;* iuxta illud : « Omnia per Ipsum facta « sunt, et sine Ipso factum est nihil quod factum est » (Ioan. I, 3).

Habes hinc verissime quod *in Dei Verbo* etc. Q. E. D. (Cfr. hic *Sed Cont.* et Q. IV. *De Verit.* inter *QQ. Dispp.* art. 5, o).

2.° *Ratione theologica.* Ex ideologia habemus, quod *Verbum mentale* manifestat intelligibiliter obiecta omnia, quae repraesentantur in idea impressa intellectui, quaeque obiecta *actualiter considerantur* ab ipso intellectu. — Atqui idea divini intellectus est divina essentia cum qua identificantur omnes divinae Personae ; quaeque divina essentia est *primus fons et causa* omnis entis finiti.—Ergo, quia actus divini intellectus *unicus* est, et comprehendit perfectissime divinam essentiam, per hunc actum exprimuntur intelligibiliter in *Verbo Dei* tum *essentia divina,* tum *Personae singulae S.mae Trinitatis,* tum *creaturae omnes* quarum Trinitas est prima et universalissima causa (Cfr. hic, o, et loc. cit. *De Verit.*). « Pater enim intelli- « gendo se et Filium et Spiritum Sanctum et omnia alia quae Eius « scientia continentur, concipit Verbum, ut sic tota Trinitas Verbo « dicatur, et etiam omnis creatura : sicut intellectus hominis verbo « quod concipit intelligendo lapidem, lapidem dicit » (Art. 1 h. q. ad 3.m).

450. **Obiic.** *Quum producitur* **Verbum divinum,** *nondum est productus* **Spiritus Sanctus.** *Ergo quum producitur* **Verbum divinum, Spiritus Sanctus** *adhuc non est cognitus a Deo Patre. Consequenter in* **Verbo Divino** *non manifestatur Deo Patri* **Persona Spiritus Sancti.**

R. Nego *antecedens* eiusque *suppositum* cum *consequentiis.* Si enim hoc argumentum quidquam valeret, eo demonstraretur, quod Deus Pater, emittendo Verbum suae mentis, non cognosceret neque Spiritum Sanctum neque creaturas omnes; siquidem, quando eructavit Verbum suae mentis, nondum exsistebant creaturae mundi. Quae assertio, si vera esset, ostenderet quod neque nunc temporis Deus Pater illas novit: siquidem omnis *volubilitas* cognitionis a Deo Patre est ableganda. Quum ergo absurdum sit ponere Deum Patrem ignorare nunc Spiritum Sanctum et universam creaturam, tenendum est quod quando Verbum a Divina Mente procedebat, Spiritus Sanctus et omnis creatura erat non solum cognoscibilis sed etiam cognoscebatur actualiter a Deo Patre. Qualiter autem contingat Deum Patrem, cognoscendo Filium, cognoscere etiam Spiritum Sanctum, mysteriosum est. Potest tamen declarari dicendo, quod « Pater divi- « nus cognitione foecunda qua generat Verbum divinum, cognoscit « semetipsum. Sed quoniam *relativa sunt* **simul** *cognitione* (*cum* Pa- « ter *referatur ad* Filium), oportet ut eadem foecunda cognitione Pa- « ter divinus cognoscat *se* et *Filium.* Sed (*ulterius*) quoniam Pater « divinus summe perfecte *se* et *Filium* cognoscit, oportet ut compre- « hendat *se* et *Filium.* Inde attingit omnes imaginabiles perfectiones « *actu* pro illo priori exsistentes in *se* et in *Filio.* Inter has perfe- « ctiones enumeratur *virtus Spirativa.* Inde Pater cognitione foecun- « da qua generat Filium, cognoscit et summe perfecte, idest compre- « hensive, *virtutem Spirativam:* ergo necessario cognoscit et terminum huius virtutis, videlicet *Spiritum Sanctum.*

« Ex quo igitur Verbum divinum procedit a Patre aeterno, ex « cognitione comprehensiva ipsiusmet Patris evidenter deducitur « quod procedat ex cognitione omnium quae formaliter exsistunt in « Deo...

« Itaque in divinis nullum datur *prius* in quo sit et intelligatur « *Pater,* et non sit *Filius* et *Spiritus Sanctus.* Inde nullum datur « *prius* in quo Pater cognoscat *se* et non cognoscat *Filium* et *Spiri- « tum Sanctum* » (Grandi, *Com.* in h. a. *Dub. I.*).

Hanc rationem paucis complexus est S. Thomas dicendo : « quod « Verbum manifestat non solum quod est in intellectu, sed etiam « quod est in voluntate, quia ipsa voluntas est etiam intellecta » (Q. IV. *De Verit.* inter *QQ. Dispp.* art. 3 ad 4.m) a subiecto intelligente. Similiter, quia essentia divina perfecte comprehenditur a Deo quum emittit Verbum, propterea Deus cognoscit omnes modos imitabilitatis sui ad extra, et sic manifestat in Verbo omnes creaturas. Insuper, quia comprehendit omnipotentiam suam, quando gignit Verbum, propterea Deus distincte cognoscit omnes creaturas quae sunt terminus omnipotentiae divinae.

451. **Corollarium.** Si Verbum Dei intantum manifestat divino intellectui ipsam Dei essentiam, proprietates, Personas divinas et omnes creaturas, inquantum haec omnia in se intelligibiliter continet, sequitur ulterius quod illamet omnia eo modo manifestantur divino intellectui quo modo in ipso Dei Verbo continentur. — Atqui Deitas, eius proprietates absolutae et Personae Divinae continentur in Dei Verbo tamquam obiectum *principale* divinae Scientiae, dum creaturae continentur tamquam obiectum *secundarium* divinae Scientiae (Cfr. Q. XIV, artt. 2-5) — Ergo Dei Verbum manifestat *principaliter* seu *immediate* (Ibid. art. 5, o) essentiam divinam, proprietates quoque ac Personas divinas, et nonnisi *secundario* seu *mediate* creaturas omnes (Hic, o, et loc. cit.).

452. Sit nunc pro solutione quaestionis superius n. 448 positae

Conclusio II. *Verbum Dei inquantum est intelligibilis manifestatio divini intellectus, importat* 1) *relationem ad creaturas actuales et possibiles,* 2) *secundario tamen.*

Nota. Est assertio pure theologica.

Prob. *utraque pars* ex Ss. Patribus. *A*) Pseudo « Dionysius (VII « cap. *De Divin. Nominib.*) dicit: *Deus laudatur ut* **Ratio** *et* **Verbum,** « *quia est* **Sapientiae** *et* **Rationis** *largitor.* — Et sic patet quod Ver« bum, de Deo dictum, importet rationem causae. Sed causa dicitur « ad effectum. — Ergo Verbum importat respectum ad creaturas » (Q. IV *De Verit.* inter *QQ. Dispp.,* art. 5, § *Sed Cont.* 5) tamquam ad proprium effectum.

B) Praeterea S. Augustinus in Lib. LXXXIII QQ., q. 63 scribit: « Quod graece Λόγος dicitur, latine et **Rationem** et **Verbum** signi« ficat ; sed hoc loco melius **Verbum** interpretatur ut significetur « non solum respectus **ad Patrem** sed ad illa etiam quae **per Ver-**

« **bum facta sunt** operativa potentia » (Ibid. Cfr. Hic *Sed Cont.*). Ergo *Verbum Dei* etc.

Prob. *speciatim* **I.ª pars** conclusionis *Rationibus theologicis.* α) Signum repraesentativum dicit relationem ad rem signatam. — Atqui *Verbum Dei,* prouti intelligibilis manifestatio divini intellectus, est *signum* repraesentativum omnium eorum quae actualiter cognoscuntur a Divino intellectu. — Ergo, quia non solum Deus sed etiam omnes creaturae sunt in *Verbo* manifestae divino intellectui, sequitur quod *Verbum Dei,* quatenus intelligibilis manifestatio, dicat relationem non solum ad Deum uti cognitum, sed etiam ad creaturas omnes a Deo cognitas (Hic, o — Cfr. Q. et art. cit. *De Verit.,* o).

β) « Praeterea omne *Verbum* importat respectum ad id quod per « verbum dicitur. — Sed, sicut dicit Anselmus (Cfr. *Monolog.* cap. « 32-33), Deus, dicendo se, dicit omnem creaturam. — Ergo *Verbum* « (*Dei*) importat respectum non solum ad Patrem, sed etiam ad creaturam (Q. et art. cit. *De Verit.* § *Sed Cont. 3*).

γ) « Praeterea intellectus practicus refertur ad ea quae operata « sunt per ipsum. — Sed *Verbum divinum* est verbum intellectus pra- « ctici ; quia est *operativum verbum,* ut Damascenus (Lib. *De Divin.* « *Nomin.,* cap. 2, *al.* 7) dicit. — Ergo *Verbum* dicit respectum ad « creaturam » (Ibid. § *Sed Cont. 6*).

Prob. *speciatim* **II.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Equidem creaturae repraesentantur **secundario** et **mediate** in Verbo divinae mentis, sicut in corollario praecedenti ostendimus. Igitur *Relatio* quam Verbum divinum habet ad *essentiam, attributa,* et *Personas Patris* et *Spiritus Sancti,* est *immediata* et *principalis: Relatio* autem eiusdem Verbi ad creaturas *actuales* aut *pure possibiles,* est solum secundaria et mediata (Ibid.)

453. In Persona divina duas formalitates distinguimus, unam in *recto,* videlicet: *relationem realem* qua constituitur in proprio esse personali, et aliam formalitatem in *obliquo,* videlicet: *essentiam* seu *naturam divinam;* nam persona est *rationalis* seu *intellectualis naturae individua substantia* (Cfr. Q. XXIX, art. 1). Si ergo Verbum Dei dicit respectum seu relationem ad omnia ea quae intelligibiliter repraesentantur atque manifestantur in eodem Verbo Dei, emanat quaestio de fundamento horum respectuum qui continentur intelligibiliter in Dei Verbo. Aliis verbis statuitur

Q. II. *Quaenam est formalitas* **qua** *Dei Verbum dicit respectum*

ad **divinam Essentiam,** *ad* **divinas Personas** *et ad* **omnia entia finita** *a Dei Verbo repraesentata?*

R. 1.° *Verbum Dei per formalitatem* **Filiationis** *dicit respectum seu ordinem* α) **primario** *ad* **solum** *Deum Patrem,* β) **secundario** *autem ad* **solas** *creaturas.*

Prob. **I.ª pars.** *Ratione theologica.* Equidem *Filiatio divina,* qua Verbum Dei constituitur secunda Persona S.mae Trinitatis, includit *primario* ac *necessario* ordinem ad *divinam Paternitatem.* Haec autem in **solo** Deo Patre formaliter invenitur: ut evidens est. Ergo Verbum Dei per formalitatem *Filiationis* includit *primario* et *necessario* ordinem ad **solum** Deum Patrem (Cfr. hic ad 1.m).

Prob. **II.ª pars** *Ratione theologica. Filiatio,* qua Dei Verbum constituitur in suo esse personali, est *causa exemplaris* filiationis similitudinariae quae formaliter exsistit, licet diversimode, in **solis** creaturis (Cfr. Q. praec. art. 3, o). Exemplar autem ordinem dicit seu relationem ad exemplatum ab ipso. Et ideo sub hoc aspectu **Verbum** per formalitatem *Filiationis naturalis Dei* dicit respectum ad *easdem creaturas.* — Hic autem respectus est prorsus *secundarius,* non autem *aeque principalis* cum respectu quem Dei Filius habet ad Deum Patrem (Cfr. loc. cit.). — Et ideo etc.

R. 2.° *Essentia divina, quae in Dei Verbo subsistit, est formalitas* **qua** *Dei Verbum dicit ordinem ad* **omnia illa** *quae ab ipso Verbo* **intelligibiliter** *repraesentantur.*

Prob. 1.° **Indirecte.** *Ratione theologica.* In Dei Verbo nonnisi *duae* formalitates inveniuntur videlicet *Filiatio* et *Essentia divina:* constat. — Atqui ex priori formalitate *Verbum Dei* non habet respectum **nisi** *primario* ad **solum** Deum Patrem, et *secundario* ad solas res creatas seu finitas. — Sic ergo relinquitur, quod **divina essentia,** subsistens in *Dei Verbo* sit *formalitas qua* Ipsum dicit respectum intelligibilem ad omnia quae repraesentat et manifestat Deo Patri (Cfr. hic ad 1.m).

2.° **Directe.** *Ratione theologica.* Divina essentia est *realiter identica* cum qualibet Persona S.mae Trinitatis; et ulterius est *prima causa exemplaris* omnis rei finitae. — Ergo, quia haec divina essentia est realiter in *Dei Verbo,* ea est **principium sufficiens** omnium respectuum, quos *Dei Verbum* habet ad omnia quae intelligibiliter in ipsomet *Dei Verbo* repraesentantur (Ibid., et I. *Sent.* Dist. XXVII, art. 3, o).

454. Q. III. **Relatio** *inter Essentiam divinam* **realiter** *exsistentem atque Essentiam divinam* **idealiter** *repraesentatam in* **Dei Verbo;** *item* **relatio** *inter Spiritum Sanctum* **realiter** *exsistentem et Spiritum Sanctum* **idealiter** *repraesentatum in* **Dei Verbo;** *item* **relatio** *inter creaturas* **realiter** *exsistentes et creaturas* **idealiter** *repraesentatas in* **Dei Verbo,** *estne relatio* **realis,** *an* **rationis?**

R. *Ea est* **relatio rationis** *tantum.* Prob. *Ratione theologica.* «Relationes enim reales in Deo sunt illae tantummodo, quibus Per«sonae ad invicem distinguuntur» (Q. IV. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.,* art. 5, o)—Atqui Deus Pater, *idealiter* repraesentatus in *Dei Verbo,* et Deus Pater *realiter* exsistens non sunt *duae* Personae *realiter* ad invicem distinctae; et idem dicito de Spiritu Sancto *idealiter* repraesentato in *Dei Verbo,* et de Spiritu Sancto *realiter* exsistente; item de creaturis *idealiter* repraesentatis in *Dei Verbo* et de creaturis *realiter* exsistentibus in mundo. — Ergo *relatio,* quam *Dei Verbum* habet ad omnia quae ab Ipso sunt *idealiter* repraesentata atque manifestata intellectui Dei Patris est relatio *rationis,* et non realis. Q. E. D (Cfr. ibid. ad 2.m; item hic Q. XXVIII, art. 4 ad 1.m).

455. Q. IV. *Utrum Relatio divina, quae importatur in nomine* **Verbum Dei,** *dicatur de Deo* **a tota aeternitate?**

R. *Affirmative.* Prob. *Ratione theologica.* Equidem Relationes *consequuntur* ad Actiones. Unde quia **Accessorium** sequitur indolem sui **Principalis,** propterea

Relationes sunt **tales, quales** sunt *Actiones* ad quas consequuntur.

Atqui *quaedam Actiones* Dei sunt **transeuntes** in exteriorem effectum, ex. gr. *Creatio, Gubernatio, Santificatio,* etc. et istae actiones dicuntur de Deo **ex tempore:** dum

quaedam aliae Actiones Dei sunt ipsi Deo **immanentes,** ex. gr. *Scientia, Voluntas,* etc., et istae actiones dicuntur de Deo a **tota aeternitate.**

Ergo Relationes divinae quae importantur ab actione Dei **transeunte** in exteriorem materiam, ex. gr. *Creatio* aut *Gubernatio* aut *Sanctificatio,* dicuntur de Deo **ex tempore:** dum

Relationes divinae quae importantur ab actione Dei **immanente,** seu **manente intra ipsum Deum,** ex. gr. relatio importata a *Dei Scientia* aut a *Dei Voluntate* etc., dicuntur de Deo a **tota aeternitate.**

Atqui Relatio divina, importata in nomine **Verbum Dei,** est re-

latio importata ab **intellectione divina,** videlicet ab Actione Dei immanente, seu **manente intra ipsum Deum.**

Ergo Relatio divina, quae importatur **in nomine Verbum Dei,** dicitur de Deo *a tota aeternitate.*

Consequenter nomina *Verbum Dei* et *Spiritus Sancti* conveniunt Deo a tota aeternitate ; dum nomina *Creator, Gubernator* dicuntur et conveniunt Deo ex tempore (Cfr. hic ad 2.m et Q. IV *De Verit.,* Art. 5, ad 1.m).

456. Animadvertendum nunc est quod *Relatio* dicitur se habere per modum *actualis referentiae,* quando uterque terminus, inter quos viget, *exsistit actu ;* si vero *unus* terminus relationis exsistit *actu, alter* vero terminus exsistit solum *possibiliter,* tunc *Relatio* inter illos terminos dicitur esse solum secundum *habitualem* seu *possibilem referentiam.* Ex. gr. relatio filii ad suum patrem est per modum actualis referentiae, dum relatio patris ad nasciturum nepotem est relatio per modum habitualis seu possibilis referentiae. — Qua distinctione posita, proponitur

Q. V. **Relatio** *quam* **Dei Verbum** *importat ad omnia quae ab Ipso repraesentantur, estne per modum* **actualis** *an vero per modum* **habitualis referentiae?**

R. *sub distinctione.* Et sane *essentia divina, proprietates eius* **absolutae,** ac *Personae S.mae Trinitatis* exsistunt *realiter a tota aeternitate :* dum

creaturae exsistunt *realiter* non a tota aeternitate sed **solummodo** *ab initio temporis,* sicut in Cap. *Firmiter* Conc. IV Lateranensis fuit definitum.

Ergo, quia *Relatio* inter divinam essentiam *idealiter* repraesentatam a Dei Verbo, atque divinam essentiam *realiter* exsistentem in ipso Deo ; item

quia *Relatio* inter essentiam divinam *idealiter* repraesentatam a Dei Verbo atque unamquamque Personam vel proprietatem *realiter* in Deo exsistentem ; ac tandem

quia *Relatio* inter divinam essentiam *idealiter* repraesentatam a Dei Verbo atque res finitas *realiter* exsistentes in mundo,

non habent *ex aequo* **utrumque extremum** *realiter* exsistens **a tota aeternitate ;** sequitur, quod

Relatio inter divinam essentiam *idealiter* repraesentatam in *Dei Verbo* atque essentiam divinam *physicam,* item *Relatio* inter Perso-

nas divinas *idealiter* repraesentatas in Dei Verbo, et Personas divinas *realiter* exsistentes, se habent ad modum *actualis* referentiae **a tota aeternitate:** dum

Relatio inter essentiam divinam *idealiter* repraesentatam in Dei Verbo atque *creaturas omnes,* non se habeat ad modum *actualis* sed ad modum *habitualis* referentiae **a tota aeternitate** (Cfr. I. *Sent.* Dist. XXVII, Q. II, art. 3 ad 5.m).

Consequenter **Relatio** quam Dei Verbum importat ad omnia quae ab Ipso repraesentantur, non est semper nec per modum *actualis* referentiae neque per modum *habitualis* referentiae. — Sit demum

457. Q. VI. *In quo* **essentialiter** *consistit unaquaeque Relatio exsistens inter res idealiter cognitas* **in Dei Verbo,** *atque res exsistentes* **extra Dei Verbum?**

R. *Relatio inter* **Dei Verbum,** *prouti est res intellecta, et* **ea quae realiter exsistunt in Deo,** *est relatio* **Imaginis** *seu repraesentativa.—E contra, Relatio inter* **Dei Verbum,** *prouti est res* **idealiter** *a Deo cognita, atque* **creaturas,** *est relatio* **Exemplaritatis.**

Prob. **utraque pars** *simul.* 1.° « Verbum omne ad id quod per « Verbum dicitur, habet habitudinem vel *exemplaris,* vel *imaginis:*

« **Exemplaris** quidem, quando **Verbum** est causa rei (*quae ex-* « *primitur in Verbo*) sicut accidit (*in Verbo mentali, quod est*) in in- « tellectu practico (*artificis*):

« **Imaginis** autem, quando (*Verbum mentale*) causatur a re (*quae* « *idealiter dicitur in ipso Verbo*), sicut accidit (*in Verbo mentali quod* « *invenitur*) in nostro intellectu speculativo.

« Sed (*essentia divina, Personae divinae, ceteraque in Deo* realiter *exsistentia se habent tamquam* causa *seu* principium sufficiens, *ut illa eadem repraesententur* idealiter *in Verbo divino; e contra, ipsae creaturae* entitative *consideratae non se habent ut* sufficiens principium *ad hoc ut ipsae repraesententur* idealiter *in Verbo divino, sea potius haec, quae* idealiter *sunt in Verbo divino, se habent tamquam* principium sufficiens *entitatis creaturarum.*

Ergo Verbum divinum *omnium quae sunt in Deo habet rationem* « **imaginis.** *(At)* in Deo non potest esse **Verbum** quod sit creatu- « rae **Imago.** Ergo oportet quod **Verbum** (*quatenus repraesentati-* « *vum*) creaturae in Deo, sit creaturae exemplar» (Q. IV *De Verit.* « inter *QQ. Dispp.* Art. 4, arg.m 4)

2.° « Verbum..., in mente conceptum, est repraesentativum om-

« nis eius quod actu intelligitur... Et, sicut Dei scientia, Dei quidem « est cognoscitiva *tantum,* creaturarum autem cognoscitiva et facti- « va: ita *Verbum Dei,* eius quod in Deo Patre est, est *expressivum* « **tantum,** creaturarum vero est *expressivum* et *operativum.* Et pro- « pter hoc dicitur in Psal. XXXII, 9: *Dixit et facta sunt,* quia impor- « tatur in (*Dei*) Verbo ratio factiva eorum quae Deus facit» (Hic, « o — Cfr. ad 5.m).

458. **Petes. 1.°** *In quo differt* **Verbum Divinum,** *prout* **creatu- ram** *refert ab* **Idea Creaturae** *in Deo existente?*

R. Ex duobus accipitur differentia inter *Verbum* et *Ideam.*

α) « *Idea* enim nominat formam exemplarem *absolute,* sed *Ver-* « *bum creaturae* in Deo nominat formam exemplarem *ab alio dedu-* « *ctam* (*unde videtur importare quamdam relationem. Nomina absolu- ta autem in Deo pertinent ad essentiam; nomina relativa ad Perso-* « *nas*). Et ideo *Idea* in Deo ad *essentiam* pertinet, sed *Verbum* ad « Personam » (Q. IV *De Verit.* inter *QQ. Dispp.* Art. 4 ad 4.m).

β) Deinde considerandum est, « quod quamvis Deus maxime di- « stet a creaturis, considerata proprietate naturae, tamen Deus est « (*omnis*) creaturae exemplar, non autem una creatura est exemplar « alterius. Et ideo **Verbo** quo (*idealiter*) exprimitur Deus, exprimitur « (*etiam*) omnis creatura; non autem **Idea** qua exprimitur creatura « *una,* exprimitur *alia.* — Ex quo apparet *alia differentia* inter **Ideam** « et **Verbum,** quia *Idea* directe respicit creaturam; et ideo plurium « creaturarum sunt plures *Ideae.* Sed **Verbum** respicit directe Deum « qui primo (*seu principaliter*) per **Verbum** exprimitur, et ex conse- « quenti *creaturas.* Et quia creaturae, secundum quod in Deo sunt, « unum sunt, creaturarum omnium est unum *Verbum* » (Ibid. ad 5.m — Cfr. hic ad 4.m)

459. **Petes 2.°** *An* **Verbum** *importet respectum ad* **non-entia?**

Respondeo « dicendum, quod eo modo quo Scientia Dei est non « entium (*Cfr. Vol. I, nn. 866-874*), et Verbum Dei est non entium; « quia non est aliquid minus in Verbo Dei quam in Scientia Dei, ut « Augustinus dicit Lib. XV *De Trinit.* cap. 14. Sed tamen Verbum « est entium (*i. e. actu exsistentium*) ut expressivum (*exemplar*) et « factivum; non entium autem ut expressivum et manifestativum » (Hic ad 5.m).

QUAESTIO XXXV

DE IMAGINE

460. **Prologus.** Tertium nomen, quo principaliter (Cfr. Prol. Q. praec.) consuevit apud agiographos et Patres nominari tertia Persona S.mae Trinitatis, est **Imago.** Equidem Divina Sapientia dicitur « Speculum sine macula Dei Maiestatis, et **Imago** bonitatis illius » (Sap. VII, 26): quae verba S. Ambrosius (Lib. I *De Fide,* cap. 4) et S. Augustinus (Lib. VII *De Trinit.* cap. 2) exponunt de Sapientia Genita, videlicet de Verbo Divino. Item ad Colos. I, 15 Filius Dei dicitur « **Imago** Dei (*Patris*) invisibilis »; et ad Heb. I, 3 vocatur « Splendor Gloriae et **Figura** substantiae Eius » videlicet Dei Patris. Idemque habetur Rom. VIII, 29.

461. Hac Fidei veritate constituta, quum duas formalitates concipiamus in Verbo Dei, videlicet *essentiam* et formalitatem *personae,* propterea duo sunt discutienda, videlicet:

Utrum **Imago,** *quum de Deo dicitur sit nomen* **Essentiale,** *an* **Personale** (Art. 1 h. q.).

Cuinam divinarum Personarum hoc nomen **Imago** *sit* **stricte** *proprium* (Art. 2 h. q.)

Art. I. Utrum Imago in divinis dicatur personaliter.

462. Articulus iste militat contra Semiarianos (Cfr. n. 14, *A,* β), qui ad impugnandam *consubstantialitatem* Filii cum Deo Patre, dixerunt nomen **imaginis,** quod affirmatur de Filio Dei (Coloss. I, 15), esse nomen *essentiale* et designare Filium quantum ad essentiam suam habere **solam** *similitudinem* cum *Deo Patre,* sive esse ὁμοιούσιον Patri, non autem ὁμοούσιον cum Eo. Unde praesens articulus dignus est speciali consideratione theologica.

463. In titulo vero non occurrit specialiter declarandum nisi quid sit **Imago.** Etenim quodnam sit nomen personale, declaravimus Q. praec. art. 1.

464. Quid est **Imago?** Brevi animadversione id colligi potest. Equidem

α) Quidditas sive « ratio **imaginis** consistit in imitatione, unde « et nomen sumitur. Dicitur enim **imago** quasi (*contractio vocis*) « **imitago** » (I. *Sent.* Dist. XXVIII, Q. II, art. 1, o). Imitatio autem in quadam assimilatione *exemplati* ad proprium exemplar consistit. Unde « de ratione **imaginis** est *similitudo*.

β) « Non tamen quaecumque similitudo sufficit ad rationem *ima-* « *ginis,* sed similitudo quae est in **specie** (*i. e. natura specifica*) rei, « vel saltem in aliquo **signo speciei.** Signum autem speciei in re- « bus corporeis maxime videtur esse *Figura*. Videmus enim quod « *diversorum* animalium secundum *speciem* sunt *diversae figurae,* non « autem *diversi colores*. Unde, si depingatur *color* alicuius rei in pa- « riete, non dicitur esse **imago** nisi depingatur figura (*illius rei*).

γ) « Sed neque ipsa similitudo *speciei* sufficit vel *figurae,* sed « requiritur ad rationem *imaginis* **origo ;** quia, ut Augustinus dicit « in Lib. LXXXIII QQ. q. 74, **unum** *ovum non est* **imago alterius,** « *quia non est* **de illo** *expressum* (*i. e. originatum*).

« Ad hoc ergo quod vere (*seu proprie*) aliquid sit imago (*alterius*), « requiritur (*a*) quod ex alio procedat, (*b*) simile ei, (*c*) in specie vel « saltem in signo speciei » (Hic, o. — Cfr. I. *Sent,* loc. cit. et Opusc. I. *Contra error. Graecorum,* cap. 10). — Unde

A) **Imago,** proprie dicta, secundum quod in creaturis dicitur, definitur: « Res derivata, seu expressa, ab aliquo exemplari seu pro- « totypo, et habens ex vi originis similitudinem cum exemplari seu « prototypo quantum ad essentiam specificam vel saltem signum « speciei » :

465. **Corollarium I.m** Realis origo **unius** ab **alio** importat realem distinctionem inter *id quod oritur* et *illud a quo oritur*. In ratione imaginis includitur realis origo *eius* ab *exemplari* sicut ex definitione imaginis habetur (Cfr. n. praec.). Ergo imago, *proprie* dicta, distinguitur *realiter* ab exemplari (Cfr. hic ad 1.m).

466. Imago distinguitur in

A) *propriam, impropriam* et *analogicam*.

α) Imago, *proprie* dicta, ea est quam n.° 464 definivimus.

β) Imago, *improprie* dicta, est exemplar, ad cuius similitudinem aliquid procedit (Hic ad 1.m). Unde Boëthius mundum archetypum, in divina mente exsistentem, appellat *imaginem* mundi realiter exsistentis: dicit enim in Lib. III *De Consol.* Met. IX: *Mundum mente fe-*

rens, similique in **imagine** *formans* (Cfr. hic infra Q. XCIII art. 2 ad 4.m).

γ) Imago tandem, *analogice* sumpta, est res quae procedit ab alia absque similitudine in specie vel in signo speciei, sed cum *sola* similitudine generica vel etiam analogica entis. Et hoc modo quaelibet creatura potest dici *Imago Dei.*

δ) **Nota.** Imago *analogice* dicta est imago **imperfecte** dicta, sicut ex imaginis definitione apparet. Et hoc modo in S. Scriptura dicitur: Homo factus *ad imaginem Dei* (Gen. I, 27). «Et ideo ad desi-«gnandam in homine imperfectionem imaginis (*Dei*), Homo non so-«lum dicitur **Imago** (*I. Cor. XI, 7*), sed (*etiam*) **ad imaginem:** per «quod motus quidam tendentis in perfectionem designatur» (Art. seq. ad 3.m).

467. Distinguitur praeterea imago in

B) *naturalem, intentionalem* et *artificialem.*

α) Imago *naturalis* est res procedens ab alia, et habens cum hac similitudinem in *natura specifica* atque in *modo physico essendi.* Huiusmodi imago est in *Filio* relate ad *Patrem suum;* et propterea *filius* dicitur *patris sui naturalis imago.*

β) Imago *intencionalis,* seu *logica,* seu *idealis,* est idea procedens a re, et habens cum re illa similitudinem quantum ad *naturam specificam,* sed sub **diverso** *modo essendi.* Ita ex. gr. *idea* Bovis est imago *intentionalis* seu *logica* Bovis pascentis in agro; quia eadem natura bovina adest in Bove pascente et in huius Bovis idea: at in *Bove pascente* adest secundum esse physicum, dum in *idea Bovis* adest secundum esse intentionale.

γ) Imago demum *artificialis* est res procedens ab alia, atque habens similitudinem cum illa, **non quidem in natura,** sed solum *in signo,* seu *lineamentis accidentalibus eius.* Ita ex. gr. photographica expressio Petri dicitur eius imago *artificialis* (Cfr. Gonet, Disp. IX *De Trinit.,* art. 4, § I, n. 97; Suárez Lib. IX *De Trinit.* cap. 8; Card. Billot, *Com.* in h. q. thes. 24; etc.).

468. **Corollarium II.m** Conferendo mutuo has species imaginis, apparet quod, quanto perfectior est similitudo inter *rem* quae procedit ab alio et *hoc aliud,* tanto perfectior est illa imago.

α) Unde, quia imago *artificialis* importat *solam* similitudinem in aliqua *figura accidentali,* est omnium *imperfectissima.*

β) E contra, imago *intentionalis,* quoniam importat similitudinem

in *natura specifica,* sed in modo essendi diverso, est *paulo perfectior* prima.

γ) Magis perfecta autem est imago *naturalis,* quoniam in ea invenitur similitudo in *natura specifica* et secundum *idem esse physicum.*

469. His praeiactis fundamentis, sit

Conclusio I. *In divinis non invenitur imago* α) **analogice** *dicta,* β) *neque* **artificialis;** *sed adest imago* γ) *tum* **proprie** *dicta,* δ) *tum* **improprie** *dicta,* ε) *tum quoque* **naturalis,** ζ) *et etiam* **intentionalis.**

Nota. Est communis theologorum doctrina.

Prob. **I.ª et II.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Imago tam *analogice* dicta quam *artificialis* sunt res habentes similitudinem **accidentalem** cum re a qua procedunt (Cfr. n. 466, γ et δ) — Atqui nullum accidens est in divinis: patet. — Ergo etc.

Prob. **III.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Imago, *proprie* dicta, est res quae ex vi suae originis ab alia habet cum hac alia similitudinem quantum ad eius *specificam naturam* (Cfr. n. 466, α). — Atqui in divinis invenitur Dei Filius qui ex vi propriae originis habet similitudinem naturae, imo est ὁμοούσιος, cum Deo Patre. — Ergo in divinis invenitur imago **proprie** dicta.

Prob. **IV.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Imago, *improprie* dicta, est idea exemplaris ad cuius similitudinem res aliqua producitur (Cfr. n. 466, β). — Huiusmodi exemplaris idea invenitur in divina mente. — Ergo etc.

Prob. **V.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Filius est imago *naturalis* sui patris, sicut ex definitione (Cfr. n. 467, α) patet. — In divinis ergo, eo ipso quod invenitur verus Dei Filius, adest quoque imago quae naturalis nuncupatur.

Prob. **VI.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Omnis idea, in mente exsistens, est imago *intentionalis* illius rei ex qua talis idea processit; sicut ex superioribus (Cfr. n. 467, β) patet. — In divinis autem adest *Verbum,* quod est idea in mente Dei Patris exsistens. — Sic ergo in divinis datur imago *intentionaliter* dicta.

470. Pro solutione dubii principaliter (Cfr. n. 461) moti in hoc articulo statuitur sequens conclusio.

Conclusio II. *Nomen* **Imaginis,** *secundum quod* **proprie** *de Deo dicitur, est* **semper** *nomen Personale.*

Nota. Est conclusio theologica.

Prob. 1.° *Ex S. Augustino* qui in Lib. VII *De Trinit.* cap. 1 dicit: *Quid est* **absurdius** *quam imaginem* **ad se** *dici?* Ergo *Imago* in divinis semper relationem ad alium dicit. — Sed ea, quae relationem in Deo dicunt, denotant Personas divinas; quia, sicut Boëthius dicit, *Relatio multiplicat Trinitatem,* sicut ex supra dictis patet. — Ergo nomen *Imaginis,* secundum quod **proprie** de Deo dicitur, denotat *semper* Personam divinam, seu est nomen Personale in divinis (Cfr. hic *Sed Cont.*).

2.° *Ratione theologica S. Thomae.* Prout latius n.° 419, § *A* ostendimus, «ad hoc... quod vere aliquid sit **Imago,** requiritur quod «ex alio **procedat,** simile ei in specie vel saltem in signo speciei. «— Ea vero, quae **processionem** sive **originem** important in divi-«nis, sunt **personalia.** — Unde hoc nomen **Imago** (secundum *quod «proprie in divinis accipitur*) est nomen **personale**» (Hic, o. — Cfr. I. *Sent.,* Dist. XXVIII, art. 2, o).

471. **Scholium.** Conclusio praecedens loquitur de *Imagine* **proprie** dicta: nam, si sermo habeatur de *Imagine* **improprie** accepta, videlicet (Cfr. n. 466, β) de *exemplari* ad cuius similitudinem res omnes finitae processerunt, tunc *Imago* in divinis dicitur *essentialiter,* seu denotat divinam *essentiam* tamquam *exemplar* omnis creaturae. «Sic (*autem in Lib.* De Fide ad Petrum, cap. 1) Augustinus «(*Fulgentius*) utitur nomine **Imaginis,** cum dicit divinitatem Sanctae «Trinitatis esse *imaginem* ad quam factus est Homo (Hic ad 1.m). «Unde (*et ibidem*) ex ratione *imaginis* non probavit nisi unitatem «(*divinae*) essentiae (I. *Sent.* Dist. XXVIII, Q. II, art. 2, o). Hilarius «etiam, in Lib. V *De Trinit.* ait: *Homo fit ad communem imaginem. «Nomen non discrepat: natura non differt: una est enim, ad quam «homo creatus est species.* Ex his verbis ostenditur quod *Imago* «aliquando **essentiae** intelligentiam facit, et tunc *ad se* dicitur et «non *relative*». Magister Sententiarum Lib. I, Dist. XXVIII, *fin.*

Art. II. Utrum nomen Imaginis sit proprium Filio.

472. Nomen **imaginis** heic non accipitur *improprie* pro **exemplari** alterius. Dictum est namque n. praec. quod imago, *improprie* di-

cta, in divinis denotat *essentiam divinam* tamquam **exemplar** creaturarum omnium : et consequenter est nomen *essentiale* et non *personale.*

473. Item nomen **imaginis** nec etiam accipitur *analogice,* secundum quod scilicet significat *creaturam* quae oritur a Deo cum *quadam imperfectissima* similitudine cum divina natura. Secundum hanc namque acceptionem tam homo quam quaevis alia creatura vocari potest *imago Dei.* Videlicet: nomen **imaginis,** analogice dictum, non convenit **soli** Filio Dei (Cfr. hic ad 3.m; et I. *Sent.* Dist. XXVIII, Q. II, art. 3 ; et supra n. 466, γ).

474. Est ergo sensus articuli : *Utrum* **imago,** *secundum quod* **personaliter** *dicitur in Deo, conveniat* **soli** *Dei Filio?*

475. Huic quaestioni materiam subministrat diversus modus loquendi inter Doctores Graecos et Doctores Latinos. Nam « Doctores Graecorum communiter dicunt Spiritum Sanctum esse *imagi-nem* Patris et Filii : sed Doctores Latini **soli** Filio attribuunt nomen imaginis » (Hic, o). Ita ex. gr. :

A) ex Graecis α) S. Athanasius (Epist. *ad Serap.*) scribit: « *Imago* Filii dicitur, et est, **Spiritus** ».

β) S. Basilius (Lib. V *adv. Eunom.* cap. 3) dicit : « quod *Imago* « vera ac naturalis Dei (*Patris*) ac Filii **Spiritus** est ».

γ) S. Cyrillus quoque Alexandrinus (Lib. *Thesaur.,* Assert. XXXIII) ait : « Quemadmodum igitur, quoniam exactissima *Imago* « Patris est Filius, qui ipsum recipit, Patrem etiam habet, ita, servata eadem analogiae ratione, qui *Imaginem* Filii recipit, nempe Spiritum (*Sanctum*), omnino per Ipsum habet Filium et Patrem qui est « in Eo... Quod si *Imago* Filii Spiritus vocatur, Deus itaque est, et « non aliter ».

B) Doctores Latini contrarie loqui videntur. Nam α) S. Ambrosius (Lib. *De Incarnat.,* cap. X, n. 110) ait: « Cur **solus** Filius *imago* invisibilis Dei dicitur... nisi quia in Eo naturae eiusdem (*Dei* « *Patris*) unitas et eius maiestatis expressio est ? » ex vi scilicet ac indole processionis intelligibilis.

β) S. Augustinus similiter (Lib. VI *De Trinit.,* cap. 2) dicit: « Verbum quidem **solus** Filius accipitur... ; sic enim *Verbum,* quo-« modo *Imago,* non autem Pater et Filius **simul** ambo *Imago,* sed « Filius **solus** *imago* Patris, quemadmodum Filius ; non ambo enim « simul Filius ». Quae quidem Augustini ratio aeque urgeri potest

contra tenentes Spiritum Sanctum esse imaginem *Patris,* aut *Filii* aut *utriusque,* quoniam neutrius neque amborum Spiritus Sanctus est Filius.

Aliae auctoritates Ss. Patrum legi possunt apud Petavium, Op. cit. Lib. II. cap. 11 ; et Lib. VI, capp. 5-7. Interim pro Latinis statuitur

476. **Conclusio.** *Nomen Imaginis,* **personaliter** *acceptae, convenit propriissime* **soli** *Dei Filio in divinis.*

Nota. Est sententia *magis conformis* S. Scripturae, atque theologiae revelatae.

Prob. 1.° *Argumento Biblico.* Equidem nomen, quod a Sacra Scriptura **numquam** Deo Patri neque Spiritui Sancto, sed **semper** *soli* Dei Filio attribuitur, dicendum est nomen **soli** Dei Filio *propriissime* conveniens. Id patet : non enim est putandum agiographos casu et fortuito ita peregisse. — At vero nomen imaginis **personaliter** acceptae « non invenitur (*dictum*) in canonica scriptura nisi de « Filio. Dicitur enim Coloss. I, 15: *Qui est* **imago** (εἰκών) *Dei invisi-* « *bilis, primogenitus omnis creaturae,* et ad Hebr. I, 3: *Qui quum sit* « *splendor gloriae et* **figura** (χαρακτὴρ) *substantiae eius* » (Hic, o), et Rom. VIII, 29: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri* **imaginis** *Filii sui* etc. — Ergo Imago, secundum quod **personaliter** dicitur in divinis, est *propriissimum* Filii Dei nomen.

2.° *Ratione theologica.* Secunda Persona S.mae Trinitatis dicitur *proprie* tam Filius Dei quam Dei Verbum, sicut ex praedictis patet. — Atqui Filius est *imago naturalis* Patris; Verbum est *imago intentionalis* obiecti quod intellectui cognoscenti manifestatur. — Ergo ratio *imaginis* convenit plenissime secundae Personae S.mae Trinitatis (Cfr. Opusc. I *cont. error. Graecorum* cap. 10).

Ex alia vero parte *Patri* non convenit ratio imaginis, quia Ipse *non procedit ab alio* (Cfr. n. 464, γ).

Tandem nomen imaginis **personaliter** acceptae non convenit propriissime Spiritui Sancto. Etenim triplex est imago (Cfr. n. 467) : *naturalis, intentionalis,* et *artificialis.* — Similitudo *naturalis,* quae scilicet oritur per **generationem,** non convenit Spiritui Sancto, quoniam iste non procedit per *generationem* (Cfr. Q. XXVII, art. 4). — Alia imago dicitur *intentionalis,* quae adest in *idea* exsistente in intellectu *actualiter* cognoscente : et nec ratio huius imaginis convenit Spiritui Sancto, quia non per emanationem ab intellectu sed per

emanationem a voluntate Ipse in Deo procedit (Cfr. Q. XXVII, art. 3). — Tertia denique imago dicitur *artificialis,* quae adest in productione *artefactorum;* et haec imago nec etiam competit Spiritui Sancto, quoniam non est creatura aliqua, sicut contra Arium et Macedonium Fides catholica confitetur.

Sic igitur, imago **personaliter** dicta convenit propriissime **soli** Filio Dei, non autem Deo Patri neque Paraclito (Cfr. hic, o).

477. **Corollarium.** Ergo hoc nomen *Imago,* proprie et personaliter acceptum, **soli** Filio Dei convenit; consequenter est nomen *stricte* personale eiusdem Filii.

478. **Obiic. 1.°** *Rom. VII, 29 legitur, quod Deus* **praedestinavit** (homines) **conformes fieri imaginis Filii sui.** *Iamvero haec* **imago** *Filii Dei nequit esse nisi* **Spiritus Sanctus,** *sicut exponunt Ss. Patres Athanasius, Cyrillus, Basilius, Damascenus* (*Lib. I.* Orthod. Fidei, *cap. 18*) *et alii. Ergo nomen* **Imago** *in divinis non est nomen* **proprium** *Filii.*

R. Concedo mai. Nego min. et consequens, atque dico quod τὸ *Imago Dei* in verbis paulinis debet intelligi non quidem in sensu transitivo, quasi **alia** sit imago et **alius** sit ipse Filius Dei: etenim per praedestinationem homines ordinantur ad hoc ut fiant similes Filio Dei qui est imago Dei Patris, non autem ut fiant similes alicui exemplari distincto realiter a Verbo Dei, siquidem *omnia* **per Ipsum** *facta sunt,* et **sine Ipso** *factum est nihil etc.* (Ioan. I, 3). Unde τὸ **Imago** Filii Dei, in loco citato, debet explicari *modo intransitivo,* de imagine nempe quae *formaliter* est ipsum Dei Verbum, Filius Dei Patris.

Coeterum, tantisper condescendendo modo loquendi Patrum Graecorum, « possumus quidem dicere *Spiritum Sanctum* esse imaginem « *Patris et Filii,* ita quod per *imaginem* nihil aliud intelligatur quam « (*imago* **analogice** *dicta — Cfr. n. 466,* γ — *videlicet*) exsistens ab « alio, et eius similitudinem gerens» (Op. I. *Cont. error. Graec.,* cap. 10), nihil curando, quod haec perfecta similitudo Spiritus Sancti ad Deum Patrem et Filium conveniat ipsi *non* ex vi originis, sed propter *identitatem naturae divinae* (Cfr. hic ad 1.m).

479. **Obiic. 2.°** *Spiritus Sanctus est* **infinite** *similior Deo quam Homo. Sed Homo dicitur* **Imago Dei** (*I. Cor. XI, 7*). *Ergo a fortiori Spiritus Sanctus debet dici proprie* **imago** *Dei Patris ac Filii.*

R. Dist. mai. *Spiritus Sanctus* **ex** vi processionis est etc.:

Nego ; aliter : *Concedo.* — Concedo min. Nego consequens cum sua paritate, et « respondeo dicendum, quod in artificiato (*ex vi suae « processionis*) invenitur **species artis** etiam apud nos ; non autem « in amore artificis (*invenitur ex vi processionis Amoris aliqua similitudo artificis. — Atqui creaturae comparantur ad Deum, sicut artefactum ad artificem : dum Spiritus Sanctus* **est Amor** *Dei Patris ac « Dei Filii*). Et ideo creatura, inquantum habet speciem artis aeter- « nae, quae est Filius Dei, dicitur *Imago* (I. Cor. loc. cit.) et *ad « Imaginem* (Gen. I, 27 — *Cfr. n. 466,* ◊), non autem Spiritus qui est *Amor* » (I. *Sent. ad Annibaldum,* Dist. XXVIII, Q. II, art. 2 ad 3.m). — Pro pleniore tamen huiusce difficultatis solutione sit

480. Q. I. *Ob quam causam* Spiritus Sanctus *dici nequit* proprie **Imago** *Dei ?*

A) « Huius rationem assignant quidam ex hoc quod Filius con- « venit cum Patre non solum in natura, sed etiam (*in quodam quasi exteriori eius signo — Cfr. I. Sent. Dist. XXVIII Q II, art. 3, o — « videlicet*) in notione Principii (*quia etiam a Filio procedit Spiritus « Sanctus*) ; Spiritus autem Sanctus non convenit cum Filio nec cum « Patre in aliqua notione » (Hic, o) : quoniam nulla Persona divina procedit a Spiritu Sancto. — Atqui ad rationem *imaginis* necessum est ut ea conveniat *saltem* in aliquo signo exteriori cum prototypo (Cfr. n. 464, β). — Ergo Filius Dei potest dici imago Patris, non autem Spiritus Sanctus potest dici imago Patris aut Filii Dei.

Haec opinio defenditur a Richardo de S. Victore (Lib. VI. *De Trinit.,* capp. 19-21) a S. Bonaventura (I. *Sent.* Dist. XXXI, P. II, art. 1, q. 2) et ab Aureolo. — Sed

a) *Horum explicatio est insufficiens.*

Prob. *Ratione theologica.* Ad rationem *imaginis* requiritur *similitudo* (Cfr. n. 464, α). — Atqui *similitudo* inter divinas Personas non attenditur secundum *relationes personales,* quia secundum *istas relationes* Personae divinae habent invicem *oppositionem,* non autem *convenientiam* et *similitudinem.* — Ergo ratio *imaginis* non attenditur in divinis penes *relationes personales.* — Iamvero notio *communis Spirationis,* quae convenit Patri et Filio, est *relatio* quaedam *personalis* (Q. XXXII, art. 3, o). — Ergo convenientia Patris et Filii in *notione,* quae dicitur *communis Spiratio,* non potest esse **causa cur** Filius sit *imago* Patris, dum Spiritus Sanctus non sit imago Patris, et Filii (Hic, o, et I. *Sent.* Dist. XXVIII, Q. II, art. 3. o. — Cfr.

Suárez, Lib. XI *De Trinit.* cap. 6 ; et passim veteres thomistas). — Hac solutione reiecta,

B) « Alii dicunt, quod Spiritus Sanctus non potest dici *imago* « Filii, quia *imaginis* non est *imago ;* neque etiam (*est imago*) Patris, « quia etiam imago refertur *immediate* ad id cuius est imago : Spi- « ritus Sanctus autem refertur ad Patrem *per* Filium ; neque etiam « est *imago* Patris et Filii, quia sic esset **una imago** duorum, quod « videtur impossibile. Unde (*quia Spiritus Sanctus nequit esse nec « imago* **solius** *Filii, nec imago* **solius** *Patris, nec imago* **utriusque**) « relinquitur quod Spiritus Sanctus nullo modo sit imago » (Hic, o — Cfr. I. *Sent.* loc. cit.).

Haec opinio placuit Ruperto Abati (Lib. VI. *De Glorific. Trinit.* cap. 14) et paucis aliis. — Sed

b) *Horum ratio est nullius valoris.*

Prob. *Ratione theologica.* Equidem Pater, Filius et Spiritus Sanctus habent omnes simul *unam eademque* imaginem, videlicet *hominem ;* ex eo quod tota Trinitas se habuit tamquam *unicum principium* in hominis productione, iuxta illud : « **Faciamus** hominem ad « **imaginem** et similitudinem **nostram** » (Gen. I, 26). — Iamvero Pa- « ter et Filius sunt unum principium Spiritus Sancti, ut infra (Q. « seq. art. 4) dicetur. Unde (*posito quod adesset aliqua communis « imago Patris et Filii*) nihil prohibet sic Patris et Filii, inquantum « sunt unum, esse unam imaginem, cum etiam *Homo* totius Trinita- « tis sit *una imago* » Hic, o, et loc. cit.). — Unde, hac opinione reiecta,

C) Angelicus Doctor, cui consentit tota ferme theologorum cohors, docet causam, quare in divinis Filius *sit imago* Dei Patris, Spiritus Sanctus vero *nullius* Personae divinae *sit imago,* esse hanc, quod scilicet Filius, *ex vi suae processionis,* **est similis** Deo Patri, dum Spiritus Sanctus, *ex vi suae processionis,* **non est similis** neque Deo Patri neque Deo Filio. — Quo posito, dico :

c) *Causa asignata a S. Thoma est optima.*

Prob. *Ratione theologica.* Ut una res dicatur *imago* alterius, non sufficit quod res habeat *perfectam similitudinem* in *specie* aut in aliquo *signo speciei* cum altera re, sed omnino oportet quod ista res, *ex vi propriae originis,* habeat similitudinem *specificam* aut *quasi specificam* cum illa (Cfr. n. 464, 3). Si enim vermis, originatus ab homine, transformaretur a Deo in hominem, non esset nec *filius* ne-

que **imago** *talis hominis* ex quo originatus fuit vermis (Cfr. ibid.). — Consequenter nonnisi absentia alterius conditionis potest esse *causa* cur **una** res non sit imago **alterius.** — Atqui Pater, Filius et Spiritus Sanctus habent invicem *perfectissimam similitudinem,* quoniam **una identica** est natura trium divinarum Personarum. — Quia ergo, ut ostendimus, Filius est *imago* Dei Patris, dum Spiritus Sanctus non potest proprie dici *imago* nec Dei Patris neque Filii Dei neque utriusque, relinquitur quod tota causa cur Dei Filius sit imago Dei Patris, Spiritus Sanctus autem non sit imago alicuius divinae Personae, sit haec quod scilicet Filius **ex vi nativitatis** habeat perfectam similitudinem cum Deo Patre, Spiritus Sanctus autem **ex vi processionis Amoris** non habeat hanc perfectam similitudinem nec cum Deo Patre nec cum Dei Filio. — Hoc autem asseritur ab Angelico Doctore. — Ergo optima est etc. (Cfr. hic, o).

Urgetur magis praecedens ratio verbis S. Thomae. « De ratione « enim Filii est, quod (*ex vi nativitatis suae*) similitudinem Patris ha- « beat, in quacumque natura (*inveniantur Pater et Filius*). Et simili- « ter de ratione Verbi (*intelligibilis*) est quod (*ex vi suae originis* « *idealis*) sit similitudo eius quod Verbo exprimitur, cuiuscumque sit « Verbum. — Sed non est de ratione *Spiritus* vel *Amoris,* quod (*ex* « *vi propriae processionis a voluntate*) sit similitudo eius (*persona* « *volentis*) cuius est (*talis amoris actus, secus haec similitudo inveni-* « *retur*) in omnibus » (Op. I. *Cont. error. Graec.* cap. 10) effectibus, causatis *ex vi actus amoris* ab amantibus : quod patet esse falsum. Et ideo, licet Spiritus Sanctus habeat perfectam similitudinem cum Deo Patre ac Dei Filio propter identitatem naturae cum utroque, tamen, quia hanc similitudinem non habet ex **indole** processionis Amoris (quamvis id habeat ex **natura** processionis Amoris **divini**), propterea non potest dici imago Patris et Filii (Cfr. Nazarius, *Com.* in h. a.). — Emergit inde

481. Q. II. *Cuius rei* Imago *est* Dei Filius ?

Dico 1.° *Est Dei Patris Imago vera et naturalis.*

Prob. *Ratione theologica.* Etenim imago *vera* et *naturalis* est origo unius rei ab alia in similitudinem eiusden naturae specificae et secundum esse naturale (Cfr. n. 467, *a*). — Atqui Filius Dei, ex vi nativitatis ab intellectione divina, procedit tamquam perfecte similis ipsi Deo Patri et in identitate eiusdem naturae divinae, sicut

ex dictis constat. — Ergo in divinis Filius est Dei Patris etc. Q. E. D.

Dico 2.° *Dei Filius non est imago* **proprie dicta** *neque essentiae divinae neque attributorum essentialium Dei.*

Prob. *Ratione theologica.* Sicut supra diximus (Cfr. n. 465), imago *distinguitur realiter* ab eo cuius est imago. — Atqui Filius Dei non distinguitur realiter nec a divina essentia neque ab eius attributis absolutis, sicut ex praedictis (Q. XXVIII, art. 3, o) constat. — Ergo Dei Filius non est etc. Q. E. D.

Dico 3.° *Dei Filius non est imago* **proprie** *dicta Spiritus Sancti, neque suipsius, neque creaturarum.*

Prob. *Ratione theologica.* Ad rationem imaginis *proprie* dictae requiritur quod ipsa procedat ab alio tamquam ab *exemplari* sive prototypo. — At Filius Dei non procedit a Spiritu Sancto tamquam a *suo exemplari;* quia, sicut ostendimus (Cfr. Q. praec. art. 3, o), Spiritus Sanctus nonnisi *secundario* et *ex consequenti* exprimitur a Deo Patre in Verbo mentis suae. — Ergo et similiter Dei Filius nequit dici imago *proprie* dicta Spiritus Sancti: et ob eamdem causam non potest dici imago *proprie* dicta suipsius, neque creaturarum. Q. E. D.

482. **Scholia.** 1.° α) Si Filius Dei nequit dici imago *proprie* dicta Deitatis (Cfr. n. praec.) seu divinae essentiae, sequitur quod non sit *imago* Dei Patris secundum quod Deus Pater dicit *exclusive* formalitatem essentiae divinae.

β) Rursum relatio divinae *Paternitatis* non se habet ut **principium** *a quo* oritur *Filiatio* in Dei Filio, quoniam *Paternitas* et *Filiatio,* utpote relationes, sunt **simul** natura, sive ex *eodem principio* **simul** oriuntur. Ergo, quia imago procedit *ab alio* ut exemplari, habemus quod *Filius,* secundum **filiationem,** non sit **imago** *Paternitatis.*

γ) Ex eadem ratione apparet, quod Filius, secundum formalitatem *Filiationis,* non sit **imago** *divinae essentiae* quae est in Deo Patre.

δ) Relinquitur ergo quod **solus** Dei Filius sit imago **totius** Dei Patris, inquantum Filius **totus,** ex vi nativitatis, habet perfectam similitudinem **totius** quod est in Deo Patre: quo modo **totum** *primum* principium exsistit in **toto** principio *secundo* (Cfr. Nazarium *Com.* in h. a.).

2.° Alia ratione Filius Dei dicitur *imago Dei invisibilis* (Coloss. I, 15), et alia ratione Homo dicitur *Dei imago* (I. Cor. VI, 7). Equidem « imago alicuius dupliciter in aliquo invenitur :

« uno modo in re **eiusdem** naturae secundum speciem, ut imago « Regis invenitur in filio suo ;

« alio modo in re **alterius** naturae, sicut imago Regis invenitur « in denario.

« *Primo* autem modo Filius est *imago* Patris ; *secundo* autem « modo dicitur Homo *imago* Dei.

« Et ideo, ad designandam in homine imperfectionem (*divinae*) « imaginis, Homo non solum dicitur *imago* (*I. Cor. XI, 7*), sed etiam « *ad imaginem* (*Gen. I, 26*), per quod motus quidam tendentis in per- « fectionem designatur. — Sed de Filio Dei non potest dici quod sit « *ad imaginem,* quia est **perfecta** Patris imago » Hic ad 3.m).

QUAESTIO XXXVI

DE PERSONA SPIRITUS SANCTI

483. **Prologus.** Consideravimus in QQ. XXXIII-XXXV nomina principaliora tum Dei Patris tum Filii Dei, nunc « considerandum est « de his quae pertinent ad Personam Spiritus Sancti » (*Prol.* h. q.)

484. Solet autem haec tertia Persona Trinitatis nominari, non solum

A) *Spiritus Sanctus,* sicut legitur Matth. XXVIII, 19 ; sed etiam

B) *Amor* seu *Dilectio* vel Charitas Patris et Filii, secundum illud S. Gregorii M. : « Ipse Spiritus Sanctus **Amor** est » (Hom. XXX *in Pentecost.*) Item

C) *Donum Dei* iuxta illud Act. II, 38 : « Accipietis **donum** Spiritus Sancti » a Deo scilicet. Item

D) *Nexus Patris et Filii,* quia Spiritus Sanctus, tamquam *Amor* Patris Filiique, habet vim unitivam Patris Filiique invicem se amantium (Cfr. pseudo Dionysium, Lib. *De Div. Nomin.* cap. 4). Et ob eamdem hanc causam nominatur etiam

E) *Osculum suavissimum Patris et Filii ;* quia, sicut ait S. Bernardus Serm. VIII *in Cantic.* : « Si recte Pater *osculans,* Filius *oscu-*

« *latus* accipitur, non erit abs re **osculum** Spiritum Sanctum intel- « ligi, utpote qui Patris Filiique imperturbabilis pax sit, glutem fir- « mum, individuus amor, indivisibilis unitas ». Itidem nominatur

F) *Patris Filiique Gaudium.* Sicut enim, Apostolo teste, *gaudium* est *fructus Spiritus Sancti* (Galat. V, 22), ita ipse Spiritus Sanctus, quia procedit ex *mutua complacentia* Patris et Filii, merito dicitur **Gaudium** *et* **Laetitia** *Patris et Filii.* Item consuevit etiam nominari

G) *Paracletus,* idest : *Consolator.* Etenim, sicut discurrit S. Thomas in Lib. IV *Cont. Gent.,* cap. 22, « est... amicitiae proprium quod « aliquis in praesentia amici delectetur, et in eius verbis et factis « gaudeat, et in eo *consolationem* contra omnes anxietates inveniat. « Unde in tristitiis maxime ad amicos, consolationis causa, confugi- « mus. Quia igitur Spiritus Sanctus Dei nos amicos constituit, et « Eum in nobis habitare facit, et nos in Ipso..., consequens est, ut « Spiritum Sanctum gaudium de Deo et consolationem habeamus « contra omnes mundi adversitates et impugnationes. Unde dicitur : « *Redde mihi laetitiam salutaris tui, et* **Spiritu principali** *confirma me* » (Psal. L, 14). Adhuc ipse Spiritus Sanctus vocatur

H) *Spiritualis Unctio* ab Ecclesia, eo quod Ipse, instar divini olei, *fovet* virtutes in anima sancta, *pascit* eam spiritualium charismatum donis, et *ungit* eam bene mobilem reddendo ad omne opus virtutis. — Lege quae *De Donis Spiritus Sancti* habet Angelicus P. I-II, Q. LXVIII, atque praeclare evolvit D.or Carolus Weiss, Op. *De Sept. Donis Spir. Sancti,* Viennae 1895. — Indicatur praeterea haec tertia Persona Trinitatis sub nomine

I) *Virtus Altissimi* iuxta illud Christi ad Apostolos : « *Ego mitto* « **promissum** (i. e. donum) *Patris mei in vos.* Vos autem sedete in « civitate quoadusque induamini **virtute** ex alto » (Luc. XXIV, 49) ; et in Act. Apost. cap. I, 8 dicitur : « Accipietis **virtutem** superve- « nientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem « etc. ». Et Angelus Gabriel, loquens ad B. Virginem de Conceptione Christi futura ex opere Spiritus Sancti, ait illi : « Spiritus « Sanctus superveniet in te, et **Virtus Altissimi** obumbrabit tibi » (Luc. I, 35). — Ratio huius nominis ea videtur potissima, quod Spiritus Sanctus « est *notionalis* (*Cfr. Q. seq. art. 1*) **Amor** Patris et Fi- « lii. Amoris autem est maxima virtus : nihil enim tam durum tamque « ferreum est, inquit Augustinus, quod non Amoris igne vincatur. —

« Tum denique, quia Sacer Dei Spiritus est praepotens aura cui « movendi et impellendi innata vis est. Quare Isai. XXV, 4 *Spiritus* « *Robustorum* dicitur esse quasi turbo impellens parietem ; et Acto- « rum II, 2 Spiritus Sancti adventus ad modum turbinis seu *Spiritus* « *vehementis* ab Evangelista describitur. Item apud Ezechielem « cap. I, v. 4, coelestis currus animalia velocissime huc atque illuc « ferebantur, quia *Spiritus vitae erat in rotis* (Ibid. v. 20), illasque « sacri Pneumatis praepotens afflatus movebat ». Hactenus noster Gonet Disp. X *De Trinit.* Digressio II, n. 117. Cfr. S. Gregorium M. *Hom. XXX in Pentecoste.*

K) Sunt denique multa alia encomia S. Spiritus in divinis litteris. Ita, ut reliqua sileam, Sap. VII, 22-23 appellatur: « Spiritus intel- « ligentiae, sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, « incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, quem nihil « vetat, benefaciens, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, « omnem habens virtutem, omnia perspiciens, et qui capiat omnes « spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis etc. ».

485. Ut autem ex connexione mutua variorum nominum, quibus tertia Persona S.mae Trinitatis ab Ecclesiae doctoribus honoratur, patere potest, tria sunt principaliora eius nomina, videlicet : *Spiritus Sanctus, Amor Dei* et *Donum Dei.* Brevitati propterea studentes, de his tribus nominibus nos cum Angelico Doctore sermonem faciemus.

486. Nisi quod investigatio ista superat humanae intelligentiae angustias, imo et cuiusvis Angelorum, monente Paulo : « Quis enim « hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso « est ? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit nisi Spiritus Dei (I. Cor. « II, 11). Spiritus (*Santus*) enim omnia scrutatur, etiam profunda « Dei » (Ibid. v. 10).

487. Quod si mente attingere plenam S. Spiritus notitiam non possumus, de Ipsomet edisserere adhuc difficilius est. Hinc et processio Ipsius absque speciali nomine relinquitur (Cfr. art. 1 h. q. o), seu « neque nomen ipsius est, neque sermo, sed in inviis segrega- « tur », sicut pseudo Dyonisius in Lib. *De Nomin.* cap. ult. scribit.

488. Quia igitur theologos « de Spiritu Sancto nec tacere opor- « tet, nec multum loqui » (S. Hilarius Lib. II *De Trinit.*), maxime ab ipsis hac super re expetenda est superna illuminatio eiusdem Paraclyti atque adventus ; quoniam « in missione invisibili Spiritus « Sancti ex plenitudine divini amoris redundat gratia in mentem et

« per illum effectum gratiae accipitur *cognitio* illius Personae Divi-« nae *experimentalis* ab ipso cui fit missio (I. *Sent.* Dist. XVI, Q. I, art. 2, o).

489. Advocato igitur coelitus divino Paracleto, de nomine *Spiritus Sancti* tractandum est, prius quam de duobus aliis, tamquam communiori magisque noto apud omnes Christifideles. « Nam Spiri-« tus Sancti nomen est in sacris litteris vulgatissimum et coeteris « omnibus, prima sui significatione, communius, non solum quia tri-« bus (*divinis Personis*) convenit, ut ex Augustino (Lib. V. *De Trinit.* « cap. 11 et Lib. XV cap. 9) dicit Auctor in textu (*art. 1 h. q.*), sed « etam quia nomen Spiritus, ex propria significatione, impulsionem « et rem *nihil* aut *parum* habentem de materia significat: quae (*no-« tio*) longe communior est quam *Amor* et *Donum*» (Nazarius, *Com.* in *prol.* h. q.).

490. Quatuor habet haec quaestio articulos; quorum *primus* determinat *An hoc nomen* **Spiritussanctus** *sit personale an essentiale in divinis;* reliqui vero declarant *modum* quo utendum est nomine *Spiritussancti,* quando accipitur personaliter in tractatu de S.ma Trinitate (Cfr. art. 2 h. q.).

Art. I. Utrum hoc nomen **Spiritussanctus** sit proprium nomen alicuius divinae Personae.

491. Ex QQ. praecedentibus recole α) nomen **proprium** in S.ma Trinitate esse illud quod sive *ex se* sive *ex consequentibus* significat **relationem** in divinis, ac propterea denotat illam *solam* Personam Trinitatis in qua *formaliter* ea relatio invenitur.

β) Nomen **essentiale** vero dicitur illud quod nec *ex se* nec *ex consequentibus* significat **relationem,** sed *tantum* exprimit attributum aliquod essentiale divinitatis.

γ) Nomen **appropriatum** in S.ma Trinitate dicitur illud quod significat proprietatem Deitatis **specialiter uni** Divinae Personae convenientem, ideoque est *accomodatum* ad significandum eam divinam Personam.

In titulo igitur huius articuli τὸ **proprium** intelligendum est tam *primo* quam *tertio* modo, videlicet: **nomen proprium** designat illud quod *non est nomen* essentiale *in divinis.* — De nominibus autem Deo **appropriatis** agemus inferius Q. XXXIX, art. 7.

492. In eodem titulo adverte τὸ *Spiritus* posse accipi tripliciter, nimirum :

α) aut in vim *nominis,* et sic denotat substantiam incorpoream et maximae energiae seu impulsionis ;

β) aut in vim *participii praeteriti,* quasi idem sit ac *Spiratus,* seu procedens per modum *Spirationis* (Cfr. hic ad 2.m) ;

γ) aut in vim participii *praesentis activi,* quasi idem sit ac *Spirans* seu *movens* aut impellens ad spiritualem vitam (Cfr. hic ad 3.m).

Verum posteriores duae acceptiones τοῦ *Spiritus* parum usitatae sunt, sicut ex terminis notum relinquitur.

493. Item « in (*eodem*) titulo adverte quod ly *Spiritus Sanctus* « dupliciter sumi potest :

« *Primo* in vi *duarum* dictionum, ut scilicet ly *Spiritus* sit substan- « tivum, et ly *Sanctus* adiectivum.

« *Alio* modo in vi *unius* nominis, sicut si alicui imponeretur no- « men proprium *Homobonus.*

« In proposito, hoc secundo modo, quaeritur: ad quod denotandum « dicitur in titulo : *Utrum hoc nomen* **Spiritussanctus** etc. » (Caiet. *Com.* in h. a. — Cfr. hic ad 1.m).

494. His positis exoritur

Q. I. Utrum τὸ *Spiritus* sit nomen *personale* in divinis ?

Huic quaestioni satisfacit sequens

Conclusio I. Τὸ **Spiritus** α) *si accipiatur in vim* **nominis,** *est nomen* **essentiale** *in divinis ;* β) *si accipiatur uti* **participium temporis praeteriti,** *est nomen* **proprium** *tertiae Personae Trinitatis ;* γ) *si vero sumatur in vim* **participii praesentis activi,** *est nomen* **appropriatum** *eidem tertiae Personae Trinitatis.*

Nota. Est communis theologorum doctrina.

Prob. **I.ª pars.** 1.° *Ex auctoritate.* « Ostendit enim Hilarius « (*Lib.* VIII *De Trinit. nn. 23 et 25*) in *Spiritu Dei* aliquando signifi- « cari Patrem, ut cum dicitur (Isai. LXI, 1): *Spiritus Domini super me;* « aliquando significari Filium, ut cum dicit Filius (Matth. XII, 28): "*In « Spiritu Dei eiicio daemonia*", naturae suae potestate eiiciere se « daemonia demonstrans ; aliquando (*significari*) Spiritum Sanctum « ut ibi (Ioel. II, 28): "*Effundam de Spiritu meo super omnem carnem* » (Hic arg.m 1.m). Ergo hoc nomen **Spiritus** non est nomen *personale* sed *essentiale* in divinis (Cfr. hic *Sed Cont.*).

2.° *Ratione theologica.* Τὸ *Spiritus,* acceptum in vim *nominis,*

denotat substantiam immaterialem et ab intrinseco actuosam. — Huiusmodi autem substantia est evidenter tota Trinitas et ipsa Deitas. — Ergo τὸ *Spiritus,* acceptum in vim *nominis,* est nomen **essentiale** in divinis (Cfr. hic, o, ad 1.m et 2.m).

Prob. **II.a pars.** *Ratione theologica.* Τὸ *Spiritus,* quando accipitur tamquam **participium temporis praeteriti,** valet idem ac τὸ *Spiratus,* seu est **terminus procedens** ad modum *Spirationis.* — Huiusmodi terminus autem in divinis est *tertia Persona S.mae Trinitatis.* — Ergo τὸ *Spiritus,* acceptum synonime ad τὸ *Spiratus,* est nomen *proprium* tertiae Personae Trinitatis (Cfr. hic ad 2.m).

Prob. **III.a pars.** *Ratione theologica.* Equidem τὸ *Spiritus,* quando accipitur in vim *participii praesentis activi,* denotat principium **movens** creaturam praesertim intellectivam ad spiritualem vitam (Cfr. n. 492, γ). — Atqui tertiae Personae Trinitatis, quae per modum *Amoris* procedit, tribuitur cum *quadam appropriatione* (Cfr. n. 491, γ) **movere** creaturam intellectivam ad vitam spiritualem (Cfr. infra Q. XXXIX, art. 8, o). — Ergo τὸ *Spiritus,* acceptum in vim **participii praesentis activi,** est nomen quod cum *quadam appropriatione* convenit tertiae Personae S.mae Trinitatis (Cfr. hic ad 3.m). Unde in Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano profitemur: « Πιστεύομεν... εἰς τὸ Πνεῦμα, τὸ ἅγιον, τὸν Κύριον, τὸ Ζωοποιὸν, κ. τ. λ. » (*Enchir.* n. 86).

495. Sequitur nunc

Q. II. Utrum τὸ *Spiritus Sanctus,* acceptum in vim *duarum dictionum,* sit nomen *personale* an *essentiale* in divinis?

Huic quaestioni satisfacit sequens

Conclusio II. Τὸ **Spiritus Sanctus,** *acceptum in vim* **duarum dictionum,** *est nomen* **essentiale** *in divinis.*

Prob. *Ratione theologica.* In « nomine *Spiritus* significatur *im-* « *materialitas* divinae substantiae. Spiritus enim corporeus invisibi- « lis est, et parum habet de materia. Unde omnibus substantiis im- « materialibus et invisibilibus hoc nomen attribuimus. — Per hoc vero « quod dicitur *Sanctus* (*graece* Ἅγιος *a RR.* Ἀ = *sine et* Γῆ = *terra*) « significatur puritas divinae bonitatis » (Hic ad 1.m). Sic igitur τὸ *Spiritus Sanctus,* acceptum in vim duarum dictionum, denotat *substantiam immaterialem omnino,* seu *actum purum.* Huiusmodi vero substantia est unaquaeque Persona S.mae Trinitatis, imo et ipsa quoque *Deitas.* — Ergo τὸ *Spiritus Sanctus,* acceptum in vim *duarum*

dictionum, non est in divinis nomen personale sed essentiale (Cfr. *Catechism.* Conc. Trid. P. I, cap. IX, § 2.). Q. E. D.

496. Non remanet ergo nisi quaestio de τῷ *Spiritussanctus*, accepto in vim *unius* dictionis, secundum quam scilicet acceptionem designatur in divinis quaedam vitalis motio sive impulsio (Q. XXVII, art. 4, o) per quam bonum amatum manet in amante (Ibid., art. 3, o). Unde proponitur

Q. III. Utrum τὸ *Spiritussanctus,* acceptum in vim **unius dictionis,** sit nomen *personale* an *essentiale* in divinis.

Ad cuius quaestionis resolutionem iuvat rememorare placita haereticorum.

A) Simon Magus, primus omnium, divinitatem Spiritus Sancti impugnavit dicendo Helenam, meretriculam suam, habendam esse tamquam Spiritum Sanctum.

B) Paulus Samosatenus, inde saec. III, sensit Spiritum Sanctum esse motionem spiritualis vitae a Deo in creaturis praecipue humanis causatam. Hanc haeresim fertur renovatam fuisse a Guillelmo Farel (n. 1489; m. 1565).

C) Saec. IV Arius et Macedonius aperte professi sunt Spiritum Sanctum esse quamdam Dei creaturam.

D) Petrus Abaelardus saec. XII docuit Spiritum Sanctum esse Mundi animam (Cfr. *Enchir.* n. 370); sed forte ipse in sensu mystico ita loquutus fuit.

E) Michaël Servetus qui, Calvino urgente, vivus flammis addictus fuit Genevae 27 Octobr. 1553, docuit pertinaciter Spiritum Sanctum non esse Deum.

— At horum omnium haeresis superius, Q. XXVII, art. 1, fuit expuncta, ubi divinitas et consubstantialitas Spiritus Sancti cum Patre et Filio multiplici testimonio S. Scripturae et Ss. Patrum fuit confirmata (Cfr. nn. 46-47).

497. Hoc Fidei dogmate praesupposito,

Dico 1.° *Tertia Persona Trinitatis non habet nomen aliquod sibi* **stricte** *proprium.*

Prob. *Ratione theologica.* Etenim « cum sint duae processiones in divinis, altera earum, quae est per modum *Amoris,* non habet « *proprium nomen,* ut supra (Q. XXVII, art. 4 ad 3.m) dictum est. (*Atqui Persona in divinis est* **relatio realis** *orta per processionem « divinam, ut supra Q. XXIX, art. 4 demonstratum fuit*). Propter

« quod et *nomen* Personae hoc modo procedentis (*per processionem* « *videlicet voluntatis*) eadem ratione non habet (*sibi stricte*) proprium « nomen » (Hic, o). — Atqui tertia Persona divinae Trinitatis est ea quae exoritur per processionem divinae voluntatis : constat. — Et ideo tertia Persona etc. Q. E. D.

498. Verum quia necessarium est theologo catholico habere nomina distincte designantia unamquamque Personam S.mae Trinitatis, quum contingat saepissime de talibus loqui ad instructionem Fidelium et contra haereticos (Q. XXXII, art. 2, o), ideo propter instantem necessitatem « sicut sunt accomodata aliqua nomina ex usu « loquentium ad significandum praedictas relationes, cum nominamus « eas nomine *Processionis* et *Spirationis* quae secundum proprieta- « tem significationis magis videntur significare *actus notionales,* « quam *relationes,* ita ad significandum divinam Personam quae pro- « cedit per modum *Amoris,* accomodatum est ex usu Scripturae hoc nomen *Spiritussanctus* (Hic, o) in vim unius dictionis » (Hic ad 1.m) acceptum. Dicitur namque Matth. ult. 19: « Baptizantes eos (*i. e. Fi-* « *deles*) in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti » ; et I. Ioan. V, 7: « Tres sunt qui testimonium dant in coelo Pater, Verbum et Spi- « ritussanctus ». In quibus testimoniis aperte connumeratur *Spiritussanctus* tamquam tertia Persona Trinitatis (Cfr. hic *Sed Cont.*).

499. Qua veritate constituta,

Dico 2.° *Convenienter, ex usu S. Scripturae et Ss. Patrum, hoc nomen* **Spiritussanctus,** *in vim* **unius nominis** *acceptum,* **accomodatum** *est* ad *significandam* **tertiam** *Personam S.mae Trinitatis.*

Nota. Haec propositio nonnisi cum magna temeritate negari potest.

Prob. 1.° *Ex Ss. Patribus. A*) S. Ambrosius (Lib. *In Symbol. Apost.* cap. 1) dicit : « Licet Pater sit *spiritus* et Filius *spiritus* sit, « et Pater sit *sanctus* et Filius sit *sanctus,* **sola** tamen tertia Perso- « na **proprie** Spiritussanctus nuncupatur. Quia ergo coaeterna et « communis est ambobus, ideo Ipsa vocatur quod ambo sunt ».

B) S. Augustinus (Lib. V. *De Trinit.* cap. 11) ait : « Spiritus- « sanctus ineffabilis est quaedam Patris Filiique communio ; et ideo « fortasse sic appellatur quia Patri et Filio potest eadem appellatio « convenire. Nam hoc Ipse *proprie* dicitur quod Illis *communiter,* « quia et Pater *Spiritus* et Filius *Spiritus*, et Pater *Sanctus* et Filius « *Sanctus* » est.

C) S. Anselmus (Lib. *De Fide Trinit.,* cap. 3) scribit: « Nomen « *Spiritussanctus* non est alienus a Patre et Filio, quia uterque est « Spiritus et Sanctus ».

— Eadem habentur in Catechismo *Conc. Trident.* P. I., cap. IX, § 3.

2.° *Rationibus S. Thomae,* quae sunt expositiones allatarum auctoritatum Ss. Patrum, non vero rigorosae demonstrationes. *A*) Tertia Persona S.mae Trinitatis, quoniam nomen sibi *stricte* proprium non habet (Cfr. n. 497), et quoniam (sicut mox art. seq. ex Fide colligemus) procedit a Patre et Filio, nominatur convenientissime nomine illius duplicis dictionis quae communis est tam Patri quam Filio. — Atqui hoc nomen *Spiritus* convenit tam *Patri* quam *Filio;* et similiter eisdem convenit quoque dictio *Sanctus.* — Ergo convenienter tertia Persona S.mae Trinitatis, quae a Patre Filioque procedit, nominatur *Spiritussanctus* (Hic, o).

B) Praeterea, sicut ait poëta, *respondent nomina rebus saepe suis.* Atqui tertia Persona Trinitatis procedit per actum *Amoris* quo Deus seipsum amat. Ergo talis Persona convenienter nominatur nomine quod exprimit actum *Amoris* quo Deus seipsum amat. — Iamvero actus vitalis, quo Deus seipsum amat, exprimitur convenienter per nomen *Spiritussanctus.* — Ergo convenienter hoc nomine designatur tertia Trinitatis Persona. — Illatio constat. Prob. ultima minor. « Ex propria significatione... nomen *Spiritus* in rebus corporeis « *impulsionem* quamdam et *motionem* significare videtur: nam flatum « et ventum *Spiritum* nominamus. Est autem proprium *Amoris* quod « moveat et impellat voluntatem amantis in amatum. (*Et ideo energia* « **Amoris** *potest convenienter* **Spiritus** *nominari*). — Sanctitas vero « illis rebus attribuitur quae in Deum ordinantur... Igitur Persona di« vina (quae) procedit per modum *Amoris* quo Deus amatur, conve« nienter *Spiritussanctus* mominatur » (Hic, o — Cfr. I. *Sent.* Dist. X, Q. I, art. 4, o; et *Compend. Theol.* capp. 45 et seq.). — Hinc

500. **Conclusio III.** *Nomen* **Spiritussancti,** *in vim unius dictionis acceptum, ex usu S. Scripturae et Ss. Patrum,* **accommodatum** *est convenientissime ad significandum tertiam Personam S.mae Trinitatis.*

Constat ex dictis (Cfr. Commentatores S. Thomae in h. a.).

ART. II, UTRUM SPIRITUS SANCTUS PROCEDAT A FILIO.

501. Ex art. 2 Q. XXXII scimus tractatum de divinis notionibus esse theologo perutilem, tum ad Fidei dogmata dilucidanda simplicibus Christianis, tum ad tuendum eadem dogmata contra haereticos. Quare expedit scire qualiter Spiritus Sanctus ad alias duas Personas Trinitatis se habeat, ut perfecta de Eo mentio fiat in nostris theologicis disputationibus. Hoc est obiectum trium posteriorum articulorum h. q. ; quorum

primus declarat modum, secundum quem Spiritus Sanctus se habet ad *Filium* (art. praes.) ;

secundus exponit modum, secundum quem idem *Spiritus* Sanctus se habeat ad *Patrem* (art. seq.) ;

tertius vero exprimit modum, secundum quem Pater et Filius se habeant ad *Spiritum Sanctum* (art. 4 h. q.).

502. Praeterea « in titulo (*h. a.*) adverte quod articulus iste con- « tinet in se duas quaestiones, scilicet :

α) « *An Spiritus Sanctus procedat a Filio ?* et

β) « *An Spiritus Sanctus sic procedat a Filio, quod,* si non pro- « cederet ab Eo, *non distingueretur personaliter ab Ipso ?*

« Et *prima* quidem quaestio inter Graecos et Latinos versatur : « *secunda* autem inter (*theologos*) Latinos inter se » (Caiet., *Com.* in h. a.).

503. Ad primam quaestionem deveniendo, sciendum est quod, licet omnes divinitatem Spiritus Sancti impugnantes debeant logice denegare Spiritum Sanctum a Deo Patre eiusque Filio procedere, tamen « *Spiritum Sanctum* non procere *a Filio* primo fuit a Nesto- « rianis introductum, ut patet in quodam symbolo Nestorianorum « damnato in Ephesina Synodo.

A) « Et hunc errorem sequutus fuit Theodoricus (*seu Theodoretus, ann. 386-458*) Nestorianus et plures alii post ipsum » (Hic ad 3.m), inter quos fuerunt Monothelitae (Cfr. Bellarminus, Lib. II. *De Christo,* cap. 21).

B) Saec. VIII hic error renovatus fuit ab Iconoclastis atque in variis Conciliis Galliae et Hispaniae damnatus.

C) At error iste altius coepit radices ponere circa an. 862 tempore Nicolai PP. I, opera Photii. Quum enim spado iste, S. Ignatio

e sede Constantinopolitana expulso, Patriarchalem usurpaverit dignitatem ob idque severe, ut ius erat, punitus fuerit a Rom. Pontifice per depositionem ab omni officio et honore, ira inde incensus coepit contra Latinos immerito conqueri quod addiderint in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano particulam «*Filioque*», atque sic factum est ut in haeresim ipse descenderit secum trahens universam Ecclesiam Graecorum, docendo Spiritum Sanctum a **solo** *Deo Patre,* non autem *a Patre et Filio,* procedere.

D) Saec. XI eadem haeresis denuo defensa atque divulgata fuit in Ecclesia Orientis per Michaëlem Caerularium Patriarcham Constantinopolitanum.

E) Plures quaerimoniae Graecorum contra Latinos examinatae fuere atque damnatae tam in Conciliis Provincialibus (qualia fuere Synodus habita Gentiliaci prope Parisios an. 767 sub Pipino Rege Francorum, item Synodus Barensis tempore Urbani II an. 1097, et in qua S. Anselmus Epus. Cantuariensis pro Latinis dimicavit) quam in Conciliis Generalibus, inter quae memorare iuvat Ephesinum (an. 431), Chalcedonense (an. 451), Synodum VIII Generalem sub Adriano PP. II Constantinopoli celebratam an. 869, item Lateranense Concilium IV (an. 1215), Lugdunense II (an. 1274), ac tandem Synodum Florentinam (an. 1439) in qua, consentientibus Graecis cum Latinis, uno excepto Marco Ephesino Episcopo, solemniter fuit definitum *Spiritum Sanctum a Patre* **Filioque** *procedere.*

F) Sed cum unus Marcus Ephesinus, sicut diximus, se opposuisset decreto Conc. Florentini, ideo ipsemet in patriam reversus haeresim quam non abiuraverat respersit in propriam Ecclesiam atque totas pene Orientis Ecclesias iterum in schisma et haeresim induxit. — Graecorum caecitatem omnes Romani Pontifices serio deflentes, illos charitative semper hortati sunt ad Fidem Catholicam incorrupte profitendum. Sed non adhuc plene concordia facta est (Cfr. S. Alphons. De Ligorio, *Hist. Haeres.* cap. IX). Faxit Deus ut pax ista cito fiat, praesertim post paterna incitamenta Leonis PP. XIII et sequentium Rom. Pontificum.

Utut res eveniant, pro Fidei defensione statuitur

504. **Conclusio I.** *Spiritus Sanctus* **procedit** *non solum a* **Deo Patre,** *sed etiam a* **Dei Filio.**

Nota. Est Fidei Catholicae dogma.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura. A*) Ioan. XV, 26, Christus ad Apo-

stolos ait: «Quum autem venerit Paracletus quem **Ego mittam** vo-«bis a Patre, Spiritum Veritatis qui **a Patre procedit,** etc.». In hoc testimonio non solum dicitur *Spiritum Sanctum* a Patre **procedere,** sed etiam *Spiritum Sanctum* **mitti** a Filio Dei. Unde et Ipsemet ad eosdem Apostolos ait: «Si enim (*Ego*) non abiero, **Para-«cletus** non veniet ad vos; si autem abiero, **mittam Eum** ad vos» (Ioan. XVI, 7). — Iamvero *in divinis* **una** Persona potest ab ea tantum **mitti,** a qua **procedit.** Probabo minorem. — Ergo Spiritus Sanctus, hoc ipso quod **mittitur** tam a Deo Patre quam a Dei Filio, vere ab utroque procedit.

Prob. min. Equidem omnis **missio** (quasi emissio) importat influxum quemdam **mittentis** in **missum:** id evidens est ex terminis. — Sed, quia divinae Personae *aequales* sunt in *dignitate, sapientia, bonitate, potentia* etc., **missio** *unius* divinae Personae ab *alia* nequit imaginari quod fiat per *consilium* neque per *imperium* nec per alium modum *proprium* creaturarum, sed tenendum est quod fiat secundum **originem** seu **processionem** unius earum ab alia. — Et ideo Spiritus Sanctus, hoc ipso quod a Dei Filio **mittitur,** ab Ipsomet **procedit** (Cfr. S. August. Lib. IV *De Trinit.* cap. 19, item S. Thomas Opusc. I. *Cont. Error. Graec.* cap. 32).

B) Item Ioan. XVI, 14, Christus de Paracleto ait: «**Ille Me** «clarificabit, quia de **Meo accipiet** etc.». Unde Spiritus Sanctus **accipit** aliquid a Filio Dei. — Sed quaecumque sunt in Dei Filio, sunt ipsa Deitatis substantia: constat. — Ergo in citatis verbis τὸ **de meo** *accipiet* significat accipere ipsam **Deitatis substantiam** seu **naturam** (quoniam *Filiatio,* quae etiam in Dei Filio invenitur, est formalitas *intransitiva* seu *incommunicabilis*). — Iamvero nonnisi per *processionem* potest **divina natura** communicari inter divinas Personas. — Ergo si, fatente Christo, Spiritus Sanctus **accipit Deitatem** a Dei Filio, ab Eodem **realiter procedit.** Q. E. D. (Cfr. Lib. IV *Cont. Gent.,* cap. 23, n. 2 — Cfr. Conc. Florent. Sess. 21).

C) Praeterea Ioan. XX, 22 habetur quod Christus in faciem Apostolorum «**insufflavit,** et dixit Eis: **Accipite** Spiritum Sanctum etc.». Quibus verbis Christus evidenter manifestavit se esse **datotorem** *Spiritus Sancti.* — At nemo potest dare nisi quod vel **suum** est vel **ab eo procedit:** constat. — Si ergo Christus **dat** Spiritum Sanctum, hic ab Eo **procedit.** «Non enim aliter ad nos Spiritus «transit, quam ex Patre per Filium» sicut exposuit S. Cyrillus Lib.

XII *in Ioan.* cap. 56; et S. Augustinus *Tract. CXXI* in Ioan.

D) Denique Spiritus Sanctus in Scripturis vocatur quandoque **Spiritus Patris,** ut in illo: « Non enim vos estis qui loquimini, sed « **Spiritus Patris Vestri** qui loquitur in vobis » (Matth. X, 20); quandoque vero dicitur **Spiritus Filii,** ut in illo: « Misit Deus **Spi-** « **ritum Filii Sui** in corda vestra clamantem Abba, Pater » (Galat. IV, 6). Unde **eodem modo** Spiritus Sanctus est Spiritus **Filii** ac est Spiritus **Dei Patris.** — Sed non aliter Spiritus Sanctus dicitur **Spiritus Patris,** nisi quia **procedit** a **Patre.** — Ergo a pari, quum dictum sit etiam Spiritum Sanctum esse **Spiritum Filii** Dei, verissime Spiritus Sanctus **procedit** a Dei Filio. Q. E. D. (Cfr. S. August. Tract. XCIX *in Ioan.*).

a) **Obiic. 1.°** *Nihil de Trinitate est sentiendum, nisi quod S. Scriptura tradit, sicut etiam Dionysius Lib.* De Divin. Nomin. *cap. 1 dicit. Atqui in S. Scriptura non exprimitur quod Spiritus Sanctus procedat etiam a Dei Filio, sed* **solum** *a Deo Patre dicitur procedere, iuxta illud:* « Spiritum **Veritatis,** qui a Patre **procedit** » (*Ioan. XV, 26*). *Ergo Spiritus Sanctus* **non procedit** *a Dei Filio.* Hoc argumentum a Graecis *acutum* Christi *telum* contra Latinos dici solet.

R. Dist. mai. *Nihil de Trinitate est... tradit,* vel per *verba,* vel per *sensum: Concedo;* per *verba* tantum: *Nego.* — Contradistinguo minorem ad sensum maioris, et nego consequens. Dico igitur « quod « de Deo dicere non debemus quod in S. Scriptura non invenitur « (*expressum*) vel per *verba,* vel per *sensum.* Licet autem per *verba* « non inveniatur in S. Scriptura quod *Spiritus Sanctus* procedat *a* « *Filio,* invenitur tamen quantum ad *sensum;* et praecipue ubi dicit « Filius (Ioan. XVI, 14) de Spiritu Sancto loquens: *Ille me clarifica-* « *bit quia* **de meo accipiet** » (Hic ad 1.m).

α) « Nec est mirum si Dominus Spiritumsanctum a Patre proce- « dere dixit, de se mentione non facta, quia omnia ad Patrem re- « ferre solet a quo habet quidquid habet; sicut quum dicit: **Mea** « *doctrina non est* **mea** *sed* **eius** *qui misit me* **Patris** (Ioan. VII, 16): « et multa huiusmodi in verbis Domini inveniuntur ad commendan- « dam in Patre auctoritatem principii.

β) « Nec tamen in auctoritate praemissa (*in obiiciendo Christus*) « omnino obticuit **Se** esse Spiritussancti **principium;** quum dixit « Eum *Spiritum Veritatis,* **Se** autem prius dixerat *Veritatem* » (Lib. IV. *Cont. Gent.* cap. 25).

γ) « Regulariter etiam in S. Scriptura tenendum est, quod id « quod de *Patre* dicitur, oportet de *Filio* intelligi, etiamsi dictio *ex-* « *clusiva* addatur, nisi **solum** in illis in quibus *Pater* et *Filius* secun- « dum *oppositas relationes* distinguuntur. Cum enim Dominus Matth. « XI, 27 dicit: *Nemo novit Filium nisi Pater,* non excluditur quin Fi- « lius seipsum cognoscat. Sic igitur cum dicitur quod Spiritussanctus « a Patre procedit, etiamsi adderetur quod *a* **solo** *Patre procedit,* « non excluderetur inde Filius: quia quantum ad hoc quod est *esse* « *principium Spiritussancti* non opponuntur Pater et Filius, sed so- lum quantum ad hoc quod *hic* est Pater et *ille* Filius » (Hic ad 1.m — Cfr. S. Augustinus Lib. I. *De Trinit.* cap. 8), videlicet quantum ad proprietates personales.

δ) Ceterum, sicut nervose respondit cel. Beccus, « non alia ra- « tione Latinus, (*Graeco*) eidem reddens verba sua, dicet: Si ex « **solo** Patre procedit Spiritus, quid impedimento fuit Christo ne di- « ceret *qui ex* **solo** *Patre procedit?* Et cum Theophylactus exprobrat « Italo non sequi quod **superaddat** *ex Filio,* iisdem et ipse exprobra- « tionibus obnoxius erit quod **superaddat** *ex* **solo** » (Cfr. Knoll, Op. cit. P. I, Lectio II, n. 102 in repp. ad *obiect. I*).

b) **Instant.** *Quando in S. Scriptura Paracletus vocatur* **Spiritus Veritatis** (*Ioan. XV, 26*) *vel* **Spiritus Filii Dei** (*Galat. IV, 6*), *hae locutiones accipi debent non eo sensu quod Spiritus Sanctus* **procedat a Filio,** *sed* **vel** *eo sensu quod Ipse sit intime coniunctus cum Filio, utpote consubstantialis cum eodem,* **vel** *quia Spiritus Sanctus specialiter inhabitat in Christo,* **vel** *quia per Filium hominibus* **donatur** *sicut Theophylactus exposuit super v. 26 cap. XV Evang. S. Ioannis. Ergo ex hoc quod Spiritus Sanctus nominatur* **Spiritus Filii Dei,** *perperam deducitur Eum a Filio procedere.*

R. Nego antecedens et consequens. Etenim si *Paracletus* dicitur Spiritus *Patris* et Spiritus *Filii,* praecise quia tres Personae Trinitatis sunt invicem *consubstantiales,* ob hanc eamdem causam dicere poterimus *Verbum Dei* esse *Filium Spiritus Sancti,* et Deum Patrem esse *Patrem divini Paracleti:* quae assertiones sunt propriae haereticorum (Cfr. S. August. Lib. II. *Cont. Maximin.* cap. 14, n. 1).

α) Deinde Doctores Graeci, in paraphrasim vertentes laudata verba S. Pauli, dicunt *Spiritum Sanctum* esse **naturalem** *Spiritum Filii Dei.* Ponamus nunc, sicut Graeci volunt, Spiritum Sanctum vocari *Spiritum Filii Dei,* quia *specialiter in Christo inhabitat;* et tunc,

quia idem Spiritus Sanctus ab eisdem Graecis vocatur **naturalis** *Spiritus Christi,* oportebit concludere quod Spiritus Sanctus inhabitet in Christo non quidem **ex gratuito** *Dei dono,* sed **ex ipso ordine naturae.** Quae assertio est evidenter haeretica, utpote reducens opus dominicae Incarnationis ad *opus naturae* et non ad *opus supernaturalis Gratiae* (Cfr. S. Thom. Op. I *Cont. error. Graec.,* cap. 32).

β) Nec expositio Theophylacti quidquam evincit contra catholicum dogma. Si enim Dei Filius **donator** est Spiritus Sancti, **donat** manifeste **de suo** et non **de alieno.** Et sic oportet, sicut paulo ante monuimus, affirmare Spiritum Sanctum procedere **etiam** a Dei Filio, et non a *solo* Patre sicut Graeci pertinaciter volunt.

2.° *Ex Ss. Patribus.* Graecos afferemus Patres, quoniam adversarii ultro fatentur Latinos Doctores tenuisse Spiritum Sanctum a Patre et Filio simul procedere (Cfr. *Catec. Concil. Trident.,* P. I, Cap. IX, n. 6).

A) S. Athanasius (285-373) in Orat. III *Cont. Arianos,* n. 24 dicit: «Nec Spiritus Verbum cum Patre coniungit, sed potius Spiritus «hoc a Verbo accipit... Quaecumque Spiritus habet, haec a Verbo «habet». Eademque repetit tum in Epist. I. *ad Serapionem,* n. 20 tum in Epist. III ad eumdem, n. 1. — Si ergo omnia quaecumque Spiritus habet, a Dei Verbo accipit, id non aliter contigit nisi per Processionem a Dei Filio.

B) Praeterea S. Ephraem Syrus (306-373) in *Hymno de Defunctis et Trinitate,* n. 11 scribit: «Pater Genitor, et Filius genitus e «sinu Eius, Spiritus Sanctus **procedens a Patre et Filio** etc.». Evidens pro Fide testis!

C) S. Basilius (330-379) in Lib. *De Spir. Sancto,* cap. 17, n. 43 dicit: «Quemadmodum se habet Filius ad Patrem, ita ad Filium «sese habet Spiritus, secundum traditum in baptismo verborum ordinem». — Atqui Filius Dei a Deo Patre procedit. — Ergo et similiter Spiritus Sanctus a Filio procedit. (Cfr. ibid. cap. 2, n. 34).

D) S. Gregorius Natianzenus (329-389) in sermone a se habito in Conc. Constantinopolitano I, prouti refert S. Thomas in Opusc. I *Cont. Error. Graec.* cap. 32, ait: «Necessarium est credere Ss. Tri«nitatem, Patrem scilicet sine principio, Filium vero Principium a «Patre principio, Spiritum Sanctum autem non Principium a Patre «et Filio, unum Deum esse». In quo testimonio apparet quod in di-

vinis sicut Pater est *principium,* ita Filius est *principium.* — At Deus Pater dicitur *Principium* in divinis, inquantum ab Eo **procedit** *Filius.* — Ergo et Filius est *Principium* in divinis, inquantum ab Eo **procedit** *Spiritus Sanctus.* — Similia docet S. Doctor in Orat. 39 *in sancta lumina,* n. 12, ubi sic loquitur: « Pater pater est, et **sine** « **principio,** non enim ex aliquo. Filius filius est, ac non sine prin- « cipio est, ex Patre siquidem. Si vero temporis principium accipis, « et sine principio est; temporum enim effector non subest tempori. « Spiritus vero Spiritus Sanctus est, procedens quidem ex Patre, « non tamen filiationis modo, neque per generationem, sed per **pro-** « **cessionem;** liceat enim perspicuitatis causa de nominibus innova- « re: etc.».

E) S. Ioan. Chrysostomus (344-407) in Hom. I *De Symbolo* ait: « Iste est Spiritus **procedens** de *Patre* et *Filio,* qui dividit singulis « prout vult». Et in Hom. *De Incarnat.* quam ipse Photius S. Chry- sostomo attribuit, dicit: « Venit ad nos Christus, dedit nobis *Spiri-* « *tum* **qui est ex Ipso,** et assumpsit nostrum corpus».

F) S. Gregorius Nyssenus (335-394) in Lib. *De Communibus Notionibus* ait: « Una enim est et eadem Persona Patris, ex quo et « Filius *generatur* et Spiritus Sanctus *procedit*... Neque enim *tempo-* « *re* dividuntur ab invicem Personae divinae, neque *loco,* neque *vo-* « *luntate,* neque *occupatione,* neque *operatione,* neque *ullo eorum* « *affectuum* quales conspiciuntur apud homines; sed **solum** quia Pa- « ter Pater est et non Filius, Filius Filius est et non Pater, simili- « ter et Spiritus Sanctus nec Pater nec Filius». Videlicet: Spiritus Sanctus procedit a Deo Patre et a Deo Filio, quia Deus Pater et Deus Filius non habent *mutuam oppositionem* in spirando Spiritum Sanctum.

G) S. Cyrillus Alexandrinus (412-444) in Lib. *Thesaurus De Sancta et Consubstant. Trinit.,* assert. 34 dicit: «Cum Spiritus San- « ctus nobis immissus conformes nos Deo efficiat, *procedat* autem « *ex Patre et Filio,* manifestum est Eum esse divinae substantiae, « *substantialiter in ea et ex ea procedens*». Evidens pro nobis te- stis. — Similia habet in Epist. *ad Nestorium,* et *Anathematismo IX* contra eumdem haereticum, ubi affirmat Paracletum esse *Eius* (i. e. Christi) *proprium Spiritum* (*Enchir.* n. 121).

H) S. Epiphanius (315-403) in *Anchoratu,* n. 7 dicit: « Pater est « *ingenitus,* et increatus et incomprehensibilis; Filius *genitus,* sed

« increatus et incomprehensibilis ; Spiritus Sanctus semper est, *non* « *genitus, non creatus, non frater,* non patruus, non avus, non ne- « pos, sed **ex eadem Patris Filiique substantia** *Spiritus Sanctus* etc. », i. e. procedens. Et ibidem n. 75 « Semper Pater exsistebat, « et *Spiritus* **ex Patre et Filio spirat;** neque creatus est Filius ne- « que creatus est Spiritus... » (Cfr. eiusdem Lib. *Adv. Haereses,* haeres. 62, n. 4, et haeres, 73, n. 34).

a) **Obiic. 2.°** *S. Dionysius in III. cap.* **De Divin. Nomin.** *dicit Filium et Spiritum Sanctum esse* **duos flores** *divinitatis. Atqui flos* **non procedit** *a flore. Ergo et similiter a Filio* **non procedit** *Spiritus Sanctus.*

R. Conc. mai. et min. Nego consequens et consequentiam, et dico quod comparationes tenent quantum ad *aliquid* et non sunt extendendae ab *uno* in *alium* aspectum. Porro fieri potest 1.° comparatio *Filii* et *Spiritus Sancti* per ordinem ad *Patrem ;* et 2.° comparatio *Spiritus Sancti* relate ad *Filium.*

α) Dionysius igitur loc. cit. dicit « quod Filius et Spiritus San- « ctus dicuntur *flores deigenae divinitatis,* idest paternae, prout *uter-* « *que a Patre* est.

β) « Sed (*si fiat comparatio secundo modo videlicet*) quantum ad « hoc quod Spiritus Sanctus *a Filio* est, potest dici *Filius* esse **ra-** « **dix** et Spiritus Sanctus **flos :** non enim oportet, ut similitudo re- « rum corporalium observetur quantum **ad omnia in divinis** » (Q. X *De Pot.* inter *QQ. Dispp.,* art. 4 ad 1.^{m}).

b) **Instant 1.°** *S. Basilius in Epist. 43 dicit* **Filium nullam prorsus notionum communicationem habere cum Patre.** *Et S. Gregorius Natianzenus, Orat. 24, dicit* **quidquid habet Pater, esse quoque Filii excepta causalitatis** (*i. e. principii*) **notione.** *Ergo ratio* **Activae Spirationis** *seu ratio* **principii** *non convenit* **Filio** *relate ad* **Spiritum Sanctum.**

R. Nego consequens. Admitto autem Ss. Patrum auctoritatem et distinguo sensum.

α) Et quantum ad S. Basilium dico ipsum in cit. epist. nihil aliud velle significare nisi quod Filius non conveniat in **notione** cum Patre, quia nec *Filius* est *Pater,* nec *Pater* est *Filius,* unde et ibidem subdit : *secundum suam proprietatem ;* non autem negat S Spiritum **procedere** a Filio ; nam paulo ante in citata epistola dicit

expresse Spiritum Sanctum dependere a Filio tamquam *a sua causa*, idest tamquam *a suo principio* (Cfr. n. 380).

β) Ad S. Natianzenum autem quod attinet, dico eum negasse Filium esse **causam** Spiritus Sancti, accipiendo τὸ *causam* pro *principio primo :* et sic vere dicit, quia **fons** prima totius Trinitatis est **solus** Deus Pater, sicut supra Q. XXXIII, art. 1 ostendimus.

c) **Instant 2.°** *S. Ioan. Damascenus Lib. I. Orthod. Fid., cap. 11 ait :* « **Spiritum Sanctum et** *ex Patre* **esse dicimus et** *Patris* « *Spiritum* **nominamus : ut vero Eum** *ex Filio* **esse non dicimus,** « **Filii tamen** *Spiritum* **vocitamus** ». *Ergo S. Ioan. Damascenus sentit Spiritum Sanctum* **procedere** *a Patre, non autem a Filio.*

R. Nego consequens et consequentiam. — α) Etenim, sicut eruditi ostendunt, particula *ex,* Graece ἐξ, videtur importare rationem *primi principii,* seu principii **fontalis** non ab alio principiati. Porro haec notio primi principii Spiritus Sancti convenit **soli** Deo Patri, inquantum scilicet Dei Filius habet vim spirativam a Deo Patre sibi communicatam (Cfr. Iungmann, *De Deo Trino,* nn. 80-82).

β) Sunt autem alii theologi, qui dicunt Damascenum sequutum fuisse ex ignorantia errorem Nestorii et Theodori Mopsuesteni (Cfr. hic ad 3.m), unde et eius sententiam esse derelinquendam.

γ) « A quibusdam (*vero aliis theologis*) dicitur, quod Damasce- « nus sicut non confitetur Spiritum Sanctum esse a Filio, ita non « negat ex vi illorum verborum » (Hic ad 3.m); sed se accomodaverit modo loquendi aliorum Ss. Patrum, dicentium *Patrem* per Filium **spirare** *Spiritum Sanctum* (Cfr. Berti, *De Theolog. Disciplinis,* Lib. VII, cap. 18).

3.° *Ex Conc. Generalibus. A*) Lateranense IV in Cap. *Firmiter* haec habet : « Pater a nullo (*est*), Filius a Patre **solo,** ac Spiritus « Sanctus pariter **ab utroque,** absque initio, semper ac sine fine ». Et in Cap. *Damnamus* definivit : « Eadem res est, Pater, et Filius, « necnon et Spiritus Sanctus **ab utroque** procedens » (*Enchir.* nn. 428-432).

B) Concilium Lugdunense II ita loquitur: « Fideli ac devota pro- « fessione fatemur, quod Spiritus Sanctus aeternaliter *ex Patre et* « *Filio,* non tamquam *ex duobus principiis,* sed tamquam *ex uno* « *principio,* non *duabus spirationibus,* sed *unica spiratione* procedit » (*Enchir.,* n. 460).

C) Concilium Florentinum sub Eugenio PP. IV in *Decreto Unio-*

nis Graecorum ait : « Diffinimus ut haec Fidei veritas ab omnibus « Christianis credatur et suscipiatur, sicque omnes profiteantur quod « *Spiritus Sanctus ex Patre et Filio* aeternaliter est... et *ex utroque* « aeternaliter tamquam ab *uno principio* et *unica spiratione* procedit » (*Enchir.* n. 691).

a) **Obiic. 3.°** *Concilium Ephesinum* (Act. VI) *et Concilium Chalcedonense* (Act. V) *sub poena anathematis prohibuerunt quamlibet additionem fieri ad Symbolum Fidei Nicaeno-Constantinopolitanum. Atqui in illo symbolo non invenitur quod Spiritus Sanctus* **procedit a Filio,** *sed quod procedat a Patre. Ergo Spiritum Sanctum* **a Filio** *procedere non debet confiteri nec a* **Latinis** *neque a* **Graecis.**

R. *Dist. mai. Concilium... quamlibet additionem fieri...* quae doctrinam Fidei pervertat : *Concedo ;* quae doctrinam Fidei explicet contra haereses : *Subdistinguo,* si fiat per Ecclesiae potestatem : *Nego ;* si fiat absque hac potestate : *Transeat.* — Dist. min. *Atqui in Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano non invenitur* explicite etc. : *Concedo ;* nec etiam implicite : *Nego.* — Nego consequens, et solutio patet ex ipsis terminis. Tenemus siquidem « quod doctrina Ca- « tholicae Fidei sufficienter tradita fuit in symbolo Nicaeno. Unde « Sancti Patres in sequentibus Synodis non intenderunt aliquid ad- « dere, sed propter insurgentes haereses id, quod *implicite* contine- « batur, *explicare* studuerunt... Et per hunc modum dicendum est, « quod processio Spiritus Sancti a Filio *implicite* in Synodo Con- « stantinopolitano continetur, inquantum continetur ibi quod *procedit « a Patre ;* quia quod de Patre intelligitur, oportet et de Filio intelli- « gi cum in nullo differant, nisi quia *hic* est Filius et *ille* Pater. — « Sed propter insurgentes errores eorum qui Spiritum a Filio esse « negabant, conveniens fuit ut in symbolo poneretur, non quasi *ali- « quid additum,* sed *explicite interpretatum* quod *implicite* contineba- « tur. Sicut, si insurgeret haeresis quae negaret Spiritum Sanctum « esse factorem coeli et terrae, oporteret hoc *explicite* poni, cum « in praedicto symbolo hoc non dicatur nisi de Patre.

α) « Sicut autem posterior Synodus potestatem habet interpre- « tandi symbolum a priori Synodo conditum ac ponendi aliqua ad « eius explanationem, ut ex praedictis patet ; ita etiam Romanus « Pontifex hoc sua auctoritate potest, cuius auctoritate **sola** Syno- « dus congregari potet, et a quo sententia Synodi confirmatur, et ad

« *Ipsum* a Synodo appellatur. Quae omnia patent ex gestis Chalce-« donensis Synodi : etc. » (Q. X *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 4 ad 13.m). — Cfr. hic ad 2.m, et Lib. IV *Cont. Gent.* cap. 25).

4.° *Rationibus theologicis S. Thomae. A*) « Dictum est supra « (Q. XXVII, artt. 2 et 4; et Q. XXVIII, art. 4) quod *Filius* procedit « per modum *intellectus* ut **Verbum,** *Spiritus Sanctus* autem per mo-« dum *voluntatis* ut **Amor.** — Necesse est autem, quod **Amor** a **Ver-« bo** procedat; non enim aliquid amatur nisi secundum quod concep-« tione mentis apprehendimus. — Unde (*spectata indole processio-« num, per quas procedunt Dei Filius et Spiritussanctus*) secundum « hoc manifestum est, quod Spiritus Sanctus *procedat* a Filio » (Hic, o).

a) **Obiic. 3.°** *In visione beatifica verificatur, quod in mente beatorum non adest processio* **Verbi mentalis,** *et tamen adest processio* **Amoris** *quo Beati Deum amant. Ergo processio* **Amoris** *non requirit necessario* **Verbum** *a quo procedat.*

R. Dist. antec. *In visione beatifica... non adest* **processio** *Verbi mentalis,* nec aliquid supplens *vices* huius processionis : *Nego ;* aliter : *Concedo.* Nego consequens, et dico Beatos intantum non producere **Verbum** Deitatem *quidditative* repraesentans dum vident clare ipsam Deitatem, inquantum non explent **totalitate** cognoscibilitatem Deitatis : attamen adest in visione beatifica aliquid *vicem gerens* verbi mentalis, videlicet ipsa essentia divina, quae tamquam *species intellecta* obiicitur menti beatorum. — Et ex hac *visione clara* divinitatis praecise provenit, quod beati amant necessario ipsum Deum. — Iamvero haec *imperfectio* cognitionis non invenitur in Deo. Et ideo in ipso Deo, ex hoc quod *perfecte comprehendit* se, oritur quod **necessario** se *amet:* videlicet *processio* Spiritus Sancti **oritur** ex *processione* Verbi Dei : seu Spiritus Sanctus procedit etiam a Verbo Dei.

b) **Instant.** *Operatio intellectus dependet ab operatione voluntatis. — Filius in divinis procedit per operationem divini intellectus : Spiritus Sanctus autem per operationem divinae voluntatis. — Ergo* **Filius Dei** *procedit* **a Spiritu Sancto,** *et non e contra.*

R. Dist. mai. Operatio *libera* intellectus dependet etc.: *Concedo ;* Operatio *naturalis* intellectus etc.: *Nego.* — Contradistinguo min. ad sensum mai. Nego consequens, et dico quod in intellectu considerari possunt operatio eius *naturalis* et operatio eius *libera. Natura-*

lis operatio nostri intellectus est ea, quae ab ipso exercetur **quoties** actuatur ab aliqua specie impressà **omnino independenter,** et antecedenter, **ab imperio humanae libertatis.** E contra operatio *libera* intellectus est illa, quam **exercet** intellectus **ex imperio** libertatis humanae; ex. gr. operatio qua nunc meditor articulum S. Thomae est operatio **libera.** — Operatio ergo aliqua *naturalis* potest esse in intellectu, quae **non** sit **imperata** a voluntate eius agentis. — Ex opposito, quia non possumus amare **ignota,** aliis verbis, quia obiectum voluntatis est semper res cognita uti bona, propterea nulla dari potest operatio voluntatis independens ab operatione intellectus, qua cognoscit rem amandam tamquam bonam (Cfr. Q. LXXXII, art. 4 ad 3.m).

Atqui Dei Filius per *intellectionem* **naturalem** procedit a Deo Patre, item Spiritus Sanctus **naturali** *amore* procedit a Deo Patre et a Deo Filio. Sic igitur oportet omnino, attenta indole **naturali** operationis voluntatis, ut Spiritus Sanctus a Patre Filioque procedat. Et propter hoc impossibile est ut Dei Filius dicatur a Spiritu Sancto procedere (Cfr. Q. X *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 4 ad 17.m).

B) Ordinem rerum naturalium considerando, apparet evidenter quod « nusquam... ab *uno* procedant *plura* absque **ordine,** nisi in « illis *solum* quae *materialiter* differunt: sicut unus faber producit « multos cultellos *materialiter* ab invicem distinctos, nullum ordinem « habentes ad invicem. Sed in rebus in quibus non est **sola** *materialis* distinctio, **semper** invenitur in multitudine productorum aliquis ordo. Unde etiam in ordine creaturarum productarum decor « divinae sapientiae manifestatur. — Si ergo ab **una** Persona Patris « procedunt **duae** Personae, scilicet Filius et Spiritus Sanctus, oportet esse aliquem ordinem eorum ad invicem. (*Ordo autem super « influxum unius in alterum fundatur*), nec potest aliquis ordo (*seu « influxus*) **alius** assignari (*inter divinas Personas*) nisi ordo naturae « quo alius est **ex** alio. Non est igitur possibile dicere quod *Filius* « et *Spiritus Sanctus* sic procedant a *Patre* quod neuter eorum procedat **ab alio,** nisi quis poneret in eis materialem distinctionem: « quod est impossibile.....

« Relinquitur ergo quod necesse est dicere, *vel* Filium esse a « Spiritu Sancto, quod nullus dicit; *vel* Spiritum Sanctum esse a Filio: quod nos confitemur » (Hic, o).

C) Excepta relatione *Paternitatis,* quae est incomposibilis cum Filiatione, omnia quaecumque habet Deus Pater, habet etiam Deus Filius ; iuxta illud quod, Ioan. XVI, 15, Christus ait: « **Omnia** *quae-* « *cumque habet* (*Deus*) *Pater* **mea** *sunt*»; et rursum «**Mea** *omnia* o « Pater) **tua** *sunt, et* **tua mea** *sunt* » (Ioan. XVII, 10). Atqui Patri convenit esse **principium** Spiritus Sancti. Ergo et hoc idem convenit Dei Filio (Cfr. hic, o et ad 1.m).

Confirmatur. Nomen magis commune includitur in significatione nominis minus communis: unde cui convenit nomen *minus commune,* convenit a fortiori nomen *magis commune.* At, « si quis recte consi- « deret, inveniet *processionis* verbum inter omnia (*nomina*) quae ad « originem qualemcumque pertinent, *communissimum* esse. Utimur « enim eo ad designandum qualemcumque originem ; sicut quod li- « nea *procedit* a puncto, radius a sole, rivus a fonte, et similiter in « quibuscumque aliis » (Hic, o). Unde, si quis referat Spiritum Sanctum ad Filium per nomen ad *originem* qualitercumque attinens, potest rectissime concludi quod *Spiritus Sanctus* procedat *a Filio.*

Modo « ipsi Graeci processionem Spiritus Sancti aliquem ordi- « nem habere ad Filium intelligunt. Concedunt enim Spiritum San- « ctum esse *Spiritum Filii,* et esse a Patre *per Filium;* et quidam « eorum dicuntur concedere quod *sit a Filio* vel *profluat a Filio* » (Hic, o. — Cfr. Opusc. I *Cont. Error. Graec.* cap. 32) : utuntur videlicet *nominibus* ad originem *pertinentibus* in referendo Spiritum Sanctum ad Filium. — Et ideo ex necessitate confiteri debent, quod Spiritus Sanctus, non a **solo** Deo Patre, sed etiam a Dei Filio procedat. Q. E. D.

505. **Corollarium I.**m Hinc Graeci nonnisi ex ignorantia aut protervia moventur, quando concedunt quidem Spiritum Sanctum *esse* aut *profluere* a Dei Filio, nolunt tamen affirmare quod *procedat* a Filio (Cfr. hic, o).

506. **Obiic. 4.**° *Quod* **procedit** *ab aliquo,* **non quiescit** *in Eo. At Spiritus Sanctus* **quiescit** *in Christo, sicut in quadam legenda S. Andreae Apostoli habetur. Ergo Spiritus Sanctus* **non procedit** *a Dei Filio.*

R. Dist. mai. *Quod* **procedit** *ab aliquo... Eo* secundum quod ab illo procedit : *Concedo ;* aliter : *Nego.* — Transeat minor. Nego consequens et dico quod eadem res secundum *aliquid* potest alteri communicari, et secundum *aliud* non communicari. Ita Deus Pater com-

municat omnia sua, *excepta Paternitate,* Filio suo; sed, quia sic propriam deitatem communicat Filio suo ut ea non expolietur, inde provenit ut Deus Pater secundum **aliquid** (ut ita dicam) sui procedat in Filium suum, et secundum **aliud** non. — Et hoc idem tenendum est de Filio Dei quantum ad processionem Spiritus Sancti ab Eo. — Considerandum est ulterius, quod in Christo duae naturae completae inveniantur, divina scilicet et humana, et utraque, distincta et inconfusa. Porro « Spiritus Sanctus potest dici **quiescere** in « Filio tripliciter.

α) « *Uno* modo secundum humanam naturam, secundum illud « Isai. II, 1 : *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius « ascendet, et* **requiescet** *super Eum Spiritus Domini.*

β) « *Alio* modo, ut intelligatur Spiritus in Filio **requiescere,** « quia *virtus Spirativa* a Patre datur Filio et ultra non protenditur.

γ) « *Tertio* modo, secundum quod *Amor* dicitur **requiescere** in « amato in quo quietatur amantis affectus.

« Nullo autem istorum modorum excluditur processio Spiritus « Sancti a Filio (Q. X. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 4 ad 18.m); « quia et Filius in Patre **manere** dicitur cum tamen a Patre procedat » (Hic ad 4.m), iuxta illud Christi ad Apostolos : « *Non creditis, « quia* Ego **in Patre,** *et* Pater **in Me** *est?* » (Ioan. XIV, 10).

Quantum ad valorem legendae S. Andreae Ap. legi possunt ea quae Card. Baronius habet in *Notis super Martirol. Romanum* sub die 30 Novembris.

507. **Obiic. 5.°** *Quod procedit a Filio, vocatur nepos relate ad Patrem Filii. Si ergo Spiritus Sanctus procederet a Dei Filio, esset nepos Dei Patris. Quod a nullo theologo sustineri potest.*

R. Dist. antec. *Quod procedit* generatione *a Filio* etc. : *Concedo;* aliter: *Nego.* — Nego consequens, et dico « quod in humana ori- « gine dicitur *nepos,* qui eodem modo procedit a Filio, sicut Filius a « Patre (*videlicet per Generationem* **propriam** *viventium*). Spiritus « autem Sanctus non procedit in divinis a Filio, sicut Filius a Patre (*quoniam processio* **Amoris** *in divinis non potest dici* **Generatio.** — « *Cfr. Q. XXVII, art. 4, o*). Et ideo ratio non sequitur » (Q. cit. *De Pot.* art. 4 ad 5.m).

508. **Obiic. 6.°** *Quod perfecte procedit ab uno, superflue ponitur procedere ab alio. Atqui Spiritus Sanctus perfecte procedit a Deo Patre. Ergo superflue ponitur procedere* **etiam** *a Filio.*

R. Dist. mai. *Quod perfecte* etc., si distincta virtus intelligatur esse tam in **uno** quam in **altero**: *Concedo;* si **una eadem numero** virtus sit tam in **uno** quam in **altero**: *Nego.* — Concedo minorem. Nego consequens, et dico quod ad perfectionem processionis **unius** Personae ab **alia** pertinet, ut *totum* id quod una Persona habet (excepta **relatione** Personali, quae termino correlativo est incommunicabilis) communicetur alteri. Unde per processionem Generationis Filius Dei accipit totum id quod Deus Pater habet praeter proprietatem Paternitatis. Unde « per hoc quod Spiritus Sanctus perfecte « procedat a Patre, non solum non superfluum est dicere quod Spi- « ritus Sanctus procedat a Filio, sed omnino necessarium, quia una « (*numero*) virtus est Patris et Filii. Et quidquid est a Patre, neces- « se est esse a Filio, nisi proprietati Filiationis repugnet. Non enim « Filius est a seipso, licet sit a Patre (Hic ad 6.m): alioquin seque- « retur, quod creatura non creetur a Filio cum perfecte creetur a Patre » (Q. et art. cit. *De Pot.* ad 20.m). Sequeretur vero Spiritum Sanctum, perfecte procedentem a Patre, non procedere simultanee a Dei Filio, si virtus spirativa non esset communis Patri et Filio: quod quidem nos non concedimus.

509. Fidei dogmate de Spiritus Sancti a Patre Filioque processione constituto, Theologi inquirunt ulterius

Utrum Spiritus Sanctus distingueretur **realiter** *a Dei Filio, supposito* **per impossibile** *quod ipse non procederet a Dei Filio?*

A) Quae sané quaestio non otiose, sicut alicui videri poterit, tractandae a nobis suscipitur: sed potius iuvat quammaxime

1.° ad refellendum efficacius Graecos de propria impietate, sicut victoriose in Florentina Synodo egit venerandae memoriae Fr. Ioannes a Montenigro Epus. ex Ordine Praedicatorum assumptus. Quum enim, sicut mox videbimus, facta hypothesi de non processione Spiritus Sancti a Dei Filio, nulla **realis** distinctio remaneat inter utramque divinam Personam, evidenter de proprio errore arguuntur Graeci; quatenus per propriam eorum positionem non vera **Trinitas** sed **sola Dualitas** asseritur extare in divinis. Quod est haereticum.

2.° iuvat haec nostra inquisitio ad hoc, ut in aperto ponatur **vera radix** distinctionis realis inter Dei Filium et Spiritum Sanctum.

B) Hoc praenotato, sciendum est Scotum in I. *Sent.* Dist. XI, q. 2. docuisse Spiritum Sanctum mansurum *realiter* distinctum a Dei Filio, etiamsi per impossibile non procederet a Dei Filio. Scoto

adhaeret universa eius schola. Henricus Gandavensis (*Quodlibeto* V, q. 9) idem cum Scoto sentit : idemque cum istis Nominales (Cfr. Bannez, *Com.* in h. a.).

C) S. Thomas e contra (Hic, o ; item Lib. IV *Cont. Gent.* cap. 24 ; item I. *Sent.* Dist. XI, art. 1 ; item Q. X. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 5) cum universis Thomistis ; item S. Bonaventura (I. *Sent.* Dist. XI, art. 1, q. 1), B. Albertus Magnus (Ibid. art. 6) et Durandus (Ibid. qq. 1 et 2) docent Spiritum Sanctum non permansurum **personaliter** distinctum a Dei Filio, si ab hoc **realiter** non procederet.

D) Pro resolutione huius controversiae adverte quod

α) Relationes quaedam ad invicem se respiciunt, uti *Paternitas* et *Filiatio, Spiratio Activa* et *Spiratio Passiva, Dominatio* et *Servitus* etc.

β) Aliae autem relationes sunt ab invicem *disparatae,* et hae sunt quae ad invicem non se respiciunt. Huiusmodi sunt *Paternitas* et *Servitus, Magisterium et Filiatio* etc.

E) Rursum solent discipuli Doctoris Subtilis distinguere inter *oppositionem* **relativam** *relationis* et *oppositionem* **disparatam** *relationis.*

α) « Oppositio relationis *relativa,* inquit doctissimus P. Henno « (*Scotista*) Dis. I, q. 10, est repugnantia quae reperitur inter duas « relationes, quae *sese invicem* respiciunt, ut inter *Paternitatem* et « *Filiationem, Spirationem Activam,* et *Passivam.*

β) « Oppositio relationis *disparata* est repugnantia quae reperi- « tur inter duas relationes, quarum **una** (*ex*) *sua ratione formali* non « est realiter **altera,** licet non se respiciant nisi *praecise* inquantum « unum distinctum respicit aliud a quo distinguitur ; et **tales** sunt *Fi-* « *liatio* et *Spiratio Passiva* ». Billuart, Diss. V *De Trinit.* art. 5 § *Respondent Scotistae.*

Pro rei veritate sit

510. **Conclusio II.** *Si* **per impossibile** *Spiritus Sanctus non procederet a Dei Filio, non distingueretur* **realiter** *ab Ipso.*

Nota. Est nunc temporis sententia communis inter Theologos.

Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° Equidem in divinis omnia sunt unum, ubi non obviat *relationis oppositio.* — At, si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non adesset *relationis oppositio* inter Deum Filium et Spiritum Sanctum : probabo. — Ergo, si per impossibile

Spiritus Sanctus non procederet a Filio, non distingueretur realiter a Filio.

Prop. mai. docetur a S. Gregorio Nysseno (Lib. *Cont. Eunomiun.*), a S. Augustino Tract. XXXIX *in S. Joan.* ubi scribit quod tres divinae Personae «hoc **solo** numerum insinuant, quod ad invicem sunt»: item a Conc. Tolet. XI in *Symbolo Fidei* (*Enchir.* n. 280), a Conc. Florentino in *Decreto pro Armenis* (Enchir. n. 703), et a S. Anselmo (1033-1109) Archiep. Cantuariensi in tractatu qui inscribitur *De Proces. Spirit. Sancti,* cap. 3. Et istis assentit universa schola theologorum.

Prop. min. probatur. Remota causa, removetur effectus *proprius* illius causae.

Atqui processio **unius** ab **alio** est vera causa propter quam **unum** habet oppositionem relativam ad **aliud.** — Ita ex. gr. quia *fructus* vere **procedit** ab *arbore,* propterea adest *oppositio relativa* inter **fructum** et **arborem:** e contra, quia *lapis* **non procedit** vere ab *arbore,* propterea non adest *oppositio relativa* inter **lapidem** et **arborem.**

Ergo, SI non adesset **processio** *Spiritus Sancti* a *Dei Filio,* non adesset **oppositio relativa** *Spiritus Sancti* ad *Dei Filium:* seu si *Spiritus Sanctus* non procederet a *Dei Filio,* non adesset oppositio relativa inter *Deum Filium ac Deum Spiritum Sanctum.* Q. E. D. (Cfr. S. Thom., loc. cit.).

A) **Dices.** *Si Filius Dei* **procederet** *a Spiritu Sancto, tunc 1.° non verificaretur quod Spiritus Sanctus* **procederet** *a Dei Filio: constat; et tamen 2.° adesset semper* **oppositio relativa** *inter Filium Dei ac Spiritum Sanctum.*

Ergo non est verum, quod, SI Spiritus Sanctus **non procederet** *a Dei Filio non haberet* **oppositionem relativam** *ad Dei Filium.*

R. Nego **possibilitatem** *suppositi* propositionis antecedentis, aliis verbis nego quod **sit possibile** verificari, quod *Filius Dei* **procedat** *a* **Spiritu Sancto.** Revera in Deo non invenitur nisi **unicus** actus divini intellectus, et **unicus** actus divinae voluntatis.

Atqui in Deo actus **unicus** divinae voluntatis, utpote *infinite perfectus,* tendit *semper* in rem **praecognitam** a divino intellectu tamquam sibi *bonam;* non enim coeco modo Deus *quidquam velle* potest.

Et ideo non est possibile *fingere* in Deo **actum** divinae voluntа-

tis **anteriorem actui** divini intellectus: sed in Deo quamvis **coaeterni** sunt *actus* divini intellectus et *actus* divinae voluntatis, tamen, **ordine naturae** inspecto, actus *divinae voluntatis* est semper **posterior ordine** quam actus *divini intellectus.*

Sed ab *aeterno actu* divini intellectus procedit Verbum seu *Filius Dei,* sicut ab *aeterno actu* divinae voluntatis procedit Amor seu *Spiritus Sanctus.*

Et ideo, *vero* **ordine naturae** in Deo inspecto, non est possibile fingere, quod *Filius Dei* procedat a *Spiritu Sancto.* Q. E. D.

B) prob. minor *primi* argumenti *alia ratione.* Etenim omnis distinctio *fundatur* in aliqua oppositione exsistente inter partes *rei* quae distinguuntur; atque *proportionalis* est *indoli* oppositionis quae viget inter partes rei divisae. Ad hoc igitur quod *distinctio realis* vera exsistat inter personam *Filii Dei* et Personam *Spiritus Sancti,* est omnino necessarium, ut aliqua *oppositio realis* exsistat inter Personam *Filii* et Personam *Spiritus Sancti.* — Iamvero haec **realis oppositio** inter *Dei Filium,* atque *Spiritum Sanctum*

α) non potest esse per modum *affirmationis* et *negationis;* quasi in *uno* sit aliquid quod non sit in *altero;* quoniam **coaequales** sunt Dei Filius et Spiritus Sanctus;

β) nec explicari potest per modum *perfecti* et modum *imperfecti* in eadem formalitate, quoniam *nulla imperfectio* in alterutro potest esse;

γ) similiter nec explicari potest per **modum** formae et **modum privationis** formae, quia *nulla privatio* potest in divina Persona assignari.

δ) Relinquitur igitur quod haec *realis oppositio* inter Personam *Filii* et Personam *Spiritus Sancti* explicetur per modum *oppositionis realis relativae* unius ad alteram.

Sed *oppositio realis relativa* inter divinas Personas fundatur in *origine* seu processione *unius* Personae ab *altera* divina Persona, sicut Q. XXVIII, art. 1 et 4 ostendimus.

Et ideo verissime, si Spiritus Sanctus non procederet a Dei Filio, non haberet ullam *oppositionem realem relativam* ad Dei Filium, nec ab Eo *realiter* distingueretur. Q. E. D. (Cfr. Bannez, *Com.* in h. a.).

2.° Hoc est proprium relativi, ut distinguatur *realiter* **solummodo** a suo correlativo: ita *Pater,* quatenus Pater, **solummodo** a *Fi-*

lio, item *Dominus,* quatenus Dominus, **solummodo** a *Servo ;* item *Duplum,* quatenus Duplum, **solummodo** a *Dimidio* aut *Simplici* etc. distinguitur *realiter.*

Atqui Personae divinae sunt *relationes subsistentes* in divinis, sicut superius Q. XXX, art. 3 expositum fuit.

Et ideo *Filiatio Divina,* inquantum *Filiatio,* distinguitur realiter **solummodo** a *Divina Paternitate,* quae sibimet **relative** opponitur.

Si ergo *Filius Dei* non haberet **aliam** relationem realem per quam opponeretur **realiter** *Spiritui Sancto,* Dei Filius ex vi *Filiationis* distingueretur quidem *realiter* a Deo Patre, sed non haberet **aliquid quo** distingueretur *realiter* a *Spiritu Sancto :* et sic **nullo modo** ab Eodem *realiter* distingueretur, sicut hic recte notat S. Thomas (Cfr. Bannez, loc. cit.).

511. **Obiic. 1.°** *Ad hoc ut Spiritus Sanctus distinguatur* **realiter** *a Dei Filio, sufficit ut inter eos vigeat oppositio* **relationis disparatae** (Cfr. n. 509, *E,* β) : *per hoc scilicet quod in Dei Filio adsit* **Filiatio,** *et in Spiritu Sancto adsit* **Spiratio Passiva.** *Ergo etiamsi Spiritus Sanctus non procederet a Dei Filio, maneret adhuc ab Eo realiter distinctus.* Ita Scotistae (Ibid. §§ *B* et *E*).

R. Nego antecedens eiusque *suppositum,* item nego consequens. Etenim duae *relationes disparatae* possunt *simul* **coëxsistere** in *una eademque* divina Persona; revera in Deo Patre coëxsistunt **simul** *Divina Paternitas* et *Spiratio Activa,* quae sunt duae relationes *disparatae.* Ponamus igitur (sicut gratis supponunt sequaces Doctoris Subtilis) quod *Dei Filiatio* et *Spiratio Passiva* essent **duae** relationes solummodo **disparatae ;** et in hac hypothesi poterunt **simul coëxsistere** in una eademque Persona S.mae Trinitatis ; et sic fieri, ut **una eademque** Persona Trinitatis sit **simul** *Dei Filius* et *Spiritus Sanctus :* quod est haereticum. — Unde ad hoc ut sarta tectaque maneat distinctio realis inter Personam Filii Dei et Personam Spiritus Sancti, non sufficit ponere quod *Dei Filiatio* et *Spiratio Passiva* habeant oppositionem *relationis disparatae,* sed est omnino necessarium ut inter Filiationem Dei et Spirationem Passivam vigeat oppositio relationis relativa (Cfr. n. 509, § *E,* α), seu quod *Filius Dei* et *Spiritus Sanctus* invicem habeant **oppositionem relativam.** Ita ut, nisi Dei Filius *relative opponeretur* Spiritui Sancto, non distingueretur *realiter* a Spiritu Sancto.

Atqui impossibile esset quod Spiritus Sanctus opponeretur **rela-**

tive Filio Dei, nisi ab Eodem procederet, sicut superius demonstravimus. Et ideo verissime, si Spiritus Sanctus *non procederet* a Dei Filio, ab Eo non distingueretur *realiter:* quae est praecise Thomistarum assertio.

512. **Instant 1.°** *Dato per impossibile quod Spiritus Sanctus non procederet a Dei Filio, Spiritus Sanctus et Dei Filius essent* **duae** *productiones* **totales** *foecunditatis divinae. Atqui implicat in terminis quod* **una eademque** *Persona divina producatur per* **duas** *processiones totales. Ergo dato per impossibile quod Spiritus Sanctus non procederet a Dei Filio,* **distingueretur realiter** *ab Eodem Dei Filio.*

R. Dist. mai. Dato per impossibile... essent duae productiones **totales et realiter distinctae** foecunditatis divinae: *Nego;* essent etc. **virtualiter distinctae** foecunditatis etc.: *Concedo.* — Contradistinguo minorem ad sensum maioris, et nego consequens. Dico igitur quod in hypothesi quod Spiritus Sanctus *non procederet* a Dei Filio, Filius esset productio **totalis** exhauriens foecunditatem divini intellectus; et similiter Spiritus Sanctus esset productio **totalis** exhauriens energiam totam divinae voluntatis: attamen istae duae productiones non essent *realiter* sed **solum** *virtualiter* inter se distinctae. Etenim quemadmodum in Deo intellectus et voluntas non distinguuntur **realiter** inter se, sed *solum* **virtualiter** (quia inter se non opponuntur **relative**), et similiter quemadmodum in Deo intellectio et volitio non distinguuntur inter se **realiter,** sed *solum* **virtualiter** (quia intellectio divina et volitio divina non opponuntur **relative** inter se), ita et similiter terminus intellectionis Dei Patris, i. e. *Verbum,* et terminus volitionis divinae, i. e. *Spiritus Sanctus,* distinguerentur invicem non quidem **realiter,** sed solummodo *virtualiter,* SI non haberent inter se **oppositionem relativam.**

Atqui ex dictis constat, quod Spiritus Sanctus *nequeat* **opponi relative** Filio Dei, SI Ipsemet *non procederet* **realiter** a Filio Dei (Cfr. n. 510, § *A*); quia in divinis oppositio relativa fundatur in origine seu processione unius divinae Personae ab alia divina Persona.

Ergo verissime, SI Spiritus Sanctus non procederet etiam a Filio Dei, non distingueretur realiter ab Eo sed *solummodo* virtualiter, inquantum scilicet una et eadem divina Persona, quatenus procedit per intellectionem Dei Patris, vocaretur Filius Dei, et quate-

nus procedit per volitionem divinam, nominaretur Spiritus Sanctus.

513. **Instant 2.°** *Constitutivum unius divinae Personae distinguit realiter illam ab aliis divinis Personis. Atqui* **Filiatio** *est constitutivum Personae Filii Dei. Ergo* **Filiatio** *distinguit* **realiter** *ipsum Filium Dei tam a Deo Patre, quam a Spiritu Sancto. — Atqui in hypothesi quod Spiritus Sanctus* **non procederet** *a Dei Filio, Filius Dei haberet* **Filiationem.** *Et ideo Dei Filius distingueretur* **realiter** *tam a Deo Patre, quam a Spiritu Sancto, etiam in hypothesi quod Spiritus Sanctus procederet a* **solo** *Deo Patre.*

R. Dist. mai. Constitutivum unius divinae Personae, acceptum *adaequate* seu *complete,* distinguit etc.: *Concedo;* acceptum *inadaequate* seu *incomplete,* distinguit etc.: Nego. — Dist. *prim.* min. Atqui Filiatio *adaequate* seu *complete* sumpta etc.: *Concedo;* accepta *inadaequate* seu *incomplete* est etc.: *Nego.* — Pari modo distinguo *primum* consequens. — Dist. *secund.* min. Atqui in hypothesi..... **Filiationem** prouti eam nunc possidet: *Nego;* diverso modo: *Concedo.* — Nego ultimum consequens, et dico Scotistas in hoc argumento eodem modo loqui de *Filio Dei* **spirante** *Spiritum Sanctum* ac de ipso *Filio* **non spirante** *Spiritum Sanctum,* et ex hac confusione in fallaciam incidere. Quod ut intelligatur, adverte quod in praesenti rerum veritate tum Deus Pater tum Deus Filius spirant Paraclitum Spiritum. Unde sicut in Deo Patre *Paternitas* et *Spiratio Activa* distinguuntur **solummodo** virtualiter, ita in Dei Filio *Filiatio* et *Spiratio Activa* differunt **solum** virtualiter inter se. Consequenter in praesenti rei veritate Paternitas Divina, quatenus *constitutiva* Personae Dei Patris, includit *virtualiter* Spirationem Activam: et similiter Filiatio Divina, quatenus *constitutiva* Personae Filii Dei, includit virtualiter Spirationem Activam.

Unde iuxta praesentem rei veritatem Filiatio Divina, quatenus *constitutiva* Personae Filii Dei, potest sumi

vel *formaliter* et *inadaequate,* secundum quod scilicet dicit oppositionem ad **solam** Paternitatem Dei, et secundum hunc adspectum Filiatio Divina distinguit Filium Dei a **solo** Deo Patre cui *relative* opponitur;

vel secundum quod *virtualiter* includit *Spirationem Activam,* et tunc Filiatio Dei distinguit Personam Filii *explicite* et *directe* a Deo Patre, *implicite* autem et *indirecte* a Spiritu Sancto, mediante Spiratione Activa quae in Filiatione Dei *virtualiter* includitur.

Sic igitur, iuxta praesentem rei veritatem, Filiatio Dei, constitutiva secundae Personae S.mae Trinitatis, accepta in sua **totalitate** et **adaequate,** distinguit *sufficienter* Filium Dei *tum* a Deo Patre, *tum* a divino Paraclito.

E contra in hypothesi quod **solus** Deus Pater spiraret Spiritum Sanctum, Paternitas divina, uti constitutiva Personae Dei Patris, includeret **implicite** etiam Spirationem Activam quae in **solo** Deo Patre, ut supponitur, inveniretur. Et ideo in hypothesi quod Spiritus Sanctus a **solo** Deo Patre procederet, Deus Pater per Paternitatem distingueretur *sufficienter* tum a Filio Dei, tum a Spiritu Sancto. — At Filius Dei per Filiationem, qua constitueretur, (quum haec non includeret, ne virtualiter quidem, *Spirationem Activam,* vi cuius haberet oppositionem relativam ad *Processionem* qua constituitur ipse Spiritus Sanctus) distingueretur *realiter* a Deo Patre, dum non distingueretur *realiter,* sed **solum** *virtualiter,* a Spiritu Sancto.

514. **Obiic. 2.°** *Si Spiritus Sanctus procederet a* **solo** *Filio Dei, distingueretur adhuc* **realiter** *a Deo Patre. Ergo et* **a pari,** *si a* **solo** *Deo Patre procederet, distingueretur adhuc* **realiter** *a Filio Dei.*

R. 1.° Nego antecedens et ipsum consequens. Etenim iuxta quosdam theologos non apparet causa sufficiens propter quam Deus Pater esset *realiter* distinctus a Spiritu Sancto in hipothesi quod Paraclitus iste a **solo** Dei Filio procederet: quinimo videtur in tali absurda hypothesi quod Deus Pater et Spiritus Sanctus forent **una eademque** Persona. Et sane, facta ista absurda hypothesi, in Dei Filio adessent Filiatio divina, et Spiratio Activa tamquam **duae** formalitates *virtualiter* tantum inter se distinctae; in Deo Patre vero adesset **sola** Paternitas non continens, ne *virtualiter* quidem, ipsam *Spirationem Activam;* in Spiritu Sancto demum adesset **sola** Spiratio Passiva, quae ne *virtualiter* quidem contineret *Paternitatem* aut *Filiationem* aut *Spirationem Activam.*

Quare, quum **sola** oppositio **relativa** ponat distinctionem *realem* inter divinas Personas, sequitur in hypothesi facta

α) quod propter relationes *Paternitatem* et *Filiationem,* quae occurrunt inter *Deum Patrem* et *Deum Filium,* hae duae Personae S.mae Trinitatis essent inter se *realiter* distinctae;

β) item quod propter relationes *Spirationem Activam* et *Spirationem Passivam,* exsistentes inter *Deum Filium* et *Spiritum Sanctum,*

hac duae Personae Trinitatis essent quoque inter se *realiter* distinctae ;

γ) sed quia inter *Deum Patrem* et *Spiritum Sanctum* non existeret nisi **sola** Paternitas non continens **virtualiter** *Spirationem Activam* et **sola** Spiratio Passiva non continens ne **virtualiter** quidem Filiationem Dei (quae duae notiones propterea non opponerentur **relative** inter se), non addesset *vera et realis distinctio* inter Deum Patrem ac Spiritum Sanctum.

δ) Nec aliquis dicat, quod in facta hypothesi de Processione Spiritus Sancti a **solo** Filio Dei debeat omnino poni distinctio *realis* inter *Deum Patrem* et *Deum Paraclytum,* ex eo quod, si secus esset, oporteret affirmare Deum Patrem, a quo Dei Filius directe procedit, procedere ab ipso Dei Filio a quo procedit Spiritus Sanctus cum quo-*identificaretur* ipse Deus Pater...!! Haec responsio, dico, nihil valet, quoniam nihil mirum si uno absurdo concesso, multa alia absurda concedere oporteat...

R. 2.° Concedo antecedens : nego autem consequens cum sua paritate. Etenim in hypothesi conficta ab arguente, quum totum id quod habet Filius Dei, ipse acceperit a Deo Patre iuxta illud Christi ad Deum Patrem : « **Mea** omnia **tua** sunt » (Ioan, XVII, 10), virtus spirativa quae asseritur in Dei Filio (ex eo quod ponitur a **solo** Dei Filio procedere Spiritum Sanctum) pertinet **fontaliter** et **modo quodam radicali** ad Deum Patrem. Et propterea Spiritus Sanctus qui huic virtuti spirativae habet *oppositionem relativam* et **directam** ad Deum Filium a quo *immediate* procederet, haberet autem *mediatam* et **indirectam** *oppositionem* ad Deum Patrem in quo **fontaliter** exsistit virtus spirativa. — Videlicet dato quod Spiritus Sanctus procederet a **solo** Filio Dei, adhuc maneret *distinctio realis* inter Personas S.mae Trinitatis. E converso in hypothesi quod Spiritus Sanctus procederet a **solo** Deo Patre, non apparet *ratio sufficiens* distinguendi *realiter* Filium Dei a Spiritu Sancto ; eo quod, sicut vidimus, **sola origo** unius ab alia ponit *realem distinctionem* inter divinas Personas.

515. **Obiic. 3.°** *S. Thomas sequens dicta Ss. Patrum superius in Q. XXVII, art. 3 ad 3.m et art. 4 non aliter distinguit Personam* **Filii Dei** *a Persona* **Spiritus Sancti,** *nisi per hoc quod Persona Filii Dei procedit per modum emanationis intelligibilis, Persona vero Spiritus Sancti procedit per modum Amoris. — At iste modus proce-*

dendi maneret, etiam si Spiritus Sanctus **non procederet** *a Dei Filio.—Ergo in via S. Thomae nonnisi paralogizando dicitur, quod* **si Spiritus Sanctus** *non procederet a Dei Filio,* **ab Eo non distingueretur realiter.**

R. Conc. maior.; nego min. et nego pariter consequens. Etenim « ex hoc ipso quod dicitur quod Spiritus Sanctus procedit per mo- « dum voluntatis, et Filius per modum intellectus, sequitur quod Spi- « ritus Sanctus sit a Filio : nam *Amor* procedit a *Verbo ;* eo quod « nihil *amare* possumus nisi *verbo cordis* illud concipiamus (Lib. IV. « *Cont. Gent.* cap. 24). Unde videtur impossibile quod Spiritus San- « ctus procedat per modum Amoris et non procedat a Filio. Et haec « est secunda ratio S. Thomae in corpore articuli ; quam etiam ad- « ducit ad solvendum hoc argumentum Marsilii in I. *Sent.* Dist. XI, « Q. XV, art. 1 ad 3.m» (Bannez, *Com.* in h. a.).

α) Bene ergo dicitur « quod Spiritus Sanctus distinguitur perso- « naliter a Filio in hoc quod *origo* unius distinguitur ab *origine* alte- « rius ; sed ipsa differentia originis est per hoc quod Filius est **so- « lum** a Patre, Spiritus Sanctus vero a **Patre et Filio.** Non enim « aliter Processiones distinguerentur, sicut supra (Hic, o et Q. « XXVII) ostensum est » (Hic ad 7.m — Cfr. Caiet. *Com.* in h. a.).

516. **Corollarium II.m** Ex hucusque disputatis infertur

α) iure meritoque adiectam fuisse particulam **Filioque** in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano per Ecclesiae potestatem. Vere namque Spiritus Sanctus procedit a Patre et a Filio; prouti Scriptura Sacra et Ss. Patrum antiqua traditio (Cfr. n. 504, §§ 1.° et 2.°) commemorant. Quinimo, sicut mox vidimus contra Scotistarum placita, Trinitas vera ac realis divinarum Personarum non salvatur nisi confitendo Spiritum Sanctum procedere **simul** a Deo Patre et a Deo Filio tamquam eorumdem mutuum amorem. Hinc Concilium Florentinum in *Decreto Unionis Graecorum* ait : « Diffinimus... explicatio- « nem verborum illorum **Filioque** veritatis declarandae gratia, et « imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter symbolo fuisse « oppositam » (*Enchir.* n. 691). Legi possunt Petavius Lib. VII *De Trinit.* cap. 2 ; Franzelin, Tract. *De Trinit.,* thes. XLI ; etc.

β) Quod vero spectat ad historiam huiusce additamenti, conveniunt eruditi in affirmando hoc additamentum, iampridem ab anno circiter 445 approbatum a S. Leone Magno per epistolam dogmaticam (XV, cap. 1), missam ad S. Turribium Asturicensem Episcopum,

fuisse publice receptam primitus in Ecclesiis Hispaniarum sicut ex Conciliis Toletanis II (an. 531), III (an. 589), IV (an. 633) et XI (an. 675) constat. Ex Hispania deinde mos iste demigravit ad Lusitanos ut habetur in actis Conc. Emeritensis (an. 666), postmodum ad Anglos, Gallos et Germanicos sicut ex Conc. Herdtfeldensi (an. 680) relato a ven. Beda, et ex Conciliis Gentiliacensi (an. 767), Foroinliensi (an. 791, Francofurtensi (an. 794) et Aquisgranensi celebrati an. 809 habetur. Cfr. Mgr. Hefélé *Histoire des Conciles d' apres les documents originaux,* tomm. II-V.

γ) Verumtamen quum nondum auctoritate Ecclesiae Romanae illud additamentum fuisset insertum in Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano usque ad saec. VIII, propterea Leo PP. III (fl. an. 795-816) reprehendit Episcopos Galliae, quod vocem «*Filioque*» addiderint canendam in Missa solemni. Sed, sicut notat Syrmundus in Tom. II Conciliorum Galliae, Leo III numquam dubitavit de processione Spiritus Sancti etiam a Dei Filio, sed coram Legatis ad se missis a Concilio Aquisgranensi professus est se omnino sentire cum S. Scriptura quod Spiritus Sanctus a Dei Filio quoque procedat (Cfr. Natalis Alexander *Hist. Eccles.* Dissert. XXXVII in saec. IV art. 3; et Dissert. II *Hist. Dogm.* § De Additione vocis «*Filioque*» etc.).

δ) Cum autem post Leonis III fata coeperint haeretici denegare pertinaciter processionem Spiritus Sancti etiam a Dei Filio, ideo et coepit etiam hic Romae usus canendi symbolum Catholicae Fidei cum particula «*Filioque*» atque ita a saec. IX talis usus penes Latinam Ecclesiam universim fuit exceptus; indeque in Conciliis Generalibus, Lugdunensi sub B. Gregorio X et Florentino sub Eugenio IV, fuit solemniter definitus contra errores Graecorum.

Art. III. Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre per Filium.

517. Formula haec *Spiritus Sanctus a Patre* **per** *Filium procedit,* vel, quod idem est, *Pater* **per** *Filium spirat vel mittit Spiritum Sanctum,* usitata invenitur tum apud Graecos tum apud Latinos Doctores. Quosdam refero.

α) *Ex Graecis. A*) S. Athanasius in Epist. III *ad Serap.* n. 1 scribit «Quemadmodum Filius dicit: *Omnia quaecumque habet* Pa-

« ter, mea *sunt* (Ioan. XVI, 15), ita haec omnia **per** Filium in Spiritu esse deprehendemus ».

B) S. Basilius Lib. V *cont. Eunomium* quaerens « *cur Spiritus* « *Sanctus non dicatur* **Filius Filii** », respondit « Non quod ex Deo « (*Patre*) non sit **per** Filium, sed ne Trinitas putetur esse infinita « multitudo si quis eam suspicaretur, ut fit in hominibus, filios ex filiis habere » (Cfr. Lib. *De Spirit. Sant.* cap. 17).

C) S. Cyrillus Alexandrinus Lib. XII in *Ev. S. Ioan.* dicit: « Christus (Ioan. XX, 22) « statim eos (*i. e. Apostolos*) sanctificat, « manifesto insufflatu Spiritum eis largiens, ut et nos firmiter cre- « deremus alienum non esse a Filio Spiritum (*Sanctum*) sed ei con- « substantialem et **per** Ipsum ex Patre procedentem ». Eadem habet Lib. II in *eumd. Ioan.*

D) S. Ioan. Damascenus demum (quem Graeci sibi faventem existimant) in Lib. I *De Fid. Orthod.* cap. 12 dicit quod Pater sit « **per** Filium producens manifestantem Spiritum »; et Epist. *ad Iordanum* scribit: « Spiritus Sanctus est ex Patre, siquidem **per** Filium « procedit, non tamen filiationis more » (Cfr. Le Quien, O. P. in not. ult. ad cap. 8 Lib. 1, *De Fide Orthod.* S. Ioan. Damasceni).

β) *Ex Latinis. A*) Tertullianus in Lib. *adv. Praxeam*, cap. 4 dicit: « Spiritum (*Sanctum*) non aliunde puto quam a Patre **per** « Filium ».

B) S. Hilarius in Lib. XII *De Trinit.* n. 57 loquens ad Deum Patrem dicit: « Conserva hanc, oro Fidei meae religionem, ut quod « in regenerationis meae symbolo professum sum, semper obtineam, « te Patrem scilicet et Filium tuum una tecum adorem et Spiritum « Sanctum, qui ex te **per** Unigenitum tum est, promerear ». Cfr. Vasquez, P. I, Disp. CXLVI, cap. 6.

518. Petavius (Lib. VIII. *De Trinit.* cap. 17, § 2) per multa exempla adducta ex auctoribus, tam sacris quam prophanis, ostendit apud Graecos voces ἐξ (= *ex,* vel *a*) et διὰ (= *per*) promiscue accipi, et propterea in idem recidit phrasis *Spiritus Sanctus procedit* A *Patre et* A *Filio,* et affirmatio *Spiritus Sanctus* A *Patre* PER *Filium procedit.* Petavium sequuntur Perrone Tract. *De Trinit.* cap. 5, n. 362 et pauci alii.

At communiter Theologi cum S. Thoma particulam *PER* in praecitatis locutionibus Ss. Patrum intelligunt in sensu **proprio,** secundum quod scilicet praepositio *PER* distinguitur a praepositione *A,*

« maxime cum haec praepositio *A* apud Graecos notet relationem ad « *primam originem.* Unde apud eos non dicitur, quod lacus sit *A* **ri-** « **vulo** sed quod est *A* **fonte.** — Et inde est, quod non concedunt « quod Spiritus Sanctus sit *A* Filio, sed *A* Patre» (I. *Sent.* Dist. XII art. 2 ad 3.m).

519. Moventur autem theologi ad definiendum sensum catholicum propositionis: «*Spiritus Sanctus procedit a Patre* **per** *Filium*», quia simul cum sensu catholico propositio habet multos sensus haereticos. Sicut enim historia refert, Arius Deum benedicebat dicendo: « *Gloria Patri* **PER** *Filium* **IN** *Spiritu Sancto* » (Cfr. *Prolog.* n. 14); et tamen Arius neque Filium neque Spiritum Sanctum **Deum verum** esse confitebatur.

520. Pro discretione igitur sensus genuini et catholici qui exprimitur per citatam formulam professionis Fidei, nota « quod in omni- « bus locutionibus, in quibus dicitur aliquis *PER* aliquem operari, « haec particula *PER* designat in causali (*i. e. termino casus accu-* « *sativi quem afficit*) causam seu principium illius actus » (Hic, o). — Revera, quando dico *Ignis* PER *calorem calefacit lignum,* τό PER designat adesse in calore quamdam **vim causalem** ex cuius influxu lignum fit calidum. Et similiter, quando dico *Faber* PER *martellum facit scamnum,* significatur adesse in martello principium aliquod operationis **vi cuius** conficitur scamnum.

521. « Sed, cum *actio* sit **media** inter *faciens* et *factum,*

α) « quandoque illud (*principium*) causale cui adiungitur haec « praepositio **PER,** est causa (*sive principium*) actionis secundum « quod (*actio haec*) exit ab agente... (*utputa quum dico Artifex operatur per artem*).

β) « Quandoque vero dictio causalis cui adiungitur haec praepo- « sitio **PER,** est causa (*sive principium*) actionis secundum quod « (*actio ista*) terminatur ad factum ; ut cum dicimus *Artifex operatur* « **per** *martellum :* non enim significatur quod martellus sit causa ar- « tifici quod agat, sed quod sit causa artificiato ut ab artifice proce- « dat et quod hoc ipsum habeat ab artifice. — Et hoc est, quod qui- « dam dicunt, quod haec praepositio *PER* quandoque notat auctori- « tatem in *recto,* ut cum dicitur: *Rex operatur* **per** *Ballivum,* quan- « doque autem in obliquo, ut cum dicitur: *Ballivus operatur* **per** « *Regem* » (Hic, o).

522. Est autem differentia inter haec duo *principia,* seu *causas,*

actionis. *A*) Nam *principium* actionis, secundum quod haec exit ab agente, «est causa agenti quod agat, sive sit causa *finalis* sive *for-*
« *malis* (*extrinseca*) sive *effectiva* vel *motiva ;*

α) « Finalis quidem (*causa importatur in dictione affecta a prae-*
« *positione* **PER**), ut si dicamus, quod *artifex operatur* **per** *cupidita-*
« *tem lucri ;*

β) « Formalis vero, ut si dicamus quod (*artifex*) *operatur* **per**
« *artem suam ;*

γ) « Motiva vero (*seu effectiva*), si dicamus quod (*artifex*) *opera-*
tur **per** *imperium alterius* (Hic, o).

B) Sed *principium* actionis, secundum quod actio terminat ad effectum, non est causa *artifici* ut agat, sed est causa *artificiati* ut ab agente efficiatur. Ita « cum dicimus : *Artifex operatur* **per** *mar-*
« *tellum*, non... significatur quod martellus sit *causa* **artifici** quod « agat, sed quod sit *causa* **artificiato** ut ab artifice procedat, et « quod hoc ipsum habeat ab artifice » (Ibid.).

C) Recapitulando hucusque dicta, habemus, quod *dictio* seu *terminus* affectus a praepositione **PER,** designat vel

α) causam *finalem* operationis, quae ab agente procedit ; vel

β) causam *formalem,* qua agens operationem emittit ; vel

γ) causam *motivam* agentis ad suam operationem ; vel

δ) designat quod in tali dictione seu termino *vis productiva* effectus sit derivata ab alio agente, aut **simpliciter** ut si dicerem: *Petrus* **PER** *proprium filium trahit navim ;* aut

ε) **ad modum alicuius instrumenti** ut quum dico: *Artifex* **PER** *martellum facit scamnum.*

523. His distinctionibus praenotatis, pro solutione quaesiti ponitur

Conclusio. *Quando dicitur* **Spiritus Sanctus spiratur** *seu* **procedit a Patre** *PER* **Filium,** *haec propositio non debet intelligi quasi* τὸ **Filius** *sit* **Spirationis,** *quae est a Patre, causa* α) **finalis,** *vel* β) **formalis,** *vel* γ) **motiva,** *vel* δ) **instrumentalis ;** *sed* ε) *significat* **vim spirandi Spiritum Sanctum** *esse simpliciter a Deo Patre* **communicatam** *Filio suo.*

Nota. Hic sensus docetur a Conc. Florentino sub Eugenio IV, in *Decreto Unionis Graecorum,* sub his verbis: « Diffinimus... decla-
« rantes, quod id, quod Sancti Doctores et Patres dicunt *ex Patre*
« *PER Filium procedere Spiritum Sanctum,* ad hanc intelligentiam

« tendit, ut per hoc significetur Filium quoque esse, secundum Grae-« cos quidem **causam,** secundum Latinos vero **principium,** subsi-« stentiae Spiritus Sancti, sicut et Patrem » (*Enchir.* n. 691).

Prob. **I.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Revera causa *finalis* allicit quidem agens seu causam efficientem ad operandum, attamen non est **principium** a quo **immediate** fluit operatio causae *efficientis ;* secus causa efficiens et causa finalis essent una eademque realitas : quod est falsum.

Atqui *operatio spirativa* Spiritus Sancti est **aeque immediate,** tam a Deo Patre, quam a Deo Filio ; quia una eademque **numero** est virtus spirativa in Deo Patre et in Deo Filio, sicut art. praec. notavimus.

Ergo, quando dicitur : *Spiritus Sanctus spiratur seu procedit a Patre* **PER** *Filium,* τὸ *Filius* non significat causam **finalem,** propter quam Deus Pater spirat Paraclitum (Hic, o).

Prob. **II.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Causa *formalis* non distinguitur **suppositaliter** ab agente, cuius est ea causa formalis : ita ex. gr. *Anima* vel *idea* qua nunc loquor, theologice non differt suppositaliter a meipso.

Atqui Dei Filius distinguitur **personaliter** a Deo Patre : patet.

Ergo, quando dicitur : *Spiritus Sanctus spiratur seu procedit a Deo Patre* **PER** *Deum Filium,* τὸ *Filius* non significat causam **formalem** qua Deus Pater spirat Spiritum Sanctum (Hic, o).

Prob. **III.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Causa movens seu *motiva* agentis ad suam operationem, est **perfectior** tali agente ; quia movens, qua tale, est nobilior re quae a movente movetur.

Atqui Dei Filius non est **perfectior** Deo Patre, sed Ipsi **omnino aequalis :** patet.

Ergo quando dicitur: *Spiritus Sanctus spiratur* seu *procedit a Deo Patre* **PER** *Filium,* τὸ Filius non habet erga Deum Patrem indolem causae **moventis** Eum ad spirandum Spiritum Sanctum (Hic, o).

Prob. **IV.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Causa *instrumentalis* non habet *unam eamdemque* **numero** virtutem effectivam ac est virtus effectiva agentis *principalis ;* secus pictor posset indifferenter pingere tam per pennicillum quam per martellum : sed virtus causae *instrumentalis* est quaedam participatio **transiens** sive, prout

loquitur alibi Angelicus, est quaedam **intentionalis** energia transeunter communicata instrumento ab agente principali.

Atqui una eademque **numero** est *virtus spirativa* tam in Deo Patre quam in Deo Filio, sicut ex superioribus patet.

Ergo Filius Dei nequit dici causa *instrumentalis* per quam Deus Pater spirat Paraclitum. — Unde quando dicitur quod *Spiritus Sanctus spiratur* seu *procedit a Deo Patre* **PER** *Filium,* τὸ *Dei Filius* in hac loquutione non potest denotare causam aliquam *instrumentalem* (Hic ad 2.m — Cfr. ad 1.m et 3.m).

Prob. **V.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Nonnisi sex modis (Cfr. n. praec. § *C*) potest intelligi, quod *Spiritus Sanctus a Patre procedit* PER *Filium.*

Atqui illa propositio non potest exponi, ita ut sensus sit, quod τὸ *Filius* sit Spirationis causa *finalis,* neque quod sit causa *formalis,* neque causa *motiva,* neque causa *instrumentalis* per quam Deus *spirat* Paraclitum Spiritum, sicut ostensum est.

Ergo verissime illa propositio denotat quod vis spirativa Spiritus Sancti sit Dei Filio communicata a Deo Patre (Hic, o et loc. cit.). — Ad rem S. Thomas: « Quia igitur Filius habet a Patre quod ab « Eo procedat Spiritus Sanctus, **potest** dici quod Pater **per** Filium « spirat Spiritum Sanctum, vel quod Spiritus Sanctus procedat a Pa- « tre **per** Filium, quod idem est » (Hic, o).

524. **Corollarium.** Eatenus dici potest: *Pater* **per** *Filium spirat Spiritum Sanctum,* quatenus virtus spirandi Paraclitum sit a Deo Patre communicata Filio suo; ita ut haec virtus spirativa sit *fontaliter* in Deo Patre, atque *derivative* in Dei Filio. Unde sicut haereticum est affirmare quod Deus Pater *acceperit* a Dei Filio virtutem spirandi Spiritum Sanctum, ita quoque haereticum est dicere quod Filius Dei **per** Deum Patrem spirat Spiritum Sanctum (Hic ad 4.m).

525. **Obiic. 1.°** *Quod procedit a Deo Patre* **per** *proprium Filium, non procedit* **immediate** *a Deo Patre. Atqui Spiritus Sanctus procedit* **immediate** *a Deo Patre: dicitur enim absolute de Spiritu Sancto in Evangelio* τὸ **Qui a Patre procedit** (*Ioan. XV, 26*). *Ergo Spiritus Sanctus non procedit a Deo Patre* **per** *Dei Filium.*

R. Dist. mai. *Quod procedit..., non procedit* **immediate** *a Deo Patre* immediatione virtutis: *Nego;* immediatione suppositi: *Transeat.* Contradistinguo *minorem* ad sensum *maioris:* nego consequens, et dico, quod, generatim loquendo,

α) quoties *virtus operandi,* aut *actio* per quam Persona aut suppositum operatur, non est mutuata **ab alio** agente, toties talis Persona dicitur operari *immediatione virtutis.* Ita ex. gr. quando Deus et creatura operantur eumdem numero effectum, tunc Deus per *immediationem virtutis* causat effectum illum, creatura vero per *mediationem virtutis ;* quoniam *virtus operandi* et *actio* conveniunt Deo **fontaliter,** creaturae autem **per participationem** a Deo.

β) Simili modo quando inter *causam agentem* et *effectum ipsum* non invenitur aliud suppositum **coëfficiens** effectum illum, tunc causa illa dicitur agens *immediatione suppositi.* Si vero inter *causam agentem* et *eius effectum* invenitur alia causa **coëfficiens** talem effectum, tunc **haec** causa coëfficiens dicitur agere *immediatione suppositi,* **prior** autem causa dicitur agere *mediatione* suppositi. Ex. gr. quum pictor per pennicillum format imaginem, pictor agit **mediatione** *suppositi,* i. e. mediante pennicillo ; pennicillus vero causat **immediatione** *suppositi,* quoniam ipse immediate extendit lineas et colores quibus resultat figura (Cfr. Vol. I. *De Deo Uno,* n. 407, nota 2.ª).

Atqui *virtus spirativa* et ipsa *operatio spirandi* Spiritum Sanctum non possidetur per participationem sed plene a Dei Filio, quia **una eademque** *operatio spirativa* adest tam in Deo Patre quam in Deo Filio.

Ergo dici non potest quod Spiritus Sanctus procedat a Deo Patre aut a Deo Filio per *mediationem virtutis:* sed omnino dici debet quod Spiritus Sanctus procedat, tam a Deo Patre quam a Deo Filio, immediate immediatione virtutis (I. *Sent.* Dist. XII, art. 3, o, et ad 4.m).

γ) Sed rursum, si consideretur suppositum spirans Spiritum Sanctum, tunc quia Deus Pater et Deus Filius per eamdem operationem **simul** spirant Spiritum Sanctum, vere dicitur quod, tam Deus Pater quam Deus Filius, *immediate* immediatione suppositi spirant Deum Paraclitum. — Verum, quia Deus Pater simul cum propria natura communicavit **vim** et **operationem** spirandi Spiritum Sanctum, propterea sub hoc adspectu potest dici quod Deus Pater **mediate,** videlicet mediatione suppositi Filii sui spirat Spiritum Sanctum (I. *Sent.* loc. cit., o, et ad 1.m); «sicut etiam Abel processit *immediate* « ab Adam, inquantum Adam fuit pater eius, et *mediate* ab Eva in« quantum Eva fuit mater eius, quae (*tamen Eva*) processit ab Adam.

« Licet hoc exemplum materialis processionis ineptum videatur ad « significandam immaterialem processionem divinarum Personarum » (Hic ad 1.m).

526. **Inferes 1.°** Hinc sub vario adspectu verum simul est, quod Deus Pater *immediate* spirat Spiritum Sanctum, et quod Deus Pater *non immediate* sed *mediate* seu mediante Filio suo spirat Spiritum Sanctum. « Et ideo littera (*corp. art.*) dicit quod **potest dici** Patrem « spirare PER Filium Spiritum Sanctum, et non dixit quod oportet « omnino sic dici : secundum unam enim acceptionem tantum verifi- « catur » (Caiet. *Com.* in h. a.).

α) Haereticum tamen est affirmare, quod *Deus Pater* aut *Deus Filius* **mediate** mediatione virtutis *spirat Spiritum Sanctum :* quia **virtus spirativa** Spiritus Sancti neque in Deo Patre neque in Deo Filio exsistit per participationem.

2.° Nequit dici cum **toto rigore theologico** quod Spiritus Sanctus procedat *principaliter* a Deo Patre, et *secundario* a Deo Filio.

Decl. Equidem, quoties ad aliquam productionem concurrunt *causa* aliqua *principalis* et causa aliqua *secundaria,* tunc intelligitur quod virtus productiva effectus exsistat modo *magis* perfecto in causa principali, et modo *minus* perfecto in causa secundaria ; et consequenter numquam **eadem numero** virtus operativa adest in causa *principali,* et in causa *secundaria* secundum quod ambae causae producunt eumdem numero effectum. Unde « si Filius (*Dei*) accipe- « ret a Patre aliam virtutem numero ad spirandum Spiritum San- « ctum, sequeretur quod esset sicut causa *secunda* et *instrumentalis* « (*quantum ad productionem Spiritus Sancti*), et sic (*Paraclitus Spi-* « *ritus vere*) magis procederet a Patre quam a Filio. — Sed una et « eadem numero virtus spirativa est in Patre et Filio. — Et ideo « **aequaliter** procedit ab utroque » (Hic ad 2.m).

α) Et generatim loquendo, « Spiritus Sanctus nec *prius,* nec *ple-* « *nius,* nec *magis* procedit a Patre quam a Filio. Et ratio huius tota « est, quia Pater et Filius sunt **unum** principium Spiritus Sancti : et « ubi est *unitas,* non potest esse *distinctio* plenitudinis » (I. *Sent.* Dist. XII, art. 2, o).

β) Haec tamen loquutio « *Spiritus Sanctus procedit* proprie *vel* « principaliter *a Deo Patre* » potest etiam benigne exponi, ita ut « dicatur **principaliter** vel **proprie** procedere de Patre, propter hoc « quod (*virtus spirativa Spiritus Sancti exsistat in Patre non ab alia*

« *Persona ei communicata, dum ex opposito*) Filius habet hanc vir-« tutem a Patre » (Hic ad 2.m — Cfr. I. *Sent.*, Loc. cit., ad 3.m).

527. **Obiic. 2.°** *Persona, cuius processio est aeterna, non procedit a Patre* **per** *Filium. At processio Spiritus Sancti est aeterna. Ergo Spiritus Sanctus non procedit a Patre* **per** *Filium.*

R. Dist. mai. *Persona...* **per** *Filium,* si Filius non procederet quoque ab aeterno: *Concedo;* aliter: *Nego.* — Concedo minorem, nego consequens et dico, quod si Generatio Filii Dei non esset *coaeterna* ipsi Deo Patri, tunc manifeste ad hoc ut haberetur processio Spiritus Sancti **per** Dei Filium, oporteret supponere quod **prius** procederet Dei Filius a Deo Patre, et **postea** procederet ab utroque Spiritus Sanctus; et sic verissime processio Spiritus Sancti non posset esse, sicut Fides docet, **aeterna.** — At si generatio Filii ponatur **coaeterna** Deo Patri, ita ut numquam Deus Pater sine proprio Filio fuerit, tunc evidenter **coaeterna** quoque erit virtus spirativa et operatio spirativa, tam in Deo Patre quam in Deo Filio. Quod si ulterius *virtus* et *operatio* spirativa sint **coaeternae** in Deo Patre et in Deo Filio, tunc ipsa processio Spiritus Sancti est dicenda **coaeterna** Deo Patri ac Dei Filio. — Et propterea de primo ad ultimum concludendo habemus, quod «sicut Generatio Filii (*Dei*) est « coaeterna (*Deo*) Generanti (*quia non* **prius** *fuit Pater* **quam** *gigne-« ret Deum Filium*), ita processio Spiritus Sancti est coaeterna suo « Principio (*i. e. Patri et Filio a quibus immediate procedit*). Unde « non fuit **prius** Filius genitus **quam** Spiritus Sanctus procedat; sed utrumque aeternum est» (Hic ad 3.m): ita ut quemadmodum Sol noster, licet emittat calorem, **mediante** luce, non tamen emittit **prius** lucem et **postea** calorem, sed utrumque simul: pari modo Pater coelestis aeterna sua actione generat Filium, et generando Filium spirat simul Spiritum Sanctum (Cfr. I. *Sent.* Dist. XII, Art. 1, o et ad 1.m).

Art. IV. Utrum Pater et Filius sint unum principium Spiritus Sancti.

528. Superius Q. XXXIII, art. 1 monuimus τὸ *principium* esse id omne a quo aliquid procedit, quocumque modo procedat: ita dicimus *Auroram* principium *Diei, Punctum* principium *lineae,* etc..

529. Distinguitur vero τὸ *principium* in **Quod** et **Quo.**

α) Principium **Quod** significat *Suppositum* vel *Personam,* prout **connotat** propriam vim agendi.

β) Principium **Quo** denotat *vim operativam,* qua Suppositum vel Persona agit.

Ex. gr. in Petro scribente epistolam, Persona eius est *Principium* quod *scribit:* facultas vero artificiose delineandi litteras humani sermonis, dicitur *Principium* quo *Petrus scribit.*

De utroque principio proponitur quaestio in praesenti articulo (Hic, o).

530. Τὸ *unum* vero sumitur pro *unitate numerica,* quia haec sola in divinis esse potest.

531. Memento vero ex alibi dictis quod plura possunt esse **unum** numero multis modis: utputa

α) unum *natura* vel *essentia;* quo modo tres Personae S.mae Trinitatis sunt unum *natura:* aut

β) unum *Persona;* quo modo in me Anima et Corpus sunt unum unitate *Personae:* aut

γ) unum *quantum ad operationem,* quando scilicet *una* **numero** operatio exercetur ab illis pluribus; quo modo Anima et Corpus sunt unum *in sentiendo:* aut

δ) unum in *proprietatis possessione,* quando scilicet *una* **numero** proprietas adest in pluribus habentibus *unam* **numero** naturam. Hoc modo tres Personae S.mae Trinitatis sunt unum *omnipotentia.*

532. Sunt igitur in titulo h. a. duae quaestiones implexae, videlicet:

I.ª Utrum propositio: « Pater et Filius sunt **unum** principium « Spiritus Sancti » sit vera?

II.ª Quo sensu ea propositio sit concedenda tamquam vera (Cfr. Bannez, Valentia, Nazarius etc. *Com.* in h. a.).

533. Ad intelligentiam dicendorum denique reminisci iuvat ex dialectica quod nomen substantivum significat formam sive naturam *per se* stantem, dum nomen adiectivum significat formam seu rem *inhaerentem* in subiecto. Ita ex. gr. *Homo* significat naturam humanam uti *per se* stantem, e contra *Humanus* significat humanam naturam uti *inhaerentem* in subiecto.

534. Exinde sequitur, quod nomen *substantivum* desumit **propriam** unitatem a natura quam significat; ita ut si talis natura sit *una* **numero,** nomen quoque *substantivum* non potest affirmari de

subiecto nisi **singulariter;** si autem ea natura non sit *una* **numero,** nomen *substantivum* potest etiam **pluraliter** de subiectis affirmari. Ita ex. gr. quia *Deitas* est omnino **una numero,** etiam in tribus divinis Personis, propterea haec propositio: «*Pater, Filius, et Spiritus Sanctus sunt* **una numero** *Deitas*», est vera et propria. E contra quia non **una numero** humana natura adest in *me* et in *te,* propterea haec propositio: «*Ego et Tu sumus* **una numero** *humana natura*» est impropria et falsa.

535. E contra nomen *adiectivum* accipit **unitatem** aut **pluralitatem numericam** ab *unitate* vel *pluralitate numerica* **subiecti** inhaesionis de quo tale adiectivum dicitur. Revera, si adiectivum praedicatur de *una* persona aut subiecto, debet esse in numero *singulari;* si autem praedicetur de *pluribus* personis aut subiectis, tunc debet adiectivum illud poni sub nomero *plurali.* Unde propositiones istae: «*Petrus* est *bonus*» item «*Paulus et Andreas* sunt *mali*» sunt propositiones verae: e contra propositio: «*Petrus et Andreas* sunt *doctus,* est propositio impropria et falsa (Cfr. hic, o et ad 7.m).

536. Recole ulterius ex Logica, quod *suppositio,* sive acceptio vocis pro re significata, solet duobus modis dici *confusa,* videlicet

α) uno modo *proprie,* et huiusmodi suppositio confusa est *acceptio vocis* seu *nominis pro suis significatis* **disiunctim** *enumerandis.* Sub hac suppositione confusa accipitur τὸ *Animal* quando dico: «*Omnis homo est* **Animal**».

β) Alio modo suppositio confusa accipitur *improprie,* et tunc denotat *acceptionem vocis* seu *nominis pro* **omnibus** *suis significatis* **collectim** *acceptis* (Hic ad 6.m). — His praenotatis, sit

537. **Conclusio I.** *Pater et Filius in divinis sunt revera* **unum principium** *Spiritus Sancti.*

Nota. Est Fidei dogma.

Prob. 1.° *Ex Ss. Patribus. A*) S. Augustinus (Lib. V *De Trinit.* cap. 14) ait: «Fatendum est Patrem et Filium principium esse Spi«ritus Sancti: non *duo* principia; sed sicut Pater et Filius *unus* «*Deus,* et ad creaturas relative *unus Creator* et *unus Dominus,* sic «relative ad Spiritum Sanctum **unum principium**».

B) S. Anselmus (Lib. *De Proces. Spiritus Sancti,* cap. 10) inquit: «Sicut non credimus Spiritum Sanctum esse de hoc unde **duo** sunt Pater et Filius, sed de hoc in quo **unum** sunt, ita non dicimus **duo** Eius principia, sed **unum**».

2.° *Ex Conciliis.* *A*) Lugdunense II sub Gregorio X celebratum ait: « Nos..., sacro approbante Concilio, damnamus et reprobamus « qui negare praesumpserint aeternaliter Spiritum Sanctum ex Patre « et Filio procedere, sive etiam temerario ausu assèrere quod Spi- « ritus Sanctus ex Patre et Filio, tamquam ex **duobus principiis,** « et non tamquam **ex uno** procedat » (*Enchir.* n. 461).

B) Concilium Florentinum, sub Eugenio IV, in Decreto pro Graecis dicit: « Hoc sacro universali approbante Florentino Conci- « lio, diffinimus... quod Spiritus Sanctus ex Patre et Filio aeternali- « ter est, et essentiam suam suumque *esse subsistens* habet ex Pa- « tre **simul** et Filio, et **ex utroque** aeternaliter tamquam ab **uno** « **principio** et **unica spiratione** procedit » (*Enchir.* n. 691).

— Eadem expositio circa processionem Spiritus Sancti habetur in professione Fidei a Graecis facienda ex praescripto Gregorii XIII per constitutionem *Sanctissimus Dominus Noster* (*Enchir.*, nn. 1083 et sqq.).

3.° *Ratione theologica.* Sicut colligitur ex verbis Christi dicentis: *Omnia quaecumque habet Pater, mea sunt* (Ioan XVI, 15) « Pa- « ter et Filius in omnibus **unum** sunt, in quibus non distinguit inter « eos relationis oppositio. Unde, cum in hoc quod est esse princi- « pium Spiritus Sancti, non opponantur relative (*quia Deus Pater et « Deus Filius possident eamdem numero virtutem spirativam et eam- « dem numero actionem spirativam*), sequitur, quod Pater et Filius « sunt **unum** principium Spiritus Sancti » (Hic, o).

538. **Obiic. 1.°** *Virtus Spirativa in Deo, aut significat* **naturam divinam,** *aut* **proprietatem aliquam personalem.** *At non significat* **divinam naturam,** *secus talis virtus conveniret tribus divinis Personis. Ergo significat* **proprietatem Dei personalem.** *Consequenter convenit* **uni** *tantum divinae Personae.*

R. Dist. mai. *Virtus Spirativa... aut essentiam,... aut proprietatem,* aut essentiam connotatam notione aliqua: *Concedo;* aliter: *Nego.* — Concedo min., et nego consequens.

α) Dico igitur *virtutem spirativam* non designare naturam divinam ut sic, seu *praecisive* sumptam, quoniam in hac hypothesi, ut dicitur ab arguente, huiusmodi virtus spirativa conveniret omnibus et singulis divinis personis.

β) Nec etiam virtus spirativa significat proprietatem aliquam *stricte* personalem, idest **uni** tantum *divinae Personae* convenientem,

quoniam haec virtus convenit *de facto* tam Deo Patri quam Deo Filio.

γ) Sed *virtus spirativa* in Deo significat *essentiam divinam,* prouti modificatam sive connotatam ab **una relationum realium,** quae dicunt ordinem ad *Spiritum Sanctum;* seu significat *divinam essentiam,* secundum quod in Deo Patre ac in Deo Filio est **terminus,** qui respicitur a *Spiratione Passiva* quae est in Spiritu Sancto.

Et quia essentia divina, prouti connotata ab hac relatione reali, invenitur **simul** in Deo Patre et in Deo Filio, propterea Spiritus Sanctus procedit a Deo Patre et a Deo Filio inquantum sunt **unum** in virtute spirativa (Hic ad 1.m et 7.m).

539. Sed quoniam, sicut notatum est superius (Cfr. n. 529), adest tum principium **Quod,** tum principium **Quo,** exoritur inde

Q. I. *Quando dicitur* Pater et Filius sunt **unum principium** Spiritus Sancti, τὸ **Principium** *sumitur pro* Principio **Quod,** *an pro* Principio **Quo?**

A) Molina (Hic, *Disp. II*), Nazarius (Hic, *Controv. II*), Becanus (Tract. *De Trinit.* cap. 6), Grandi (Hic, *Dub. I*) cum quibusdam aliis tenent τὸ **Principium** in praedicta locutione sumi tam de Principio *Quod,* quam de Principio *Quo,* **Spirationis Activae** Spiritus Sancti. — Haec opinio, si rem spectes, profitetur ab Ocham (I. *Sent.* Dist. XII, Q. I), quem sequitur ibidem Biel.

B) Bannez (*Com.* in h. a.) e contra, Gonet (Disp. X. *De Trinit.* art. 2), et alii docent τὸ **Principium** in praecitata loquutione designare Principium **Quo,** non autem Principium **Quod.**

C) Mihi autem videtur dissidium hoc theologorum posse componi, ut sequitur:

Conclusio II. *Pater et Filius* α) *sunt* **unum** *principium quo Spirationis Spiritus Sancti,* β) *non autem* **unum** *principium quod eiusdem Spirationis,* γ) *nisi forte* **improprie** *loquendo.*

Prob. **I.a pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Nulla oppositio relativa adest inter Deum Patrem ac Deum Filium *ex una parte,* atque virtutem Spirativam *ex altera parte;* quia haec virtus Spirativa adest de facto tam in Deo Patre quam in Deo Filio, quum ab utroque Spiritus Sanctus procedat. — Atqui in divinis *omnia* sunt *unum* nisi obstet oppositio relativa. — Ergo haec propositio: «*Pater et Filius sunt* **una virtus spirativa** *Spiritus Sancti*» est propositio vera.

Sed *Principium Quo* Spirationis Spiritus Sancti, est evidenter (Cfr. n. 529) ipsa virtus spirativa Spiritus Sancti. — Ergo haec propositio: «*Pater et Filius sunt* **unum** *principium Quo Spirationis Spiritus Sancti*» est propositio vera (Cfr. Suárez, Lib. X *De Trinit.* cap. 5).

Prob. **II.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* In hac propositione: «*Pater et Filius sunt* **unum** *principium Quod Spirationis Spiritus Sancti*» τὸ *Principium Quod,* **si accipiatur proprie,** designare potest vel *Personam divinam* vel *Subsistentem in natura divina, et habentem vim spirandi Paraclitum.*

α) At, si in illa propositione, loco τοῦ *Principii Quod,* substituatur τὸ *Persona divina,* tunc resultat haec propositio: «*Pater et Filius sunt* **una Persona divina** *spirans Spiritum Sanctum*»: quae propositio est evidenter falsa;

β) Si autem, loco τοῦ *Principii Quod,* in eadem propositione ponatur τὸ *Subsistens in divina natura habensque vim spirativam,* tunc illa propositio habebit hunc sensum: «*Pater et Filius sunt* **unum Subsistens** *in divina natura, atque habens vim spirandi Paraclitum Spiritum.* — Atqui haec propositio, accepta in rigore theologico, est falsa: probabo. — Ergo haec propositio: «*Pater et Filius sunt* **unum** *principium Quod Spirationis Spiritus Sancti*» si accipiatur **proprie** seu *secundum rigorem theologicum,* est falsa. — Probo *ultimam* minorem. Equidem nomen adiectivum nequit *in casu singulari* dici seu affirmari de pluribus Personis *collective* acceptis, nisi forte in sensu improprio. Ita ex. gr. nonnisi improprie loquerer, si dicerem: «*Petrus, Paulus, Antonius et Andreas sunt* **unus studens** *theologiae.* — Iamvero τὸ *Subsistens* est nomen **adiectivum** et *in casu singulari,* dum *Pater* **et** *Filius* sunt duae Personae *collective* acceptae: patet. — Ergo nonnisi improprie dici potest: «*Pater* **et** *Filius sunt* **unum subsistens** *in divina natura, atque* **habens** *vim spirandi Paraclitum.* Q. E. D. (Cfr. hic, o).

Prob. **III.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Nomine *Principii* **Quod** *Spirationis* potest, in sensu minus proprio et benigno, designari τὸ **Spirator.** Unde praeposita propositio, videlicet: «*Pater et Filius sunt* **unum Principium Quod** *Spirationis Spiritus Sancti*» potest benigne exponi hoc modo: *Pater* **et** *Filius sunt* **unus Spirator** *Spiritus Sancti.* — Atqui haec propositio est in rigore theologico vera. Etenim *Spirator* est nomen *substantivum* casus *nominativi* et

singularis, designans formam quae est virtus spirativa. Quia ergo in Deo Patre et in Deo Filio **una eademque** *numero* est *virtus spirativa;* propterea, sicut ex eo quod *Deitas* una eademque **numero** est in Patre, Filio et Spiritu Sancto, propositio haec: «*Pater, Filius et Spiritus Sanctus* **sunt unus** *Deus*» est propositio vera; ita ex eo quod una eademque **numero** virtus spirativa est in Deo Patre et in Deo Filio, verissime dicitur: «Pater et Filius in divinis sunt **unus Spirator** Spiritus Sancti». — Consequenter propositio: «Deus Pater et Deus Filius sunt **unum principium Quod Spirationis** (seu sunt **unus Spirator**) Spiritus Sancti» potest concedi tamquam vera (Cfr. hic, o et ad 7.^{m}).

540. **Corollarium I.**^{m} Ergo propositio haec: «Pater et Filius sunt **unum principium** Spiritus Sancti» est *propria* seu habet veritatem in sua propria et nativa significatione.

N. B. Propositio est contra Durandum (I. *Sent.* Dist. I, q. 1; et Dist. XXIX, q. 2), Gregorium Ariminensem (I. *Sent.* Dist. XII, q. 1), Altissiodorensem (*Summa,* cap. 30) et Petrum Alliacensem (I. *Sent.* Dist. XII, q. 8).

Prob. *Ratione theologica.* **Nomen** substantivum significat rem tamquam formam *per se* stantem; et rursum tale nomen accipit propriam *unitatem numericam,* secundum quod **res** significata per tale nomen habet suam *unitatem numericam.* — Atqui τὸ *principium* est **nomen** substantivum, et in nostro casu significat virtutem spirativam Spiritus Sancti: et rursum haec virtus est *eadem* **una numero,** tam in Deo Patre, quam in Deo Filio. — Ergo haec propositio: «*Pater et Filius sunt* **unum principium** *Spiritus Sancti*» est in rigore theologico propositio vera (Cfr. Zummel, heic, Disp. I).

Confirmatur. Sacra Concilia, quum dogmatice Fidei quaestiones resolvunt, non utuntur sermone improprio, secus augerentur aequivocationes atque ita controversiae nullus esset finis. Constat. — Atqui in Conciliis Lugdunensi et Florentino, post varias discussiones, sancitum fuit dogmatice (Cfr. n. 537, 2.° *B*) quod Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio tamquam ab *uno principio* et ab *una Spiratione.* — Ergo propositio ista: «*Pater et Filius sunt* **unum principium** *Spiritus Sancti*» est vera et propria.

541. **Obiic. 2.°** *Concilium Lugdunense II, in laudato Fidei simbolo, non dicit* **absolute** *Spiritum Sanctum procedere ab* **uno principio** *Spirationis exsistente in Deo Patre et in Deo Filio, sed ait*

procedere a Patre et Filio **tamquam** *ab* **uno principio.** — *Modo particula* **tamquam** *videtur importare quamdam diminutionem proprietatis in dictione. — Ergo praedicta propositio est impropria.* — Ita Durandus, Ariminensis et sequaces contra thomistas.

R. Concedo *mai.* Nego *min.* et consequens. Et dico vocem **tamquam** significare quandoque *proprietatis diminutionem* in humano sermone, quandoque vero habere vim *particulae reduplicativae.* Revera quando dico : «*Ioannes,* **tamquam** *vir religiosus, nemini nocet*» particula «**tamquam**» non habet vim *diminutivam,* sed potius causam reddit convenientiae praedicati «**nemini nocens**» cum subiecto eiusdem propositionis «**Ioannes**». Item, quando de Christo legimus : « Vidimus gloriam Eius, gloriam **quasi** Unigeniti a Patre» (Ioan. I, 14), τὸ **quasi** non aufert nec debilitat utcumque rationem **Unigenituraе** in Christo, sed **causam** huiusce *gloriae* declarat: patet. — Quia ergo propositio: «*Pater et Filius sunt* **unum principium** *Spiritus Sancti*» habet veritatem, si τὸ **unum principium** accipitur secundum rigorem theologicum, propterea particula «**tamquam**» quae ponitur in definitionibus Conciliorum Lugdunensis et Florentini, habet vim *explicativam* non autem *diminutivam.*

542. **Corollarium II.**m Pari modo ostenditur **rigorose** *veras* esse huiusmodi propositiones, videlicet : «*Pater et Filius sunt* **duo spirantes** *Spiritum Sanctum*» ; et «*Pater et Filius sunt* **unus Spirator** *Spiritus Sancti*».

Nota. Est theologice certa.

Prob. **I.**a **pars** propositionis. *Ratione theologica.* Nomen *adiectivum* desumit pluralitatem numericam a pluralitate numerica suppositorum, de quibus veraciter praedicatur seu quibus inest : patet. — Atqui τὸ *Spirans* est nomen adiectivum, quod veraciter praedicatur de Deo Patre ac de Dei Filio ; qui sunt duae divinae Personae. — Ergo in rigore theologico haec propositio : «*Pater et Filius sunt* **duo Spirantes** *Spiritum Sanctum*» est vera : dum, e contra, haec : «*Pater et Filius sunt* **unus Spirans** *Spiritum Sanctum*» est propositio falsa (Hic ad 7.m).

Prob. **II.**a **pars** propositionis. *Ratione theologica.* Equidem nomen *substantivum* accipit pluralitatem numericam a pluralitate numerica formae designatae per tale nomen. — Atqui τὸ *Spirator* est nomen substantivum, significans ipsam virtutem spirativam : quae quidem **una eademque numero** est in Deo Patre et in Deo Filio. —

Ergo haec propositio: «*Pater et Filius sunt* **unus Spirator** *Spiritus Sancti*» est rigorose vera: dum haec altera: «*Pater et Filius sunt* **duo Spiratores** *Spiritus Paracliti*» est rigorose falsa (Ibid).

543. **Corollarium III.**m Haec propositio: «*Pater et Filius sunt* **unum principians** *Spiritum Sanctum*» videtur falsa.

Prob. *Ratione theologica.* Etenim τὸ *unum,* utpote generis *neutralis,* significat *essentiam divinam* (Cfr. Q. XXXI, art. 2 ad 4.m). Item τὸ *principians,* in praecitata propositione, non potest significare nisi *spirans.* Unde illa propositio habet hunc sensum: «*Pater et Filius sunt* **una divina essentia spirans** *Spiritum Sanctum*»: ubi clare apparet *operationem spirativam* attribui non Personae divinae sed naturae divinae. — Iamvero, quemadmodum in Conc. Lateran. IV, Cap. *Damnamus* (*Enchir.* n. 432) docetur quod *Essentia divina non est Generans, neque Genita, nec procedens,* ita veraciter dici non potest, quod *Pater et Filius sunt* **una Dei essentia spirans** *Spiritum Sanctum.* — Sic igitur propositio: «*Pater et Filius sunt* **unum principians** *Spiritum Sanctum*» videtur falsa (Hic ad 7.m — Cfr. I. *Sent.* Dist. XI, art. 4, o). — Post praedicta oritur

544. Q. II. *Utrum Spiritus Sanctus requirat* **per se ac necessario** *duas divinas Personas a quibus* **immediate** *procedat.*

R. Lis est inter theologos. *A*) Scotus (I. *Sent.* Dist. XII, Q. I) cum propriis asseclis, quos sequitur P. Vasquez (Hic Disp. CL, capp. 2-3), quamvis teneant Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere, docent tamen non requiri *necessario* duas divinas Personas ad spirandum Spiritum Sanctum; sed hic, sicut procedit a *duabus* Personis, ita posset etiam spirari ab **unica** Persona divina (Cfr. Rada in cit. loc. *Sent.*, Controv. XVI, art. 1, concll. 1-3).

B) S. Thomas e contra (Cfr. hic ad 1.m; Q. X. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2 ad 15.m; et I. *Sent.* Dist. XI, Q. I, artt. 2, et 4 ad 2.m) cum omnibus thomistis, quibus adiungitur Suárez (Lib. X. *De Trinit.* cap. 6, nn. 6-7) et alii theologi S. I. docet oppositum. — His adhaerendo sit

b) **Conclusio III.** *Spiritus Sancti processio* **ex necessitate** *requirit ut sit, sive emanet, a duabus divinis Personis, Patre scilicet ac Filio.*

Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° Spiritus Sanctus, non quidem *per accidens* sed *per se* et ex vi suae proprietatis personalis, distinguitur realiter a Deo Patre et a Deo Filio. — Atqui in divinis distin-

ctio **realis** postulat necessario *oppositionem relativam* inter terminos **realiter** distinctos, sicut pluries notavimus: item oppositio relativa expostulat necessario **originem** unius divinae Personae ab alia divina Persona. — Ergo, de primo ad ultimum, Spiritus Sanctus ex vi suae proprietatis personalis (secundum quam Ipse personaliter distinguitur a Deo Patre et a Deo Filio) expostulat *per se* ac *necessario* ut procedat **realiter** a Deo Patre et a Deo Filio (Cfr. S. Thom. loc. cit.).

2.° Inter omnes amoris species *amor Amicitiae* est omnium aliorum nobilissimus. — Spiritus Sanctus procedit per modum *Amoris perfectissimi;* quoniam est essentialiter Deus. — Ergo Spiritus Sanctus, ex vi suae processionis, petit procedere tamquam *amor Amicitiae divinae.* — Iamvero *amor Amicitiae* est amor *mutuus:* unde requirit necessario quod procedat *a duabus personis* **mutuo** *se amantibus.* — Ergo Spiritus Sanctus, ex vi suae personalis proprietatis secundum quam est *amor Amicitiae divinae,* petit necessario quod procedat *a duabus divinis Personis;* quae non possunt esse nisi Deus Pater et Deus Filius tamquam mutuo se amantes (Cfr. S. Thom. loc. cit.).

545. **Obiic. 3.°** *Virtus Spirativa exsistit tota et adaequate tam in* **solo** *Deo Patre quam in Deo Patre ac Deo Filio. Ergo Spiritus Sanctus posset procedere a* **solo** *Deo Patre.* — *Consequenter Spiritus Sanctus ad sui emanationem non requirit* **necessario** *processionem a duabus divinis Personis.*

R. Dist. ant. *Virtus spirativa exsistit tota et adaequate,* quantum ad perfectionem **absolutam** quam importat etc.: *Concedo;* quantum ad perfectionem **notionalem** etc.: *Nego.* — Nego utrumque consequens, et dico virtutem spirativam amoris mutui exquirere necessario hanc conditionem, ut scilicet exsistat in utroque termino invicem se amante. Est autem Spiritus Sanctus amor mutuus Dei Patris ac Dei Filii. Et ideo virtus spirativa Spiritus Sancti **exigit necessario** ut exsistat simul in Deo Patre ac in Dei Filio. — Si igitur ista virtus spirativa inveniretur in *alterutra* **tantum** divina Persona, Dei Patris scilicet aut Dei Filii, non possideret omnem perfectionem ei essentialiter debitam: quod est inconveniens. Quum ergo non possit in divinis processionibus immanentibus aliquod inconveniens inveniri, ideo non potest a **solo** Deo Patre aut a **solo** Deo Filio procedere Spiritus Sanctus tamquam **amor mutuus** Dei Patris ac Dei Filii:

sed huiusmodi amor **postulat necessario** ut sit a Deo Patre et a Deo Filio *simultanee.*

546. **Instant.** *Si Pater aeternus non haberet Filium, posset adhuc spirare Spiritum Sanctum. — Ergo hic non postulat* **necessario** *ut a Deo Patre et a Deo Filio procedat.*

R. Dist. antec. *Si Pater... posset... Spiritum Sanctum* qui esset eiusdem rationis seu indolis cum Spiritu Sancto qui nunc a Patre et Filio procedit: *Nego;* qui esset diversae rationis seu indolis etc.: *Concedo.* — Dist. conseq. Ergo Spiritus Sanctus, *qualis nunc est,* non postulat necessario etc.: *Nego;* aliter: *Concedo.* — Dico igitur, quod si Spiritus Sanctus procederet a **solo** Deo Patre, careret *oppositione et distinctione reali* ad Dei Filium: consequenter **non esset eiusdem rationis** cum Spiritu Sancto qui *nunc* a Deo Patre et a Deo Filio procedit. Quia igitur Spiritus Sanctus, si a **solo** Deo Patre procederet, non esset **eiusdem rationis** cum Spiritu Sancto qui **nunc** habetur, propterea manet semper verum quod noster Spiritus Sanctus postulet **necessario** ut a duabus divinis Personis Deo Patre scilicet ac Deo Filio, realiter invicem distinctis, procedat.

547. **Petes.** *Ex quarum rerum Amore procedit in Deo Spiritus Sanctus?*

R. 1.° *Procedit* **primario** *ac* **necessario** *ex Amore essentiae divinae, Personarum divinarum, et omnium Dei proprietatum tum absolutarum tum relativarum.*

Prob. *Ratione theologica.* Equidem Spiritus Sanctus procedit tamquam amor *necesarius et infinitus* Dei Patris ac Dei Filii. — Sed amor *necessarius et infinitus* Dei Patris ac Dei Filii est amor diligens **primario et necessario** omnia quae sunt formaliter in Deo Patre ac Dei Filio: patet. — Ergo Spiritus Sanctus procedit **primario** *ac* **necessario** ex Amore essentiae divinae, divinarum Personarum, et omnium Dei attributorum seu proprietatum tam absolutarum quam relativarum.

R. 2.° *Spiritus Sanctus* α) *non procedit ex amore, quo Deus creaturas diligit,* β) *nisi* **secundario** *et* **concomitanter.**

Prob. **I.ª pars.** *Ratione theologica.* Equidem Spiritus Sanctus procedit ex amore Dei *necessario.* — Atqui amor Dei, quo creaturas diligit, non est *necessarius* sed *liber.* — Ergo Spiritus Sanctus non procedit ex amore, quo Deus creaturas diligit.

Prob. **II.ª pars.** *Ratione theologica.* Deus *unicum* habet actum

amoris, quo amat quaecumque amat. — Ergo eodem *unico* actu, quo spirat Spiritum Sanctum, amat **non** quidem **primario sed secundario** et **concomitanter** etiam creaturas (Cfr. n. 452).

A) « Unde, quando S. Thomas hic ad 2.m et 3.m ait : Sicut Pa« ter dicit se et omnem creaturam *Verbo* quod *genuit,* ita diligit se « et omnem creaturam *Spiritu Sancto,* solum intendit, quod sicut « cognitio productiva Verbi concomitanter se extendit ad creaturas « exsistentes et futuras, ita Amor quo Spiritus Sanctus producitur, « concomitanter ad illas terminatur. — Quod etiam significare voluit « S. Bernardus, cum in tractatu *De Vita Solitaria* docuit, quod in « osculo Patris et Filii, ex quo Spiritus Sanctus procedit, **mediam** se « quodammodo invenit *Anima Sancta.* Per hoc enim *solum* intendit, « quod eodem amore et osculo quo Pater et Filius Spiritum Sanctum « producunt, electos suos *secundario* vel *concomitanter* diligunt, et « veluti osculantur ». Hactenus Gonet, Disp. X,. *De Trinitate,* art. 3, n. 98.

QUAESTIO XXXVII

DE NOMINE SPIRITUS SANCTI QUOD EST AMOR

548. **Prologus.** Iuxta promissa in prologo Q. praec., edisserendum nunc est de nomine *Amoris,* quo solet nonnumquam appellari Spiritus Sanctus.

549. Duos autem haec quaestio articulos habet; quorum

I.us exponit *Qualiter Spiritui Sancto conveniat nomen Amoris ;*

II.us autem explicat propositionem quam habet S. Augustinus in Lib. VI. *De Trinit.,* cap. 5, ubi explicat modum secundum quem Spiritus Sanctus sub nomine *Amoris* se habet ad Patrem et Filium.

Art. I. Utrum «Amor» sit proprium nomen Spiritus Sancti.

550. Circa titulum articuli animadverte in praesenti tractatu *De S.ma Trinitate* nomen «*proprium*» denotare nomen **stricte** proprium, seu *conveniens* **uni** tantum divinae **Personae.** Quod sane nomen est illud, quod sive *per se,* sive *concomitanter,* connotat vel exprimit originem unius divinae Personae ab alia (Cfr. nn. 393, et 394, *A*).

551. Sunt vero in corpore articuli varia quaesita: pro quorum solutione admoneo nomen «*Amoris*» in divinis sumi tripliciter, videlicet *essentialiter, notionaliter* ac *personaliter.*

α) Amor, *essentialiter* dictus, significat actum voluntatis divinae quo Deus rem aliquam diligit, eique vult bonum (Hic, o, et ad 1.m et ad 4.m).

β) Amor, *notionaliter* sumptus, significat actum divinae voluntatis secundum quod ab ipso procedit Spiritus Sanctus (Hic, o et ad 4.m).

γ) Amor, *personaliter* acceptus, est terminus actus divinae voluntatis quique terminus immanens est in Deo, sive est ipse Amor procedens a voluntate divina. «Sicut enim ex hoc quod aliquis rem «aliquam intelligit, provenit quaedam intellectualis conceptio rei in- «tellectae in intelligente, quae dicitur *Verbum;* ita ex hoc quod ali- «quis rem aliquam amat, provenit quaedam impressio (ut ita loquar) «rei amatae in affectum amantis, secundum quam (*impressionem* **bo- «num**) dicitur esse in amante, sicut et (*obiectum*) intellectum (*manet*) «in intelligente. Ita quod, cum aliquis seipsum intelligit et amat, est «in seipso non solum per *identitatem rei,* sed etiam ut *intellectum* «in intelligente et *amatum* in amante» (Hic, o. — Cfr. ad 2.m et 3.m).

552. **Scholium I.m** Sedulo animadverte hos tres Amores *non distingui* **realiter** inter se quasi tres res, sed esse tres *formalitates* distinctas, secundum quas actus divinae voluntatis potest a nobis considerari (Cfr. Caiet. *Com.* in h. a.).

α) Nec mirandum si per eamdem vocem «*Amoris*» significentur tres *distinctae* formalitates unius eiusdemque actus divinae voluntatis. Hoc enim provenit ex paupertina quam de divinis rebus cognitione habemus, et ex vocabulorum quam patimur inopia circa processionem Amoris a nostra voluntate: res tamen aliter se habet in Deo. «Ad cuius evidentiam sciendum est, quod cum in divinis, ut «supra (Q. XXVII, artt. 2, 3, 4 et 5) ostensum est, sint duae pro- «cessiones, *una* per modum intellectus quae est processio *Verbi,* «alia per modum voluntatis quae est processio *Amoris,* quia (*ta- «men*) prima est nobis magis nota (*quam altera, ideo*) ad singula «significanda quae in ea considerari possunt, sunt magis propia no- «mina adinventa; non autem (*hoc accidit*) in processione voluntatis. «Unde et quibusdam circumlocutionibus utimur ad significandam

« Personam procedentem (*per processionem voluntatis*); et relationes « etiam quae accipiuntur secundum hanc processionem, et *processio-* « *nis* et *spirationis* nominibus nominantur, ut supra Q. XXVII art. 4 « ad 3.m dictum est: quae tamen sunt magis nomina *originis* quam « *relationis* secundum proprietatem vocabuli » (Hic, o).

553. His praesuppositis, sciendum est Durandum (I. *Sent.* Dist. XXXII, q. 1) negasse nomen « *Amoris* » in Deo dici unquam *proprie personaliter*. Hanc eamdem sententiam sequutus est postmodum Aureolus, cuius argumenta refert et solvit Capreolus Lib. et Dist. cit. Q. I, art. 1 (Cfr. Zumell, *Com.* in h. a.). — Hos contra sit

Conclusio I. *Sententia Durandi est reiicienda.*

Prob. *Ex Ss. Patribus.* Isti namque saepe sub nomine *Amoris* designant Personam Spiritus Sancti. Ergo sententia Durandi aliter dicentis est reiicienda. Prob. antecedens. Revera

A) S. Gregorius Magnus (Hom. XXX *De Pentec.*) dicit expresse quod « ipse Spiritus Sanctus **Amor** est ».

B) S. Agustinus in Lib. XV *De Trinit.*, cap. 19 dicit: « Si Cha- « ritas (*i. e. Amor*) qua Pater diligit Filium, et Patrem diligit Filius, « ineffabiliter communionem demonstrat amborum, quid convenientius « quam ut Ille dicatur *proprie* Charitas, qui Spiritus communis est « amborum? ». — Et rursum in eodem Lib. cap. 17 idem Augustinus exponens verba S. Ioannis Evang. Epist. I, cap. IV, vv. 7, 8 et 16 ostendit: « quod in Trinitate Charitas aliquando refertur ad *substan-* « *tiam,* quae communis est trium Personarum et tota est in singulis « (*earum*), aliquando *specialiter* ad Personam Spiritus Sancti; sicut « Sapientia Dei aliquando pro *substantia divina,* aliquando pro Filio « *proprie* accipitur. Et hoc in multis fieri reperitur ». Haec sunt verba Petri Lombardi in I. *Sent.* Dist. X, § *Ioannes.*

C) S. Hieronymus super Psal. XVII ait: « Spiritus Sanctus nec « *Pater* est nec *Filius,* sed *Dilectio* quam habet Pater in Filium et « Filius in Patrem » (Cfr. Mgr. Sentent. loc. cit.).

554. Praecedente veritate constituta, sequitur

Conclusio II. *In divinis* **Amor** α), *acceptus* **essentialiter,** *convenit tribus divinis Personis;* β) *acceptus* **notionaliter,** *convenit Patri* **simul** *et Filio;* γ) *acceptus demum* **personaliter,** *est nomen* **stricte proprium** *Spiritus Sancti.*

Nota. Est sententia communior inter theologos.

Prob. **I.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Quidquid in divi-

nis non connotat relationem aliquam realem neque originem, est realitas *absoluta,* proinde communis tribus divinis Personis. — Iamvero Amor Dei, *essentialiter* dictus, videlicet actus quo Deus amat rem eique vult bonum (Cfr. n. 551), non importat relationem aliquam **realem,** utputa *Paternitatem* vel *Filiationem* aut *Processionem;* quia quaelibet divina Persona tali actu amat et est amata. — Ergo Amor Dei, *essentialiter* dictus, est aliquid *commune* tribus divinis Personis (I. *Sent.* Dist. X, Q. I, ad 4.m).

Prob. **II.a pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Amor Dei, acceptus *notionaliter,* significat actum divinae voluntatis, prouti ab eo procedit **aliquid** *intra* ipsum Deum (Cfr. n. 551); unde exprimit actum divinae voluntatis sub hac formalitate realis relationis: «*a quo* est **alius**». — Atqui actus divinae voluntatis sub formalitate «*a quo* est **alius**», est *Spiratio Activa;* quae est **communis** Deo Patri ac Deo Filio. — Ergo Amor Dei, *notionaliter* acceptus, nonnisi duabus Personis S.mae Trinitatis, videlicet Deo Patri ac Dei Filio, est *communis* (Ibid.).

Prob. **III.a pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Amor Dei, *personaliter* acceptus, est ipse *Amor* uti procedens a voluntate Dei (Cfr. n. 551); consequenter est terminus *promanatus* seu productus ab actu divinae voluntatis. — Huiusmodi autem terminus est **sola** Persona Spiritus Sancti; sicut ex Q. XXVII, art. 3 constat. — Ergo Amor Dei, *personaliter* acceptus, est nomen *stricte proprium* Spiritus Sancti (Hic, o; et loc. cit.).

555. Q. I. *Utrum Spiritus Sanctus sit* **Amor** *Patris in Filium, et* **vicissim** *Filii in Patrem?*

Pro quaesiti resolutione distinctione opus est. Etenim Spiritus Sanctus potest considerari *dupliciter,* videlicet:

1.° *in semetipso,* secundum suam *proprietatem Personalem.* — Et hoc modo Spiritus Sanctus dicit aliquid **in semetipso** *subsistens,* non autem exprimit formaliter *tendentiam in aliud.* — Atqui, quando dicitur *Amor Patris in Filium* vel *Amor Filii in Patrem,* exprimitur quaedam *tendentia* **unius** *divinae Personae in* **alteram** *divinam Personam:* patet. — Ergo Spiritus Sanctus, *in semetipso* consideratus, nequit dici *Amor Patris in Filium,* aut *Amor Filii in Patrem* (Hic ad 2.m — Cfr. I., *Sent.,* Dist. cit. art. 2).

2.° Spiritus Sanctus potest considerari quantum ad *modum secundum quem procedit a Patre et Filio:* et sub hac consideratione

Ipse est *Amor Patris in Filium* atque vicissim *Filii in Patrem.* — Revera omnis amor procedit ab *amante* in obiectum *amatum* et **vicissim** ab obiecto *amato* in *amantem.* — Spiritus Sanctus autem procedit per modum amoris divini (Cfr. n. praec.). — Ergo quia in divinis *Pater* amat *Filium,* et **vicissim** *Filius* amat *Patrem,* potest dici, quod **mutuus** iste amor *Patris* in *Filium,* atque *Filii* in *Patrem,* sit Spiritus Sanctus (Cfr. loc. cit.).

556. **Corollarium I.** « Cum ergo dicitur quod *Spiritus Sanctus* « est *Amor Patris in Filium* vel in quidquam aliud (Cfr. art. seq., « o), non significatur aliquid *transiens* in aliud, sed solum habitudo « amoris ad rem amatam: sicut et in *Verbo* importatur habitudo *Ver-* « *bi* ad *rem* Verbo expressam» (Hic ad 2.m — Cfr. Q. XXXIV art. 3).

557. Q. II. *An Spiritus Sanctus sit* **unio** *vel* **nexus** *Patris et Filii?*

Animadverte, quod causa difficultatis oritur ex eo quod *nexus* vel *unio* habet quasi rationem **medii** inter ea quae *conectuntur* sive *uniuntur.* — At Spiritus Sanctus non est **media** sed **tertia** Persona S.mae Trinitatis. — Ergo videtur quod dici nequeat **nexus** neque **unio.**

In contrarium est auctoritas pseudo Dionysii et S. Bernardi superius (n. 484, *D* et *E*) posita.

Pro resolutione huius dubii eadem distinctione, ut antea, utendum est, videlicet:

α) **Dico 1.°** *Si Spiritus Sanctus consideretur* **in semetipso,** *non potest dici* **nexus** *neque* **unio** *Dei Patris ac Dei Filii.*

Prob. *Ratione theologica.* Illud quod habet *esse in se subsistens,* et *oppositionem realem* ad alia duo, non potest esse **nexus** vel **unio** eorum: quoniam **ex vi realis oppositionis** non potest **uniri** et **connecti** cum duobus aliis.

Atqui Spiritus Sanctus, consideratus in semetipso, habet *esse in se subsistens,* item habet *oppositionem realem* ad Deum Patrem et ad Deum Filium. Constat.

Ergo si Spiritus Sanctus consideretur in semetipso, non potest veraciter dici **nexus** neque **unio** Dei Patris ac Dei Filii (I. *Sent.* Dist. X, art. 3, arg.m 1.m — Cfr. hic ad 3.m item Opusc. I, cap. 10).

β) **Dico 2.°** *Si Spiritus Sanctus consideretur* **ex parte modi procedendi,** *secundum quem* **de facto** *a Patre Filioque procedit,* **potest dici unio** *aut* **nexus** *Patris et Filii.*

Prob. *Ratione theologica.* Sane « *Amor* semper ponit complacen- « tiam amantis in amato. Quando autem aliquis placet sibi *in* aliquo, « *trahit* se in illud, et *coniungit* se illi quantum potest ; ita ut illud « efficiatur *suum.* Et inde est, quod *Amor* habet rationem uniendi « amantem et amatum. — Et quia Spiritus Sanctus procedit ut *Amor,* « ex modo procedendi habet ut sit **unio** Patris et Filii » (I. *Sent.* Dist. X, art. 3, o).

« Secundum igitur originem (*consideratus*) Spiritus Sanctus, non « est *medius* sed *tertia* in Trinitate Persona. Secundum vero prae- « dictam habitudinem (*videlicet mutui amoris Patris et Filii*), est **me- « dius nexus** duorum (*idest Dei Patris ac Dei Filii, utpote*) ab utro- « que procedens » (Hic ad 3.m).

558. **Corollarium II.** « Possunt (*igitur*) Pater et Filius conside- « rari, vel inquantum *conveniunt* in essentia et sic uniuntur in *essen- « tia ;* vel inquantum *distinguuntur* in Personis et sic uniuntur per « *consonantiam Amoris :* quia et si per impossibile poneretur quod « (*Pater et Filius*) non essent *unum per essentiam,* ad perfectam iu- « cunditatem oporteret in eis intelligi *unionem Amoris* » (I. *Sent.* loc. cit.).

559. **Scholium II.m** « Sicut Filio (*Dei*), licet intelligat, non ta- « men Sibi competit producere *Verbum,* quia intelligere convenit Ei « (*non notionaliter* — Cfr. n. 68 — *sed essentialiter*) ut *Verbo proce- « denti :* ita, licet Spiritus Sanctus amet, *essentialiter* accipiendo « (*amorem* — Cfr. n. cit.), non tamen convenit Ei quod spiret amo- « rem, quod est *diligere notionaliter* sumptum, quia sic diligit essen- « tialiter ut *Amor procedens,* non ut *a quo* procedit *Amor* » (Hic ad 4.m).

Art. II. Utrum Pater et Filius diligant se mutuo Spiritu Sancto.

560. « Hic oritur quaestio ex praedictis deducta. Dictum est « enim (*Cfr. art. praec.*), atque Sanctorum auctoritatibus (*Cfr. nn. « 553 et 557*) ostensum, quod Spiritus Sanctus est *communio* Patris « et Filii (*Cfr. n. 555*) et *amor quo* Pater et Filius se invicem dili- « gunt. Ideo quaeritur

« Utrum Pater vel Filius per Spiritum Sanctum diligat.

« Quod utique videtur oportere dici secundum auctoritates supra

« positas, quibus ostenditur Spiritum Sanctum esse *quo* Genitus a « Gignente diligatur, Genitoremque suum diligat » (Cfr. S. Augustinus Lib. VI *De Trinit.* cap. 5).

« Sed e contra: Si Pater vel Filius dicatur **diligere** *per* Spiritum « Sanctum, videtur **esse** per Spiritum Sanctum, quia non est aliud « Deo **esse** et aliud **diligere,** sed idem ». Hactenus Petrus Lombardus I. *Sent.* Dist. XXXII, § I.

Hanc quaestionem, quum altitudinem nimiae profunditatis contineat, insolutam ibidem, §§ II et ult., reliquit Magister: eamdem vero hic resolvit Angelicus. — En scopus praesentis articuli.

561. Sciendum est igitur, quod circa has locutiones: « *Pater* diligit *Filium Spiritu Sancto* », et vicissim: « *Filius* diligit *Patrem Spiritu Sancto* », fuerunt plurimae opiniones Doctorum Scholae.

A) « Quidam dixerunt hanc (*propositionem*) esse falsam: « *Pater* « *et Filius* diligunt *se Spiritu Sancto* ». Et dicunt hanc (*propositionem*) « esse retractatam ab Augustino (*qui eam protulit* Lib. VI *De Trinit.* « cap. 5) in suo simili cum scilicet (*in Lib. I.* Retractat. *cap. 26*) re« tractavit istam: *Pater est* sapiens *Sapientia Genita* » (Hic, o). — Sed

a) « Hoc non videtur conveniens.

Prob. 1.° « quia Augustinus ea quae retractare voluit, speciali« ter expressit » (I. *Sent.,* Dist. XXXII, Q. I, art. 1, o). At S. Doctor nullibi expressit se retractare quod dixerat: *Pater et Filius* se diligunt *Spiritu Sancto.* Et ideo vana est horum theologorum expositio.

2.° « Et praeterea ipse (*Augustinus*) non retractavit dicta alio« rum (*doctorum*) sed tantum sua. Unde cum ipse et omnes alii (*Cfr.* « *n. 553*) communiter talibus locutionibus utantur, praesumptuosum « videtur eas (*tamquam falsas*) negare » (I. *Sent.* Dist. XXXII Q. I, art. 1, o).

B) Priore opinione remota, « alii dicunt eas (*propositiones*) ve« ras esse sed *improprias,* et sic exponendas: *Pater et Filius* dili« gunt *se Spiritu Sancto,* idest, *Amore essentiali,* qui Spiritui Sancto « *appropriatur* » (I. *Sent.* loc. cit.). — Sed

b) « Hoc etiam non videtur conveniens.

Prob. « Quia (*si dici posset:* Pater et Filius *diligunt* se Spiritu Sancto, *idest,* Amore essentiali, *qui Spiritui Sancto* **appropriatur**), sic etiam (*cum omni veritate*) Pater diceretur **sapiens** *Filio,* idest, sapientia essentiali, quae Filio appropriatur, et diceretur **bonus** Spiritu Sancto propter eamdem rationem » (I. Sent. loc. cit.). — Atqui,

sicut infra dicetur, propositiones istae : *Pater est* Sapiens *Sapientia Genita,* vel *est* Bonus *Spiritu Sancto,* non sunt verae. — Ergo nec vera dicenda est : *Pater et Filius* diligunt *se Spiritu Sancto,* idest, Amore essentiali, qui Spiritui Sancto appropriatur.

C) « Ideo alii (*Doctores*) dixerunt, quod (*praedicta propositio*) « est vera et propria : et horum multiplex est opinio.

« Quidam enim dicunt, quod ablativus (*qui invenitur in illa propo-* « *sitione*) resolvendus est in praepositionem (*PER*) ut sit sensus : « *Pater* diligit *Filium Spiritu Sancto,* idest, **per** *Spiritum Sanctum.* « Et tunc ly *per* denotat *subauctoritatem* in Spiritu Sancto, et *aucto-* « *ritatem* in Patre et Filio, sicut cum dicitur quod Pater operatur « **per** Filium. — Sed

c) « Hoc non videtur conveniens.

Prob. « Quia per praepositionem «*PER*» designatur habitudo « *causae* in *causali* cui adiungitur, quamvis non respectu operantis, « sed respectu operati. (*Ut enim vidimus Q. praec. art. 3, quando dicimus :* Pater **per** Filium creaturas producit, *designatur in Filio* quaedam causalitas *non relate ad* Patrem *sed respectu* creaturarum, « *quas producit*). Filius enim habet *causalitatem* in creatura, quam- « vis non sit *principium* operationis in Patre. — Sed cum dicitur : « *Pater diligit Filium* per *Spiritum Sanctum,* non denotatur aliquis « *effectus* in creatura, nec aliquid cuius *principium* Spiritus Sanctus « sit. — Et ideo (*quamvis verum sit :* Pater *per* Filium operatur ali- « quid, *tamen*) non est similis ratio dicendi » (I. *Sent*, loc. cit.): *Pa-* *ter* PER *Spiritum Sanctum diligit Filium.*

D) « Et ideo quidam (*alii*) dicunt quod *ablativus* construitur in « habitudine *signi* et **quasi effectus ;** quia, sicut Generatio quodam- « modo terminatur ad Filium, ita Spiratio, quae designatur in Dile- « ctione, terminatur ad Spiritum Sanctum. Unde exponunt sic: *Pater* « *et Filius diligunt* se *Spiritu Sancto,* idest, *Spiritus Sanctus est* si- « gnum *quod Pater et Filius diligunt* se. — Sed

d) « Hoc non videtur conveniens.

Prob. 1.° « Quia etiam amor creatus (*ex. gr.* actus *quo Mater* « *diligit suum Filium, vel* actus *quo B.ª M.ª Virgo diligit Deum, etc.*) « est **signum** dilectionis, qua Pater et Filius diligunt se. — Et ita « per viam istam diceretur, quod *Pater et Filius diligant* se *amore* « *creato :* quod falsum est.

2.° « Praeterea Spiritus Sanctus est amor Patris. Et amore *for-*

« *maliter* aliquid diligitur. Et ita Spiritu Sancto, (*non solum per mo-*
« *dum* signi, *sed*) etiam formaliter loquendo, Pater diligit » (I. *Sent.* loc. cit.). Et ideo illa propositio non explicatur *sufficienter* dicendo : *Spiritus Sanctus est* signum *dilectionis mutuae Patris et Filii.*

E) « Et ideo alii dixerunt quod *ablativus* ille construitur in habi-
« tudine *formae,* quia *Pater et Filius* formaliter **Amore** diligunt, qui
« est *Spiritus Sanctus.* — Sed

e) « Hoc etiam *ex toto* non videtur sufficiens.

Prob. 1.° « Quia Forma non denominat aliquid, nisi inhaereat
« (*seu informet illud*). Et ita, cum Spiritus Sanctus non se habeat ad
« Patrem ut inhaerens, sed ut *per se subsistens,* non potest esse,
« quod sit sicut *forma* eliciens actum dilectionis.

2.° « Et praeterea Forma habet rationem *principii* respectu eius
« cuius est Forma : quaecumque Forma sit, vel quantum ad esse
« *substantiale,* vel (*quantum ad esse*) *accidentale,* et (*quantum ad*)
« operationem consequentem. (*Revera* Forma *et* Subiectum *seu* Ma-
teria *sunt* duo principia *ex quibus coagmentatur* Compositum ; *et si-*
militer Operatio *habet* tamquam sui principia *potentiam operandi et*
« *habitum vel qualitatem operativam*). Et ita (*secundum horum expo-*
« *sitionem tenendum esset quod*) Spiritus Sanctus esset principium
« alicuius in Patre : quod falsum est » (I. *Sent.,* loc. cit.).

F) « Et ideo alii dixerunt, quorum videtur esse auctor Hugo (*vel*
potius Richardus, *sicut opinatur noster P. Nicholai in annotationibus*
« *marginalibus huius loci*) de S. Victore, ubi supra (*i. e.* Lib. VII.
« *De Eruditionibus Didaschalicis* cap. 25), quod (*ille ablativus*) con-
« struitur in habitudine **quasi** effectus formalis, ut dicatur effectus
« *largo modo* omne id quod a principio est ; quia *proprie* in divinis
« non est efficiens et effectum, et *formale* dicitur quod habet actum
« *formae* in denominando. Et est sensus (*illius propositionis*) : a Pa-
« tre et Filio procedit Amor, qui est Spiritus Sanctus, quo diligit se.

f) « Unde haec opinio simul concludit duas ultimas praedictarum
« (*opinionum*) : unde perfectius continet veritatem, et sibi consen-
« tiendum videtur » (I. *Sent.,* loc. cit.).

562. Ad cuius veritatis ostensionem nota :

1.° Omne quod denominat aliquid, habet rationem seu habitudi-
nem *formae :* etenim res quaelibet denominatur a sua forma, sicut
album ab *albedine, homo* ab *humanitate, Doctor* a *doctrina* in eo
exsistente, etc. — At

2.° principium denominans aliquid subiectum,

α) quandoque est **vere** *forma* eius, sicut patet in exemplis superinductis;

β) quandoque vero se habet **ad modum** *formae:* ita cum dicimus hominem **vestitum** proprio *vestimento,* vestimentum non est *forma* hominis vestiti, sed se habet **ad modum** *formae* relate ad hominem quem denominat.

3.° Hoc autem principium, *denominans* subiectum, et quod se habet **ad modum** *formae,*

α) quandoque est *actio* quaedam procedens ab eo subiecto; sicut quando dicimus: *Ignis calefacit* **calefactione,** *Pater generat* **generatione,** etc.;

β) quandoque est *effectus* seu terminus, *productus ab actione* illius subiecti. Ita dicimus: *Ignis* **comburens** *domum,* videlicet denominamus ignem a *combustione domus,* quae tamen combustio domus *non est* forma ignis, sed *effectus* operationis ignis: et similiter dicimus: *Arbor* **floret** *floribus,* quamvis *flores* non sint **forma** Arboris, sed quidam **effectus** eius.

4.° Memento ex art. praec., quod τὸ *diligere* potest accipi

α) primo *essentialiter,* et hoc modo significat ipsum actum voluntatis divinae *reduplicative* secundum quod est *realiter* idem cum divina essentia: omnia enim in Deo sunt *realiter* substantia ipsius;

β) secundo potest accipi *notionaliter;* et hoc « diligere, *notiona-* « *liter* sumptum, nihil aliud dicit quam esse *principium* Amoris per- « sonalis qui est *Spiritus Sanctus* » (I. *Sent.* Dist. cit., Q. I, art. 2, o);

γ) tertio τὸ *diligere* potest accipi *personaliter* seu *terminative,* et hoc modo denotat *Personam Spiritus Sancti,* quae scilicet est *terminus procedens* ab actu divinae voluntatis (Cfr. n. 554).

δ) **Nota.** Facile est advertere τὸ *diligere,* tertio modo sumptum, esse potius *nomen* quam *verbum grammaticale,* ac significare idem ac *dilectio,* ac proinde esse incapax flexionum **verborum grammaticalium.** — Unde, quoties τὸ *diligere* ponitur sub aliqua flexione coniugationis verbalis, non accipitur nisi *primo* (α) aut *secundo* (β) modo.

5.° Memento, quod nomen casus *ablativi* importat semper,

A) vel habitudinem alicuius causae *influentis* in propositionis subiecto, causae, inquam, vel

α) *efficientis:* sicut quum dico: *Ab* **artifice** *construitur domus,* vel

β) *finalis:* sicut quum dico: *Ex* **lucri cupiditate** *artifex construit domum,* vel

γ) causae *formalis:* sicut cum dico: *Artifex* **arte sua** *fecit domum.*

B) Quandoque vero nomen casus *ablativi* importat denominationem subiecti, aut

α) *ab actione* procedente ab ipso subiecto, utputa quum dico: *Pater* **generatione** *genuit filium,* item: *Ignis* **calore** *calefacit aquam,* etc., aut

β) *ab effectu* seu *termino* alicuius actionis, utputa quando dico: *Arbor floret* **floribus,** aut: *Petrus* **verbis** *loquitur,* etc. (Cfr. I. *Sent.* loc. cit.).

563. His praenotatis, S. Thomae sententia sequentibus proponitur conclusionibus:

Conclusio I. *Si* τὸ **diligere** *sumatur* **essentialiter,** *non potest dici* **Pater et Filius** *diligunt se* **Spiritu Sancto.**

Prob. *Ratione theologica.* Equidem, si τὸ *diligere* accipiatur **essentialiter,** tunc significat actum divinae voluntatis, prouti identificatur *realiter* cum essentia divina (Cfr. n. praec. § 4, α). Unde accipiendo **essentialiter** τὸ *diligere,* praecedens propositio non potest significare nisi unam ex istis, videlicet, vel hanc: *Pater et Filius* **diligunt** *se* dilectione **essentialiter** accepta, *quae est Spiritus Sanctus;* vel hanc alteram: *Pater et Filius* **diligunt** *se* dilectione **essentialiter** dicta, *qua procedit Spiritus Sanctus.*

Modo *posterior* hic sensus est *haereticus,* quia Spiritus Sanctus non procedit **a proprio actu** Amoris: item *ambo* illi sensus sunt *falsi,* quia confundunt *varias* acceptiones τοῦ diligere n. cit. declaratas.

Ergo si τὸ **diligere** sumatur **essentialiter,** etc. (Cfr. I. *Sent.,* Dist. XXXII, Q. I, art. 2, o).

α) Et haec est causa, cur S. Augustinus Lib. XV *De Trinit.* cap. 7 ait: « Quis audeat dicere Patrem nec se, nec Filium, nec « Spiritum Sanctum diligere, nisi *per* Spiritum Sanctum? ». Quia scilicet quando τὸ *diligere* accipitur **essentialiter,** oportet confiteri quod *Pater et Filius* se diligant **suimet essentia** (Cfr. I. *Sent.* loc. cit.).

564. **Conclusio II.** *Si* τὸ **diligere** *intelligatur* **notionaliter** (Cfr. n. 562, 4.°, β), *haec propositio:* «*Pater et Filius* diligunt se **Spiritu Sancto**» *est vera.*

Prob. *Ratione theologica.* Revera si τὸ **diligere** sumatur **notionaliter,** propositio: *Pater et Filius* **diligunt** *se Spiritu Sancto,* habet hunc sensum, videlicet: *Pater et Filius* **diligunt** se per dilectionem **notionaliter** acceptam, *qua procedit Spiritus Sanctus.* — Qui sensus est evidenter verus. Nam quemadmodum est verum quod *Arbor* floret *floribus quos producit,* item sicut verum est quod Deus *Pater intelligit se et omnia alia* **per Verbum** *intellectionis suae;* ita quoque verum est quod *Pater el Filius* **diligant se** per actum *voluntatis suae,* quo procedit *Amor* personalis, seu *Spiritus Sanctus.*

Sed *dilectio* **notionaliter** accepta, *qua procedit Spiritus Sanctus,* est ipse *actus voluntatis divinae,* quo procedit *Amor* Personalis, seu *Spiritus Sanctus* (Cfr. n. 562, 4.°, β).

Et ideo, substituendo unum pro altero sibi aequipollenti, habemus quod propositio: «Pater et Filius diligunt se Spiritu Sancto», sit propositio vera. Q. E. D. (Cfr. I. *Sent.,* Dist. XXXII, Q. I, art. 2, o).

565. Q. I. *Utrum possit dici* **Pater** *diligit se* **Spiritu Sancto?**

R. 1.° Si τὸ *diligere* accipiatur *essentialiter,* ea propositio est falsa: quoniam faceret hunc sensum: «*Pater* diligit se Amore essentiali *qui est,* [vel *quo procedit*] **Spiritus Sanctus;** qui sensus falsus est, sicut supra n. 554, § 1.ª pars, fuit ostensum.

R. 2.° Si τὸ *diligere* accipiatur *notionaliter,* tunc ea propositio habet hunc sensum: *Deus Pater* diligit notionaliter se *per actum,* **quo** *procedit Spiritus Sanctus.* — Et hic sensus est verus. Etenim *unicus* actus Amoris exsistit in Deo. Unde, sicut *Deus Pater* diligit notionaliter *Filium suum* per actum *quo procedit Spiritus Sanctus,* ita et hoc eodem actu diligit se (I. *Sent.* Dist. XXXII, Q. I, art. 2, o).

566. **Corollaria.** 1.° Pari modo ostenditur, quod haec propositio: *Deus Filius* diligit se *Spiritu Sancto,* est vera, si τὸ *diligere* accipiatur *notionaliter;* est autem falsa, si τὸ *diligere* sumatur *essentialiter* (Cfr. n. 554, § 1.ª pars).

2.° Simili modo ostenditur, quod, accipiendo *notionaliter* τὸ *diligere,* propositiones: *Pater* diligit Spiritum Sanctum *Spiritu Sancto,* et: *Filius* diligit Spiritum Sanctum *Spiritu Sancto,* sunt verissimae,

sunt autem falsae accipiendo essentialiter τὸ *diligere* (Cfr. ibid.).

567. Q. II. *An haec sit vera* **Spiritus Sanctus** *diligit se* **Spiritu Sancto?**

R. 1.° Si τὸ *diligere* sumatur *essentialiter* in illa propositione, tunc significat *actum divinae voluntatis* secundum quod identificatur *realiter* cum *essentia divina.* Et ideo praeposita propositio habet hunc sensum: *Spiritus Sanctus* diligit se per actum suae voluntatis, *qui est* **realiter** *ipse Spiritus Sanctus.* Et hic sensus est verissimus, quia *Spiritus Sanctus, proprius actus Suae voluntatis,* et *Divina Essentia* identificantur *realiter.* Patet.

R. 2.° Si τὸ *diligere* accipiatur *notionaliter* in illa propositione, tunc facit hunc sensum: *Spiritus Sanctus* diligit se **per actum** divinae voluntatis, quo ipsemet Spiritus *a Patre et Filio* **procedit.** Qua loquendi formula innuitur, quod *Spiritus Sanctus* sit **principium** actus divinae voluntatis, **quo actu** *Ipsemet* a Patre et a Filio **procedit,** videlicet significatur quod ipse *Spiritus Sanctus* sit principium *sui.* — Atqui hoc est falsum dogma Schellii, quod alibi (Cfr. Vol. I, n. 293, *F*) improbavimus. — Ergo dici non potest: *Spiritus Sanctus* **dilectione notionali** diligit se *Spiritu Sancto* (Cfr. I. *Sent.* Dist. XXXII, Q. I, art. 2, ad 4.m).

568. Q. III. *An dici possit quod* **Pater et Filius** *diligant nos* **Spiritu Sancto?**

R. *Affirmative,* tum si agatur de dilectione *essentiali,* tum si agatur de dilectione *notionaliter* sumpta.

Declar. 1.ª pars quoad dilectionem *essentialem. Ratione theologica.* Etenim *dilectio,* seu **Amor** *essentialiter* dictus est **actus** divinae voluntatis, secundum quem Deus rem aliquam *diligit* eique *vult* bonum (Cfr. n. 551, α). — Unde, accipiendo nomen *Amoris* seu *Dilectionis* in hoc sensu **essentiali,** propositio: «**Pater et Filius** *diligunt,* seu **amant,** nos *Spiritu Sancto*» significat quod «*Pater et Filius* **diligunt,** seu **amant,** nos per **actum** divinae voluntatis, secundum quem Ipsimet **diligunt** *nos,* et **volunt** *nobis* bonum».

Atqui haec *posterior* assertio est evidenter bona.

Et ideo propositio: «*Pater et Filius* diligunt nos *Spiritu Sancto*» est vera, si fiat sermo de *dilectione* seu **amore** *essentiali.* (Cfr. hic ad 3.m et I. *Sent.* Dist. XXXII, art. 3, o).

Declar. 2.ª pars quoad dilectionem *notionaliter* dictam. *Ratione theologica.* Et sane *dilectio,* seu **Amor,** *notionaliter* dictus, est **actus**

divinae voluntatis secundum quem *ab ipso procedit Spiritus Sanctus* (Cfr. n. 551, β). — Unde accipiendo nomen *Amoris* seu *Dilectionis* in sensu **notionali,** propositio: «**Pater et Filius** *diligunt,* seu **amant,** nos *Spiritu Sancto*» significat, quod «*Pater et Filius* **diligunt,** seu **amant,** nos **eodem actu** quo Pater et Filius **spirant** *Spiritum Sanctum*».

Modo haec posterior assertio est vera: quia in Deo *unicus* exsistit **actus** voluntatis per quem se et omnia alia diligit, quemadmodum **unicus** est actus divini intellectus per quem se et omnia alia intelligit in Verbo quod mente genuit.

Et ideo propositio: «*Pater et Filius* diligunt nos *Spiritu Sancto*» est vera, si fiat sermo de **amore** seu *dilectione notionaliter* accepta (Cfr. ibid.).

QUAESTIO XXXVIII

DE NOMINE SPIRITUS SANCTI QUOD EST DONUM

569. **Prologus.** Tertium nomen, quo consuevit in S. Scriptura, in liturgia Romanae Ecclesiae, et apud Ss. Patres, vocari Spiritus Sanctus, et **Donum Dei,** sicut statim videbimus. Remanet propterea pauca de hoc nomine exponere, videlicet:

1.° Utrum in divinis **Donum** sit nomen *personale* (Art. 1 h. q.),

2.° Utrum hoc nomen sit **proprium** Spiritus Sancti (Art. 2 h. q.). Hinc

Art. I. Utrum Donum sit nomen personale.

570. Quid sit nomen personale in tractatu de S.ma Trinitate, explicavimus pluries. Unde ne actum agamus, circa titulum exponemus duo, videlicet: 1.° Quid sit *Donum,* et 2.° Quid sit *Donum Dei:* indeque varia quaesita circa praesentem articulum seorsim exponemus.

571. Solent saepissime hi duo termini **Donum** et **Datum** promiscue sumi, adest tamen inter eos duplex differentia.

A) Prima differentia consistit in hoc quod

α) τὸ *datum,* quoniam evidenter consignificat tempus, 1.° denotat *semper* rem *actualiter* ab uno alteri concessam; at 2.° non denotat aliquam *specialem* causam ex qua illa *datio* rei processit, quia datio, vere talis, potest accidere *ex diversis titulis,* puta titulo *restitutionis,* aut titulo *promissionis,* aut *depositi,* etc.;

β) τὸ *donum* vero, 1.° non includit necessario ut *res* sit *actu donata,* sed **sufficit** quod *res* sit **apta** et **parata** ad hoc ut alteri conferatur. Retinemus quippe nonnumquam apud nos rem quam animo statuimus alteri in proximum dare; 2.° τὸ *donum* connotat *specialem causam* seu titulum, ex qua provenit ut res aliqua donetur alteri a donante, videlicet connotat *liberalitatem personae donantis.* Etenim ille vere donat rem, qui ex *pura liberalitate* et absque ulla retributionis spe rem suam dat alteri.

B) Altera differentia est, quod *proprie* loquendo,

α) τὸ *donum* terminat **semper** ad *personam,* idest suppositum intellectualis naturae; dum

β) τὸ *datum* potest terminare **indifferenter**, vel ad *personam,* vel ad *creaturam brutam.* Revera, *proprie* loquendo, possumus quidem dicere quod *panis* sit **datus** Asino; sed non possumus dicere quod *panis* sit **donatus** Asino aut Equo etc.: e contra possumus **indifferenter** dicere quod *panis* sit **datus** vel sit **donatus** pauperi. Constat. Cfr. I. *Sent.* Dist. XVIII, art. 1.

572. *Donum* igitur potest congrue definiri: «Res propria donato« ris, qui *gratiose* eam alteri confert, aut conferre potest, ita ut hic « alter tali re uti ac frui libere valeat».

Evolvitur definitio. *A*) Equidem Donum est «*res propria donatoris*»; nam si aliquis daret *rem non suam* alteri, non faceret *donum* sed *furtum.*

B) In definitione adduntur: «*qui* gratiose *eam alteri confert aut conferre potest*». His verbis innuitur, quod « *Donum* non dicitur ex « eo quod *actu* datur, sed inquantum habet *aptitudinem* ut possit « dari. Unde ab aeterno divina persona dicitur **Donum,** licet ex « tempore **detur**» (Hic ad 4.m).

C) Ponitur deinde in definitione particula «**gratiose**», videlicet *liberaliter* et *non ex debito.* Nam «*donum* proprie est *datio irreddi*« *bilis* secundum Philosophum (IV *Topic.* cap. 4), idest quod non da« tur *intentione retributionis,* et sic importat gratuitam donationem» (Art. seq., o).

D) Adduntur alia verba : «ita ut hic alter tali re *uti* ac *frui* **libere** valeat», ut indicetur **solam** creaturam intellectualem esse capacem recipiendi *donum.* Etenim, sicut sapienter notat Angelicus res *donatur* alicui ut *eius* sit in arbitrio et potestate *utendi* et *fruendi.* Et ideo, quia *sola* natura substantiae intellectualis est *liberi* arbitrii, propterea donum *proprie* ad suppositum naturae intellectualis pertinet (Cfr. P. I-II, QQ. XV et XVI).

573. **Corollarium 1.**m Tres igitur conditiones cumulative requiruntur ad hoc ut *res* aliqua sit *Donum,* videlicet :

α) quod ea res sit alicuius Personae tamquam *Donatoris,*

β) quod possit haberi *ab eo cui* est donabilis, et

γ) quod superet eius vires, sive *non sit ei debita* (Cfr. hic, o).

574. Hic **Donum Dei** definiri potest : «Bonum a Deo **gratiose** concessum vel concessibile alteri personae, ad hoc ut ista persona eo bono libere uti ac frui possit» (Cfr. hic, o). — His positis, oritur

575. Q. I. *Quaenam Personae sunt* capaces accipiendi *Dei donum?*

Pro huius quaestionis solutione

Dico 1.° *Una divina Persona non est capax recipiendi ab alia divina Persona donum aliquod.*

Prob. *Ratione theologica.* Etenim *donum* est bonum quod a donante conceditur *omnino gratiose* donatario (Cfr. n. 573, γ). — Iamvero in divinis totum id quod una Persona communicat alteri divinae Personae, id facit **non gratiose** et ex **solo libitu propriae libertatis,** sed **ex necessitate suae naturae.** Etenim Christus, loquens de acceptione *divinae essentiae* a Deo Patre, non nomine **Doni** sed nomine **Dati** usus est, dicendo : «Pater meus quod **dedit** mihi, «maius omnibus est... Ego et Pater **unum** sumus» (Ioan. X, 29-30) — Ergo verissime divina Persona non est etc. (Cfr. hic, o, et ad 4.m). Unde S. Hilarius *improprie* accepit vocem **Doni,** quando in Lib. IX *De Trinit.,* n. 54 ait : «Donantis auctoritate Pater **maior** «(*Cfr. infra Q. XLII, art. 4*) est..., sed **minor** (*Filius*) non est cui «**unum esse** donatur : ait enim (Ioan. X, 30) : *Ego et Pater* unum «*sumus*».

276. **Dico 2.**° *Personae creatae sunt capaces accipiendi Donum Dei.*

Prob. *Ratione theologica.* Equidem relate ad personas creatas multa bona sunt quae non debentur eis a Deo dari. Et rursus tale

personae creatae sunt capaces utendi et fruendi libere beneficiis a Deo acceptis: patet. Et ideo personae creatae sunt capaces accipiendi aliquid Dei *Donum.* — Unde S. Augustinus (Lib. XV *De Trinit.*, cap. 19) dicit: « Spiritus Sanctus intantum *Donum Dei* est, « inquantum datur *eis quibus* datur, apud se autem *Deus* est etsi ne- « mini datur » (Cfr. hic ad 4.m item Petrum Lombardum I. *Sent.* Dist. XVIII § 2). — Hic

577. **Corollarium II.m** « Colligitur... non bene dixisse Gabrie- « lem et Okam quod *Spiritus Sanctus* ab aeterno *est donatus.* — « Nam quod non sit donatus *creaturis,* patet. — Quod vero non do- « netur Patri et Filio probatur quia Filius nihil donat Patri. — Quod « vero Pater non donaverit Spiritum Sanctum Filio, ex definitione « donationis (*Cfr. n. 572*) patet; quod debet esse *gratiosa* et *libera-* « *lis.* At omnia quae confert Pater Filio, **necessario** *non libere* con- « fert. — Ergo. » Hactenus Bannes, *Com.* in art. seq.

578. Q. II. *Quaenam res possint habere rationem* **Doni Dei** *relate ad creaturas intellectuales?*

Pro huius quaestionis resolutione

Dico 1.° Evidenter patet, quod **pleraque** *bona naturalia,* item *Gratia, Virtutes infusae, Lumen Gloriae* necnon *reliquae perfectiones supernaturales,* habere possunt *perfectam rationem doni;* quia tales res possunt a Deo creaturis intellectualibus *supra omne debitum naturae* **gratiose** concedi, et vicissim tales res possunt ab his creaturis possideri cum pleno usu atque iucunda fruitione.

Dico 2.° α) **Persona divina** *potest esse aliquod* **Dei donum** *concessum alicui intellectuali creaturae:* β) *idemque iudicandum est de* **Essentia Divina.**

Nota. Est communis theologorum sententia.

Prob. **I.a et II.a pars simul.** *Ratione theologica.* Sicut n. 573 monuimus, conditiones, requisitae ad hoc ut res aliqua sit *Donum,* sunt 1.° quod ea res sit alicuius tamquam *Donantis,* 2.° quod possit *possideri ab eo* cui talis res donatur, et 3.° quod talis res *non detur* tali subiecto *ex debito* sed *ex pura liberalitate* personae donantis. — Atqui hae tres conditiones locum habent, considerando tum *aliquam divinam Personam,* tum *Deitatem* relate ad aliquam creaturam intellectualem. — Ergo tum *Persona divina,* tum ipsa *Dei essentia,* possunt habere rationem **Doni** concessi alicui intellectuali creaturae.

Illatio est clara. Prob. **I.ª pars** *min.* Equidem in divinis unaquaelibet Persona

1.° est suipsius, tamquam *Donantis,* inquantum ipsamet potest vere *se donare* **alicui creaturae** intellectuali. Constat.

2.° Unaquaelibet Persona divina est res, quae **potest possideri** *aliquo modo* a creatura cui donatur. Sicut enim Persona Filii Dei **possidetur** *quodammodo* a natura humana cum qua de facto est hypostatice unita, ita et quaelibet alia divina Persona posset possideri a creatura cui esset divinitus donata.

3.° Demum, si Persona divina esset alicui subiecto divinitus data, evidenter talis datio **non** *ex aliquo debito* sed **ex pura liberalitate** Dei donantis haberet ortum. Patet.

Prob. *II.ª pars min.,* videlicet, **Deitas** seu divina essentia habet etiam tres conditiones ut possit esse *Donum* Dei. Revera divina essentia seu **Deitas,**

1.° inquantum est propria uniuscuiusque divinae Personae, potest **se donare** aliquo modo **alicui creaturae intellectuali.**

2.° Eadem **Deitas potest possideri** *aliquo modo* a creatura intellectuali, quemadmodum nunc *possidetur* in coelis *a beatis.*

3.° Demum eadem **Deitas** habet in se hanc dotem, quod scilicet, si creaturae detur, **non** *ex debito* sed **ex pura divina liberalitate** sit data. Constat.

Stat ergo veritas totius nostrae thesis (Hic, o, ad 1.m et 2.m).

579. **Scholium.** Ex dictis habetur, quod *Dei Donum* tripliciter dicitur, videlicet

α) primo *essentialiter.* Et sub hoc adspectu denotat omnem rem quae a Deo datur aut dari potest gratiose creaturis intellectualibus, nihil curando utrum illa res sit aliquid creatum an aliquid entitative divinum, nec attendendo utrum res illa distinguatur *realiter* aut *sola ratione* a Deo dante (Cfr. hic, o et ad 1.m). Sub qua amplissima acceptione tum essentia divina, tum quaevis Persona S.mae Trinitatis, tum quodlibet beneficium Dei potest congrue vocari *Donum Dei.* Unde Christus ait: «Si quis diligit me... Pater meus diliget «eum, et (*NOS*) ad eum *veniemus* et mansionem apud eum *faciemus*» (Ioan. XIV, 23).

β) Secundo *Donum Dei* potest accipi *notionaliter.* Et sub hoc adspectu designat *Personam Divinam,* non prout est in se sed prout est *realiter distincta,* sive realiter procedit (omnis enim realis distin-

ctio in Deo *fundatur* super processionem unius divinae Personae ab alia) ab illa divina Persona *a qua* gratiose *donatur* creaturae intellectuali (Hic ad 1.m).

γ) Tertio *Donum Dei* accipitur *personaliter*. Et sub hoc adspectu significat *illam divinam Personam* quae ex indole suae processionis **habet in se** quod sit *prima ratio* cur ipsamet a Deo alicui creaturae gratis detur (I. *Sent.* Dist. XVIII, Q. I, art. 2, o).

580. Q. III. *Quaenam divina Persona possit relate ad creaturas intellectuales esse* **donatrix munerum?**

Pro quaesiti resolutione perpende in collatione Doni Dei ad creaturas tria inveniri (Cfr. hic, o), videlicet

1.° *Actionem divinam* conferentem tale bonum,

2.° *Bonum* quod donatur,

3.° *Personam divinam* a qua *specialiter* fit boni donatio. — Unde

Dico 1.° *Si sermo sit de* **Actione divina** *largiente donum Dei creaturis intellectualibus, talis* **Actio** *est* **communis** *toti Trinitati.*

Prob. *Ratione theologica.* In divinis omnia sunt unum, nisi obviet relativa oppositio. — At operatio Dei, prouti terminat *ad extra,* non habet *oppositionem* aliquam *relativam* ad aliam divinam Personam, quia divinae Personae sunt *intra ambitum,* ut ita loquar, divinitatis. — Ergo, quia **Actio divina,** largiens donum aliquod creaturis intellectualibus, terminat *ad extra* divinitatem, sequitur, quod, si sermo sit de **Actione divina** largiente donum aliquod creaturis intellectualibus, talis **Actio** est **communis** toti Trinitati (Cfr. hic, o, ad 1.m et 2.m).

Dico 2.° *Si* **Bonum** *quod a Deo creaturis intellectualibus donatur, fuerit* **Deitas,** *aut* **Gratia,** *aut aliud* **Bonum finitum,** *donatio talis boni fieri potest* **vel** *a tota Trinitate* **vel** *ab una* **aut** *duabus solis Personis eiusdem Trinitatis.*

Prob. *Ratione theologica.* Equidem *Donum* debet fieri de rebus *aliquo modo* propriis donantis, sicut vidimus n. 572, § *A.* — Atqui **Deitas** est propria aliquo modo tum *toti trinitati,* tum *uni* vel *duabus Personis Trinitatis:* et hoc idem dicendum est de **Gratia divina,** tum quoque de aliis **bonis finitis** quae a Deo possunt dono dari creaturis intellectualibus. Constat. — Ergo si **Bonum** quod a Deo etc. (Cfr. ibid.).

Dico 3.° *Si* **Bonum** *quod creaturis intellectualibus a Deo donatur, fuerit aliqua* **Divina Persona,** *ista donatio non potest fieri nisi*

vel *ab ipsa Divina Persona quae se donat,* **vel** *ab alia Divina Persona a qua procedit.*

Prob. *Ratione theologica.* Res aliqua potest esse *propria* alicuius personae tripliciter, nempe vel

α) per *identitatem,* quando scilicet ea res est *identica* cum tali persona. Hoc modo τὸ *Ego* est *Mei* **proprium:** unde Augustinus (Tract. 29 *in Ioan.*) dicit: « Quid **tam** tuum **quam** tu »? Vel

β) per *subiectionem,* quando scilicet ea res *subiicitur* tali Personae. Hoc modo *Servus* et *Pecus* sunt **propria** *Principis.* Vel

γ) per *originem,* inquantum scilicet talis res est *orta* a tali Persona. Hoc modo *Filius* est **proprius** *Patris* a quo procedit.

Atqui in divinis **una** Persona licet non possit habere *subiectionem* ad **aliam** divinam Personam, potest tamen *se habere* ad aliam divinan Personam,

vel tamquam *substantialiter identicam* cum illa,

vel tamquam *immanenti operatione procedentem* ab illa. Constat.

Et ideo in divinis **una** Persona potest esse *propria* alterius divinae Personae solummodo,

vel quia **substantialiter** est *identica* cum illa,

vel quia **immanenti operatione** procedit ab illa.

Sed nemo **donat** alteri nisi de **suo proprio.** Constat.

Et ideo, si aliqua divina Persona sit **donata** alicui creaturae intellectuali, **haec donatio** non potest esse facta nisi

vel a tali Persona quae **se donat,**

vel ab **illa altera** divina Persona a qua **per originem** procedit. Q. E. D.

A) Audiatur Angelicus « Donum oportet esse aliquo modo dan- « tis (*seu Donatoris*). — Sed

« *Hoc esse huius* dicitur multipliciter.

« Uno modo per modum *identitatis,* sicut dicit Augustinus super « Ioannem Tract. XXIX (*i. e.* Quid est tam **tuum,** quam **tu?**). Et sic « *Donum* non distinguitur a *dante,* sed ab *eo* cui datur. Et sic dici- « tur, quod Spiritus Sanctus *dat* se.

« Alio modo dicitur *aliquid* esse *alicuius,* ut *possessio* vel *servus.* « Et sic oportet quod Donum *essentialiter* distinguatur a *Dante.* Et « sic Donum Dei est aliquid creatum.

« Tertio modo dicitur *hoc* esse *huius,* per originem tantum. Et « sic *Filius* ess *Patris,* et *Spiritus Sanctus utriusque* » (Hic ad 1.m).

Et secundum quod **una** Persona est origo **alterius** Personae, ipsa dicitur *Donatrix* Personae a se procedentis. Sic etiam apparet, quod Persona divina quae vocatur *Donum,* non importat aliquam *subiectionem*, sed solum originem relate ad Personam Dantem. (Hic ad 3.m).

581. **Corollarium III.** In divinis una Persona intantum **donat** aliam divinam Personam, inquantum *est origo* seu *principium* Personae donatae. Atqui Spiritus Sanctus *non est origo* alicuius divinae Personae: item Pater coelestis *non habet originem* ab alia divina Persona: e contra Filius *originem habet* a solo Deo Patre; Spiritus Sanctus vero a Patre et Filio. Et ideo

1.° Pater coelestis potest *se donare* creaturae intellectuali, at, proprie loquendo, **non donatur** nec a Filio neque a Spiritu Sancto; nisi forte secundum quod tres divinae Personae sunt **unum** in substantia; et sic dum Filius aut Spiritus Sanctus se donat alicui creaturae intellectuali, huic donat **per concomitantiam** etiam Deum Patrem, qui **unum** est cum Deo Filio ac Deo Spiritu Sancto.

2.° Filius Dei potest **donari** a Deo Patre creaturis intellectualibus, non autem, *proprie loquendo,* potest **donari** a Spiritu Sancto, quum ab eo nullo modo procedat.

a) Dixi «*proprie loquendo*»; quia Paraclitus potest donare **indirecte** Filium Dei, inquantum *causat* in intellectuali creatura dispositiones proxime praeparantes ipsam ad susceptionem Filii Dei. Etenim « quamvis Spiritus Sanctus non sit principium Filii, est tamen « principium **effectus** secundum quem Filius dicitur *dari* vel *mitti.* Et « ideo (*indirecte*) etiam ipse Filius est datus per Donum quod est « Spiritus Sanctus, scilicet per *Amorem.* Unde dicitur Ioan. III, 16: « *Sic Deus* **dilexit** *mundum ut Filium suum Unigenitum* **daret**» (I. *Sent.* Dist. XVIII, Q. I, art. 3 ad 3.m — Cfr. art. seq. ad 1.m).

3.° Spiritus Sanctus e contra, quia procedit tam a Deo Patre quam a Deo Filio, potest ab utrisque donari creaturis intellectualibus, et etiam ab alterutro. Patet ex dictis.

582. Ulterius ex definitione *Doni* habetur, quod res donata transeat sub **dominio** donatarii; qui libere potest re sibi donata uti et frui. Si ergo Persona aliqua divina ponatur **donata** alicui creaturae intellectuali, haec invenietur **domina** Personae divinae!... Emergit inde

Q. IV. *Quo modo intelligi debet Personam Divinam cadere* **sub dominio** *creaturae intellectualis cui* **donatur ?**

R. 1.° Non debet hoc intelligi, quasi Persona divina fiat *vile mancipium* creaturae intellectualis cui donatur. Esset fictio animi non minus absurda quam puerilis, ne dicam blasphema. Unde

R. 2.° Debet illud intelligi de dominio fundato *in amicitia,* secundum quam scilicet *unus amicus* libere utitur bonis *proprii amici,* eiusque *beneficiis.* Quum enim donum divinae Personae sit praemium charitatis, quam creatura erga Deum habet iuxta illud: « *Si* « **quis** *diligit* **Me**... *Pater meus diliget* **eum,** *et ad* **eum** *veniemus* « *et mansionem apud* **eum** *faciemus* » (Ioan. XIV, 23), propterea creatura, Deum ex charitate amans, utitur et fruitur non solum de beneficiis divinis, sed etiam de ipsa Persona divina sibi donata tamquam de *vero amico* qui est *alter ego,* seu *dimidium animae donatarii.* Et ita contingere potest quod factum est in Iosue, ut scilicet inveniatur Deus *obediens* voci hominis (Ios. X, 14). — Cfr. hic, o et ad 3.m item Suárez, Lib. XII *De Trinit.* cap. V, n. 13.

Art. II. Utrum Donum sit proprium nomen Spiritus Sancti.

583. Ex art. praec. habemus quod licet unaquaeque Persona divina possit *se donare* creaturae intellectuali, tamen **donari a Deo** non convenit *proprie* nisi solis divinis Personis quae ab altera procedunt, videlicet Dei Filio et Spiritui Sancto. Emergit exinde quaestio

Utrum *esse Donum Dei,* personaliter dictum (Cfr. n. 579, γ), conveniat sub quadam speciali ratione *Spiritui Sancto* magis quam *Filio Dei?*

Hoc obiectum praesentis articuli.

584. Pro cuius resolutione admone ex Petavio (Lib. VIII *De Trinit.,* cap. 3) Durandum (I. *Sent.* Dist. XVIII, Q. I) et Aureolum (Cfr. Capreolum in I. *Sent.* Dist. cit.) a reliqua Scholasticorum cohorte dissentire, affirmando rationem et nomen *Doni Dei* esse rem ita communem *toti Trinitati,* ut nonnisi *per appropriationem* tribuatur Spiritui Sancto; eo fere modo quod licet *Omnipotentia* et *Sapientia* sint attributa *communia* singulis Personis Trinitatis, nihilominus solemus appropriare *Omnipotentiam* Deo Patri et *Sapientiam* Filio Dei (Cfr. Paquet, *Com.* in h. a.).

α) S. Thomas e contra, sequens hac in re sententiam Magistri Sententiarum (Cfr. I. *Sent.* Dist. XVIII), S. Augustini, S. Ioannis

Chrysostomi, S. Cyrilli Alexandrini, S. Basilii etc., tenet *Donum Dei,* personaliter acceptum, convenire *proprie* Spiritui Sancto. Angelicum sequuntur universi ferme Scholae theologi. — Sit itaque

585. **Conclusio. Donum,** *secundum quod* **personaliter** *sumitur in divinis, est* **proprium** *nomen Spiritus Sancti.*

Nota. Est communior inter theologos sententia.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura. A*) Equidem S. Petrus Apostolus, exhortans homines ad poenitentiam et ad Baptisma suscipiendum, ait ad illos: « Poenitentiam agite... et accipietis **donum** Spiritus « Sancti » (Act. II, 38). Cui sententiae explicandae optime faciunt verba S. Augustini dicentis in Lib. XV *De Trinit.* cap. 19: « Sicut « corpus carnis nihil aliud est quam caro, sic **Donum** Spiritus Sancti « nihil aliud est quam **Spiritus Sanctus** ». Ecce **Donum** Spiritus Sancti exprimit *Personam* Spiritus Sancti.

B) Rursum idem S. Lucas narrat in eisdem Actibus Apostolorum quod, quum Simon Magus obtulisset S. Petro Apostolo pecuniam, petendo ab eodem potestatem ut cuicumque ipse imponeret manus, concederet virtutem dandi Spiritum Sanctum, S. Petrus restitit Simoni dicendo: « Pecunia tua tecum sit in perditionem, quo- « niam **Donum Dei** existimasti pecunia possideri » (Act. VIII, 20). Ubi manifeste habetur **Donum Dei** synonyme accipi ad *Spiritum Sanctum* (Cfr. etiam Ephes. IV, 8; et Iacobi, I, 11).

2.° *Ex Ss. Patribus. A*) *Ex Graecis* habemus α) S. Athanasium qui explicans illud: « Quanto magis Pater vester de coelo dabit Spiritum bonum petentibus se? » (Luc. XI, 13), dicit per *Spiritum bonum a Deo datum* significari *Spiritum Sanctum* qui est **fons** et **maximum** *Donorum Dei.*

β) Didymus (Lib. II. *De Spir. Sancto* — inter Opp. S. Hieronymi) exponens illud: « *Effundam Spiritum meum* » etc. (Ioël II, 28), scribit: « Ipsum **effusionis** nomen *increatam* Spiritus Sancti *substantiam* « probat. Neque enim Deus, cum Angelum mittit aut etiam creatu- « ram, **effundam** dicit **de Angelo meo** ». Legi potest explicatio eiusdem versiculi Ioëlis apud Paschasium Diaconum in Lib. II. *De Spiritu Sancto,* cap. I.

γ) S. Chrysostomus (Hom. LXXII *De Spir. Sancto*) dicit: « Quandoquidem quod **datur,** Spiritus Sanctus est, appellatum etiam « **Donum ipsum** simili modo ac **Donator ipse** ».

δ) S. Cyrillus Alexandrinus (Dial. III *De Ss. Trinit.*), postquam

docuit Christum esse datorem Spiritus Sancti, addit: « Quin divinus « noster Ioannes confessus est clare admodum dicens: *Quia ex ple-* « *nitudine Eius nos omnes accepimus* (Ioan. I, 16), datum autem opti- « mum et donum perfectum aliudne quidquam erit tuo iudicio quam « Spiritus Sancti participatio? — Nequaquam — Animadverte ergo vel « hinc Filium de sua plenitudine fundere suum Sanctum et inseparabiliter innatum Spiritum, per quem omne datum optimum ».

B) *Ex Doctoribus Latinis* adest α) S. Hilarius (Lib. II. *De Trinit.*, n. 1) scribens: « Baptizare iussit (*Christus*) in nomine Patris, « et Filii, et Spiritus Sancti, idest in confessione *Auctoris* (*Cfr. n.* « *387*) et *Unigeniti,* et **Doni** ».

β) S. Augustinus (Lib. *De Fide et Symbolo,* cap. 9) testatur, quod usque ad sua tempora nondum « docti et magni divinarum « Scripturarum tractatores inquisierint (*Cfr. nn. 112-113 - cur Spiri-* « *tus Sanctus non sit Filius*) nisi quod Eum **Donum Dei** esse prae- « dicant, ut Deum credamus *non seipso inferius* **Donum** dare ». Et Lib. XV *De Trinit.* cap. 17, n. 29 scribit: « Non frustra in hac Tri- « nitate non dicitur **Verbum Dei** nisi *Filius,* nec **Donum Dei** nisi « *Spiritus Sanctus* ». Imo iuxta eumdem S. Doctorem τὸ **Donum Dei** est in Ss. Trinitate nomen magis proprium quam nomen Spiritus Sancti, quia « ipsa Relatio non apparet in hoc nomine (*Spiritus* « *Sanctus*) apparet autem cum dicitur **Donum Dei:** Donum enim « est Patris et Filii » (Lib. V *De Trinit.,* cap. 11).

— Alias Patrum auctoritates lege, si lubet, apud Ruiz, Disp. LXXV *De Trinit.*

3.° Accedit *Auctoritas Ecclesiae Romanae,* quae in liturgia Pentecostes Spiritum Sanctum vocat *Donum Dei Altissimi.* Unde et fel. rec. Leo XIII in Encyclica « *Divinum illud Munus* » haec habet de Spiritu Sancto: « Ipse enim non modo affert nobis divina munera, « sed eorum est Auctor atque etiam munus Ipse supremum, qui a « mutuo Patris Filiique amore procedens iure habetur et nuncupatur « **Altissimum Donum Dei** ».

3.° *Ratione theologica.* Unaquaelibet Persona divina nominatur, cum omni proprietate, illo nomine quod significat id quod ipsi convenit ex *vi suae proprietatis personalis.* — Atqui Spiritui Sancto convenit ex *vi suae proprietatis personalis,* quod sit primum **Dei Donum.** — Ergo convenientissime Spiritus Sanctus nominatur **Dei Donum.** — Prop. maior est evidens ex terminis. Illatio quoque est

clara, praesupposita veritate minoris. — Prob. igitur minor. Inter omnia munia quae unus alteri **gratis** donat, **Amor** seu actus propriae benevolentiae est *primum* et *maximum* **Donum:** patet. Atqui Spiritus Sanctus ex *nativa indole suae proprietatis personalis* habet, quod sit *Amor notionalis* Patris et Filii (Cfr. Q. praec. art. 1). Ergo Ipse *ex vi suae proprietatis personalis* habet quod sit *primum* **Donum Dei.** Huius syllogismi maior propositio declaratur sic. « **Donum** « proprie... importat gratuitam donationem. — Ratio (*sive causa pri-* « *ma*) gratuitae donationis est **Amor:** ideo enim damus gratis alicui « aliquid, quia volumus ei *bonum*. — Primum ergo, quod damus ei, « est **Amor** quo volumus ei bonum. Unde manifestum est, quod « **Amor** habet rationem **primi doni,** per quod omnia dona gratuita « donantur » (Hic, o).

Confirmatur. Sicut, propter consubstantialitatem trium divinarum Personarum, *tam* Filius *quam* Spiritus Sanctus dici potest *imago* Dei Patris a quo uterque procedit; ita, quia *tum* Filius *tum* Spiritus Sanctus dantur nonnumquam creaturis intellectualibus, propterea uterque dici potest **Dei Donum.** Verum « sicut Filius, quia proce- « dit per modum Verbi (quod de ratione sua habet quod sit similitu- « do sui principii), dicitur **proprie** Imago (*Cfr. Q. XXXV, art. 2*), « licet etiam Spiritus Sanctus sit similis Patri; ita etiam Spiritus « Sanctus, quia a Patre procedit ut **Amor,** dicitur proprie *Donum,* « licet etiam Filius detur. Hoc enim ipsum quod Filius datur, est ex « Patris Amore secundum illud Ioan. III, 16: *Sic Deus* **dilexit** *mun-* « *dum ut Filium suum Unigenitum* **daret** » (Hic ad 1.m).

586. **Corollarium.** Primum in unoquoque genere est causa eorum quae sunt in illo genere; sicut ex verbis Aristotelis in II *Metaphys.* text. 4, colligitur. Sed Spiritus Sanctus habet evidenter rationem **primi Doni,** quia est aeternus Amor Patris et Filii. Et ideo Spiritus Sanctus est ratio seu causa prima omnium illorum datorum, quorum principium primum est divina voluntas quaeque dona distribuuntur creaturis. « Unde dicit Augustinus Lib. XV *De Trinit.,* « cap. 19, quod per *Donum* quod est Spiritus Sanctus, multa propria « dona dividuntur membris Christi » (Hic, o). Unde S. Paulus I. Cor. XII, 4 postquam enumeravit divisiones Gratiarum, quas Deus creaturis confert, subdit: « Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult » (Ibid. 11). Et Ierem. XXXI, 3 dicitur: « In charitate perpetua dilexi te ».

587. Quum res donata fiat donatarii, emergit inde

Q. *Utrum Spiritus Sanctus possit dici* **Donum nostrum?**

Hanc quaestionem late vertens Angelicus in I. *Sent.* Dist. XVIII, Q. I, art. 5, praenotat 1.° quod Deus se habet ad creaturas in ratione

α) *causae efficientis,*
β) *causae finalis,* et
γ) *causae exemplaris:*
δ) *non* autem in ratione *causae materialis,*
ε) *nec* in ratione *causae formalis intrinsecae.* Patet.

2.° Hinc, si nomen aliquod significat Deum sub ratione *causae efficientis* vel *finalis* (ut sunt nomina *Creator, Gubernator, Dominus, Finis* etc.) haec nomina possunt accipi cum pronominibus possessivis *Meum, Tuum, Suum* etc. dicendo, ex. gr.: *Deus meus, Redemptor meus, Spiritus Eliae* (IV. Reg. II, 15) etc.

3.° Item, si nomen significat Deum sub ratione alicuius *formae exemplaris,* **potest** etiam tale nomen construi cum praedictis pronominibus. Hinc, accipiendo nomen *Sapientiae* in ratione *formae exemplaris,* recte S. Paulus ait (I. Cor. I, 30) quod Christus «factus est **nobis** *Sapientia* a Deo et *iustitia* et *sanctificatio* et *redemptio*».

4.° Si vero, demum, nomen aliquod significat Deum *absque ulla relatione ad creaturas,* vel per modum alicuius *formae* **non exemplaris** (qualia nomina sunt *Essentia Divina, Persona Divina,* item *Filius Dei,* etc.) huiusmodi nomina non suscipiunt additionem pronominis *Mei, Tui, Sui* etc. — Unde, si Deus *suam essentiam* (sicut contingit in visione beatifica), aut *suam Personam* **citra unionem hypostaticam** donaret *Petro* aut *Paulo* etc., non posset dici *Essentia divina* est *essentia Petri, Persona divina* est *Persona Pauli, Filius Dei* est *Filius Pauli* (Cfr. Q. XXXVI, art. 1 ad 3.m). — Exinde sequitur

A) **Resolutio quaestionis,** videlicet: *Spiritus Sanctus dici potest* **donum nostrum,** non semper, *sed* **postquam a Deo donatus est nobis.**

Decl. Donum, quamvis importet relationem ad creaturas *quibus datur,* tamen retinet integram suam denominationem etiamsi non donetur **actualiter** alicui creaturae (Cfr. art. praec.). Atqui in hoc quod dico **Donum nostrum,** significatur quod res donata *possideatur* actualiter *a nobis:* constat. Et ideo, *non semper,* sed *solummo-*

do « postquam... datus est homini Spiritus Sanctus, tunc potest « etiam dici *Donum Hominis:* non in eo sensu quo dicitur *Donum* « *Dantis,* sed quo dicitur *donum accipientis* a dante acceptum. — Ne- « que enim dicitur Spiritus Sanctus **Hominis Spiritus** quasi ab ipso « (*homine*) procedat, sed quasi ab ipso (*homine*) habeatur ex Deo ». Hactenus P. Capponi, *Com.* in resp. ad 3.m h. a.

— Qui plura cupit de controversia h. a. scire, legat Caietanum, Bannez, et Nazarium, *Com.* in h. a.

QUAESTIO XXXIX

DE PERSONIS AD ESSENTIAM RELATIS

588. **Prologus.** Tres divinas Personas unius esse essentiae Catholica praedicat Fides. Non aliud autem esse potest Persona divina, nisi relatio realis in Deo exsistens ad modum rei subsistentis (Q. XXIX, art. 4). Nec aliunde in Deo proveniunt relationes reales nisi ex processionibus seu operationibus Deo immanentibus (Ibid. art. 1). Et ideo ut synthetice disponeret tractatum Trinitatis, Angelicus exorsus a disputatione de *divinis processionibus* (Q. XXVII), sermonem inflexit ad determinandum de *relationibus divinis* (Q. XXVIII), et sic devenit ad tractatum de *Personis Divinis.*

589. Has vero divinas Personas *tripliciter* (Cfr. *Prol.* Q. XXIX) professus est Angelicus velle considerare, nimirum:

1.° *absolute* et *in seipsis,* pro quanto possibile est **unum** relativorum considerari seorsim ab **altero** relativo;

2.° *relative* ad ea quae connotant et *quodammodo* includunt ipsae divinae Personae;

3.° denique relate ad *creaturas,* quibus aliquando *una* vel *altera* divinarum Personarum mittitur.

α) Prima consideratio a Q. XXIX ad praecedentem usque absoluta est.

β) Consideratio de divinis Personis per ordinem ad creaturas, ad quas mittuntur, ultimo loco in Q. XLII prosequetur.

γ) Media nunc instat consideratio, videlicet oportet considerare

Personas divinas **relate** ad *omnia* ea quae *ipsaemet connotant* vel *includunt*.

590. Sunt autem in Deo *essentia, Personae, proprietates personales* et *actus notionales*. Et ideo in hac relativa consideratione de divinis Personis determinabimus seorsim illa, quae spectant ad divinas Personas :

1.° comparate ad *essentiam* divinam et Dei attributa *essentialia,* quae *includunt* (Q. praec.) ;

2.° comparate ad *relationes* seu proprietates personales, quibus *constituuntur* (Q. seq.) ;

3.° comparate ad *actus notionales,* quos vel *eliciunt,* vel *terminant* (Q. XLI) ;

4.° demum determinabimus illa quae pertinent ad divinas Personas mutuo *inter se consideratas* (Q, XLII).

591. Incipimus a consideratione divinarum Personarum per ordinem ad *essentiam* Dei, quam important ; quia rei essentia est *primum* quod nitendum est de unaquaque re scire.

Iamvero *Personae divinae*, *Dei essentia,* atque *attributa Dei absoluta,* possunt invicem considerari *dupliciter :*

α) *primo* quidem secundum quod ad invicem se habent *a parte rei* (art. 1 h. q.) ;

β) *secundo* vero prouti eiusmodi res se habent relate ad *nostros sermones theologicos* (artt. 2-8 h. q. — Cfr. art. seq.).

Art. I. Utrum in divinis Essentia sit idem quod Persona.

592. «In titulo ly *idem* significat identitatem realem» (Caiet., *Com.* in h. a. — Cfr. n. 164, 1.°).

593. Sicut autem ex contextu apparet, τὸ *Persona* accipitur hic, non quidem *generice* pro individuo subsistente, incommunicabiliter in intellectuali natura (Cfr. Q. XXIX, artt. 1-4), sed *specialiter* pro *Persona Divina,* idest relatione reali subsistente in Deo ad modum substantiae. Partes siquidem theologi Catholici gerimus. Unde sensus tituli est : *Utrum* Essentia divina *sit* **realiter identica** *cum* Persona divina.

594. Verum «considerantibus divinam simplicitatem, quaestio ista «in manifesto habet veritatem. Ostensum est enim supra (Q. III, «art. 3), quod divina simplicitas hoc requirit, quod in Deo sit idem

« *essentia* et *suppositum* quod in substantiis intellectualibus nihil est « aliud quam *Persona*. (*Unde ex hac parte nullum dubium esse potest quin essentia divina sit* identica realiter *cum Persona divina*). « Sed difficultatem videtur ingerere (*conclusio ista ex eo*) quod mul- « tiplicatis Personis divinis, essentia retinet unitatem » (Hic, o). Equidem si *essentia divina* est omnino simplex et *unica numero,* dum *Personae divinae* sunt tres numero *realiter distinctae,* videtur impossibilis identitas realis inter *essentiam divinam* et *Personas divinas*. — Solutio huius difficultatis est obiectum praesentis articuli.

595. Praenotamus autem ex dictis nn. 14-16, quod

A) Ariûs, falso existimans essentiam divinam *distingui realiter* a Personis divinis, ex hoc quod confitemur in Deo adesse **tres** realiter distinctas Personas, intulit quod neque *Filius* neque *Spiritus Sanctus* sint Deo Patri ὁμοούσιοι seu consubstantiales.

B) Ex hac eadem radice processit haeresis Macedonii eiusque discipuli Maratonis, qui negarunt Spiritum Sanctum esse Deo Patri *consubstantialem,* confitendo *eum* esse *creaturam.*

C) Ex opposito Noëtus, Sabellius et Priscillianistae, tuentes identitatem realem et omnimodam inter *essentiam* et *Personam divinam,* exinde intulerunt quod in divinis **unica** essentia et **unica** quoque Persona exsistere possit: unde et professi sunt quod *Pater, Filius,* et *Spiritus Sanctus* sint tres *adspectus,* tres *formae,* tres Θεόφανειαι **unicae** Personae divinae.

D) Quam Sabellii haeresim renovarunt hodiernis temporibus rationalistae, Scheling, Hegel et Rosmini.

α) Sed, quia de Ariana et Sabelliana aliisque haeresibus plura diximus in QQ. XXVII et XXIX, ideo non est opus hic aliquid aliud superaddere.

596. Ariana et Sabelliana haeresi seposita, sequitur error Gilberti Porretani (Cfr. Vol. I, nn. 215-216), qui, ut ab utraque haeresi se expediret, in eas inscite lapsus est. Arguit enim in hunc modum. « Relationes in Deo non sunt **intrinsecus affixae** in divina substan- « tia sed sunt solummodo **adsistentes** circa Divinam Substantiam ; « consequenter *distinguuntur* **realiter** a Divina Substantia. — Atqui « Personae Divinae est ipsa Relatio in Deo **adsistens.** — Et ideo « Personae divinae *distinguuntur* **realiter** a divina Substantia : ac « propterea *illae* sunt **tres,** dum *Substantia* seu *essentia* divina est « **una.** » — At

Conclusio I. *Gilberti positio est omnino reiicienda.*

Nota. Docetur ab omnibus (Cfr. dicta in Vol. I, nn. 215-216).

Prob. *Ratione theologica.* Illud quod distinguitur *realiter* a divina substantia, **non potest esse** res *essentialiter* infinita : sed omnis res quae distinguitur *realiter* a divina substantia, est realitas *essentialiter* finita. — Atqui nulla Persona divina est res *essentialiter* finita (Cfr. Q. III, artt. 3 et 4), sed est verus Deus. — Ergo nulla Persona divina distinguitur **realiter** a divina substantia (Cfr. hic, o; et Q. XXVIII, art. 2, o). Unde merito S. Augustinus, Lib. VII *De Trinit.* cap. 6, ait: «cum dicimus *Personam* Patris, non aliud dicimus quam « *Substantiam* Patris » (Hic *Sed Cont.*).

597. Catholica autem sententia ea est, qua dicitur Personam divinam esse *realiter,* sed *non sub omni adspectu,* identicam cum Essentia divina. — Ad cuius rei evidentiam recolendum est ex nn. 142 et seqq., quod relatio includat duas notiones **sola** *ratione* invicem distinctas, videlicet notionem *IN* et notionem *AD.*

α) Ex vi *prioris* notionis Relatio dicit ordinem ad **substantiam,** cuius est talis relatio :

β) per *aliam* vero notionem Relatio extremum illud, cuius est, **refert ad** aliud extremum.

Ex. gr. *Paternitas* in Adamo, si consideretur quoad notionem *IN,* afficit personam eiusdem Adami; si autem spectetur quoad notionem *AD,* refert Adamum *ad* Abelem. — Quibus notatis, sit

Conclusio II. *Personae divinae si considerentur quantum ad* **notionem** *IN, seu per ordinem ad divinam substantiam, sunt* **idem realiter** *cum divina substantia ; si autem considerentur quantum ad* **notionem** *AD, seu ad invicem, distinguuntur* **realiter** *inter se.*

Nota. Est ipsum Fidei dogma, quo profitemur Deum esse **unum** in Substantia et **trinum** in Personis.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Etenim Christus, Ioan. X, 30, ait : « *Ego* et *Pater* **unum** sumus»; item in I. Ioan. V, 7, S. Ioannes ait: « **Tres** sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiri- « tus Sanctus ; et hi **tres unum** sunt » (Cfr. etiam Ioan. XVI, 15 et XVII, 10 etc.). — In quibus propositionibus adverte *Personas Divinas,* quando **ad invicem** comparantur (sicut apparet ex parte **Subiecti** talium propositionum) numerari tamquam **realiter distinctas** et coniungi particula *ET ;* quando autem eaedem divinae Personae comparantur cum **divina essentia** (sicut contingit in praepositis

propositionibus affirmativis, consideratis ex parte **proprii praedicati**) dicuntur **unum** *neutraliter* seu **essentialiter identicae** inter se.

Ergo verissime Personae Divinae, quando comparantur cum **Divina Essentia,** seu considerantur *sub notione IN,* sunt **realiter identicae** cum Divina Essentia: quando autem eaedem divinae Personae *ad invicem comparantur,* seu considerantur ex parte *notionis AD,* sunt **realiter inter se distinctae,** et uniuntur cum coniunctione *ET.* (Cfr. Q. XXXI, art. 2 ad 4.m).

2.° *Ex traditione Patrum. A*) Pseudo Athanasius in suo symbolo inquit: « Neque *confundentes* Personas neque Substantiam *se-* « *parantes.* Alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus « Sancti; sed Patris et Filii et Spiritus Sancti **una** est **divinitas** etc. » (*Enchir.* n. 39).

B) S. Bernardus (Lib. V *De Consider.,* cap. 8) ait: « Persona- « rum proprietates *non aliud* quam Personas, ipsasque *non aliud* « quam **unum** Deum, **unam** Divinam Substantiam, **unam** Divinam « Naturam, **unam** et Divinam Maiestatem, Fides Catholica confitetur ».

3.° *Ex Conciliis. A*) Concilium Toletenum XI, cuius decreta dicuntur *authentica* ab Innocentio PP. III in epistola ad Petrum Compostellanum, in symbolo Fidei haec habet: « Sancta Trinitas, quae « unus et verus est Deus, nec recedit a numero, nec capitur nume- « ro. In relatione enim (*i. e. mutua referentia*) Personarum numerus « cernitur: in Divinitatis vero Substantia quid numeratum sit, non « comprehenditur. Ergo in hoc **solum** numerum insinuant, quod **ad** « **invicem sunt;** et in hoc (*solum*) numero carent, quod ad se sunt, etc. » (*Enchir.* n. 280).

B) In Concil. Later. IV, quum Abbas Ioachim falso imposuisset Magistro Sententiarum, quod induceret **quaternitatem** in divinis eo quod in Sententiis dixerat in Deo esse *tres Personas,* et *unam* **numero** *Essentiam* **quasi** *quartam rem,* Patres definierunt « quod una « quaedam summa res est incomprehensibilis quidem et ineffabilis, « quae veraciter est Pater et Filius et Spiritus Sanctus: tres simul « Personae, ac singillatim quaelibet earum. Et ideo in Deo solum- « modo *Trinitas* est, non *Quaternitas;* etc. » (*Enchir.* n. 432).

C) Concilium Florentinum in *Decreto pro Iacobitis,* loquens de Sancta Trinitate, ait: « Hae Tres Personae sunt unus Deus, et non « tres Dii, quia trium est una substantia, una essentia, una divinitas,

« una immensitas, una aeternitas, omniaque sunt unum ubi non ob-« viat relationis oppositio » (*Enchir.* n. 703).

4.° *Ratione S. Thomae.* Relatio realis in Deo exsistens, si consideretur sub notione *IN* (seu per ordinem ad divinam substantiam) identificantur realiter cum ipsa (Cfr. nn. 142 et 146): attamen una istarum relationum, si consideretur per ordinem ad aliam correlationem (aliis verbis si consideretur sub notione *AD*), dicit oppositionem relativam ad istam correlationem, consequenter *distinguitur realiter* ab ista. — Atqui Persona divina est relatio ipsa realis in Deo subsistens (Cfr. nn. 227 et seqq.). — Ergo Personae divinae, si considerentur per ordinem ad divinam substantiam, sunt realiter identicae cum ea; at si considerentur ad invicem, distinguuntur realiter inter se (Hic, o. — Cfr. Capreolum in I. *Sent.* Dist. XXXIII, Q. unica; item Suarez, Lib. IV. *De Trinit.* cap. 2; item Caiet. et Valentia, *Com.* in h. a.).

598. **Corollarium.** Hinc, si quis cum Sabellio argueret in hunc modum:

« Persona Dei Patris est realiter ipsa Deitas. — Persona Filii Dei « est realiter ipsa Deitas. — Ergo Persona Filii Dei est realiter ipsa « Persona Dei Patris »,

negandum est *consequens* et neganda est *consequentia,* quia variatur suppositio terminorum in argumento. Nam in propositionibus *maiori* et *minori* τὸ *Persona,* quum comparatur cum Deitate seu Divina essentia, accipitur secundum notionem *IN;* e contra, quum in conclusione Persona Patris et Persona Filii Dei comparantur inter se, manifeste τὸ *Persona* accipitur secundum notionem *AD.*

599. **Obiic.** *Quandocumque* Essentia *et* Persona *sunt* realiter *identicae, tunc* **uni** Essentiae reali *correspondet* **unica** Persona. — *Atqui in Deo* Essentia *est* realiter **unica** (Q. XI, art. 4, o). — *Ergo si* Personae Divinae *ponantur identicae* realiter *cum* Essentia Divina; *tunc vel* **perit** *realis Unitas* Essentiae Divinae, *si retineatur Trinitas* Personarum Divinarum; *vel, si conservatur Unitas* Divinae Essentiae, *non poterit amplius* **defendi** *realis Trinitas* Divinarum Personarum.

R. Dist. mai. *Quandocumque* Essentia *et* Persona *etc.,* si sermo sit de ente finito: *Concedo;* si autem habeatur sermo de ente infinito: *Nego.* — Concedo minorem: nego consequens; et dico, quod non *univoce* sed solummodo *analogice* possumus ex his, quae con-

veniunt rebus finitis, argumentare ad ea quae sunt propria entis infiniti (Cfr. Q. XIII, art. 5, o). Et hoc manifeste apparet circa relationem. Relatio namque in nulla creatura est *substantia;* e contra in Deo, in quo nullum accidens esse potest, relatio est *substantia* ipsius Dei. Et propter eamdem causam « in creaturis non potest « esse distinctio Suppositorum per (*solas*) Relationes (*secus Petrus et Paulus distinguerentur inter se* **solummodo** *per quoddam* **Acci-« dens,** *et non per propriam* **Subsistentiam**), sed oportet quod sit « per Essentialia principia: quia Relationes non sunt subsistentes in « creaturis. In divinis autem Relationes sunt subsistentes: (*et*) ideo, « secundum quod habent oppositionem ad invicem, possunt distin-« guere Supposita » (Hic ad 1.m — Cfr. Q. XXX, art. 1 ad 2.m).

α) Ad cuius pleniorem notitiam adverte:

1.° quod in ente finito realitas *absoluta* non est identica cum realitate *relativa,* sed adest realis distinctio inter utramque rem. E contra Ens infinitum, quia est quaedam res summa, transcendens omnem categoriam et omnes limites realitatis finitae, propterea absorbet in sua simplicitate totam perfectionem entis *absoluti* ac entis *relativi,* videlicet in Deo eadem realitas est simul absoluta et relativa. — Exinde sequitur

2.° quod formalitas constituens Personam, videlicet *subsistere incommunicabiliter,* est perfectio substantialis, sicut alibi diximus (Cfr. QQ. XXIX et XXX). Et quia in creaturis nulla relatio est substantia, propterea formalitas Personae in creaturis est semper aliquid *absolutum.* E contra, quia relatio realis in Deo est substantia eiusdem Dei, propterea formalitas Personae in Deo non solum potest denotare, sed etiam necessario debet significare relationem aliquam realem, prout ostendimus Q. XXIX art. 4. — Exinde sequitur

3.° quod, quum in creaturis essentia substantialis sit realitas complectens solummodo absoluta, et similiter quum in eis formalitas Personae sit principium aliquod substantiale absolutum reddens substantiam illam incommunicabiliter subsistentem, posito quod in re creata principium hoc, personalitatem formaliter faciens, esset identicum realiter cum essentia substantiae creatae, tunc ea res creata esset ex semetipsa realitas quaedam **solum** absoluta et incommunicabiliter subsistens, videlicet non posset subsistere nisi in unica persona creata. Ex. gr., si principium, *formaliter* faciens personalitatem in humana natura, esset **realiter** identicum cum essentia hu-

mana sive cum τῷ *Animali-Rationali,* tunc τὸ *Animal Rationale* esset **vi sui** subsistens incommunicabiliter; et consequenter non darentur **plures** numero distinctae Personae humanae... Quod patet esse falsum.

Ex opposito, quia principium, *formaliter* faciens Personalitatem in divinis, est aliqua relatio realis subsistens, et quia divina Substantia complectitur realitatem absolutam et realitatem relativam, posita identitate **reali** Substantiae divinae cum principio Personam divinam formaliter faciente, tunc Substantia divina remanet **una** in linea realitatis absolutae, simulque remanet **multiplex** in linea realitatis *relativae.* Aliis verbis divina Substantia remanet **una** quantum ad essentiam et attributa eius absoluta, simulque remanet **multiplex** quantum ad eius elementa relativa, seu Personas. Unde, attenta infinitate divinae naturae, bene cohaerent inter se *Trinitas* divinarum Personarum et *Unitas* divinae Naturae (Ibid.; et I. *Sent.* Dist. XXXIV, Q. I, art. 1, o).

600. **Inferes.** 1.° Ex eo, quod Substantia Divina complectitur totam realitatem **absolutam** et totam realitatem **relativam,** dum e contra Persona Divina continet totam realitatem Dei **absolutam,** sed non totam realitatem Dei **relativam** (nam ex. gr. in Deo *Paternitas* non complectitur *Filiationem* sed potius hanc excludit tamquam sibi oppositam), sequitur, quod, iuxta nostrum modum intelligendi, Persona Divina *distinguitur realiter* a Substantia Divina, inquantum scilicet τὸ *Substantia Divina* exprimit aliquid latius et uberius quam τὸ *Persona Divina.* Et propter hoc *Persona Divina* concipitur a nobis tamquam contenta sub *Substantia Divina;* quo modo *Petrus* continetur sub τῷ *Homine* (Cfr. hic ad 3.m).

2.° Rursum ex eo quod «*essentia* et *persona* in divinis differunt «secundum intelligentiae rationem, sequitur, quod aliquid possit «affirmari de *uno,* quod negatur de *altero* (*utputa dicendo: in Deo* «Persona *est* distincta, Essentia *vero non est* distincta), et per con«sequens, quod supposito **uno** (*ex. gr. Deitate*) non supponatur **al«terum** (Hic ad 2.m), i. e. Persona.

Art. II. Utrum sit dicendum Tres Personas esse unius essentiae.

601. Quoniam sermo et scientia nostra dependent a rebus, hisque debet conformari ad hoc ut veritatem habeant, propterea cogni-

ta ex art. praec. habitudine divinarum Personarum, tum per ordinem ad Dei substantiam, tum quoad mutuum earum ordinem, fluit sequens

Regula Generalis. Quoties loquimur de Personis divinis per ordinem ad *essentiam divinam,* aut quantum ad *mutuum illarum ordinem,* ita temperandus est sermo noster ut nec cum Arianis violetur **unitas** divinae substantiae seu essentiae nec cum Sabellianis pessumdetur **Trinitas** vera atque realis divinarum Personarum (Cfr. hic, o ; et Q. XXXI, art. 2, o). Ratio regulae ex terminis patet.

602. Verum, quia haec regula ob sui amplitudinem est admodum vaga, contrahenda est sub aliquibus magis particularibus formulis seu modis dicendi. Quod ut fiat, perpende in divinis

α) quaedam nomina esse *absoluta* vel *essentialia,* ex. gr. *bonitas, veritas, potentia, esse,* etc. ;

β) alia vero nomina esse *notionalia,* uti *Ingenitum, Paternitas, Spiratio Activa* etc. (Cfr. Q. XXXII, art. 3, o) ;

γ) alia demum nomina esse *Personalia,* puta *Pater, Verbum, Amor, Donum* etc. (Cfr. QQ. XXXIII et XXXVIII)

Ideoque in nostris sermonibus circa Trinitatem contingere potest, ut nomina *essentialia* seu absoluta, item nomina *personalia,* nec non nomina *notionalia,* praedicentur inter se, vel *simpliciter* et modo absoluto, vel *secundum quid,* videlicet *appropriando* quaedam nomina absoluta aliquibus Personis divinis, utputa dicendo *Sapientia est* **propria** *Filii Dei* etc. Unde ut omnia singillatim declarentur, agemus :

1.° de propositionibus in quibus *modo simplici* affirmantur invicem nomina *essentialia,* aut nomina *notionalia* aut nomina *personalia* (Art. praes. et quatuor seqq.) ;

2.° de propositionibus, in quibus sub *formula appropriationis* nomina *essentialia* de *Personis* praedicantur (Artt. 7-8 h. q.).

603. Circa primum sunt tria declaranda, videlicet :

1.° modus recte praedicandi nomina *essentialia* de nominibus *Personarum* (Art. praes. et seq.) ;

2.° modus recte praedicandi *adiectiva notionalia* de *nominibus essentialibus* (Artt. 4 et 5 h. q.) ;

3.° modus recte praedicandi nomina *Personarum* de nominibus *essentialibus* **concrete** *acceptis* (Art. 6 h. q.).

604. Circa modum recte praedicandi nomina Dei *essentialia* vel *absoluta* de nominibus Dei *personalibus,* duo sunt declaranda, nempe :

1.° modus quo nomen *Essentia* possit affirmari de *Tribus divinis Personis* (Art. praes.);

2.° modus quo *alia* Dei nomina *essentialia,* vel *absoluta,* praedicanda sint de *divinis Personis* (Art. seq.).

605. Ad art. praes. nunc deveniendo, nota, quod ex constituta reali identitate *essentiae divinae* cum *Personis divinis,* verae evidenter sunt omnes propositiones in quibus *essentia divina,* accepta **in recto,** praedicatur de *divinis Personis,* tam *seorsim,* quam *collectim* acceptis. Videlicet verissime dicitur:

α) Pater aeternus est **una** divina essentia; item

β) Pater et Filius Dei sunt **una** divina essentia. «*Ego et Pater* **unum** *sumus*» (Ioan. X, 30); ac tandem

γ) Pater, Verbum et Spiritus Sanctus sunt **una** divina essentia. «*Et hi tres* **unum** *sunt*» (I. Ioan. V, 7).

Unde *solummodo* videndum est: *An* τὸ una essentia, *accepta* **in casu obliquo,** *possit affirmari de* Personis divinis **simul** *sumptis.* — Sit itaque

606. Q. I. *An haec propositio:* Tres divinae Personae *sunt* unius essentiae, *sit vera?*

Ad huius quaestionis resolutionem memorandum est:

1.° ex Dialectica, quod verbum *sum, es, est,* quando construitur cum casu genitivo, habet significatum verbi *habere* vel *possidere:* ita quum dico «*Liber* est *Petri*» significo quod *Petrus* habet *vel* possidet *librum.*

α) Et, quia *totum* habet *partes,* et non e contra, ideo quando duae notiones, quae se habent tamquam *totum* et *pars,* invicem affirmantur per verbum *sum, es, est,* notio exprimens *totum* debet poni in casu *genitivo,* notio autem exprimens *partem* debet poni in casu *nominativo.* Ita recte loquor dicendo: *Italia* est *Europae,* non autem dicendo: *Europa* est *Italiae.*

β) Si tamen aliquod adiectivum, trahens *partem* ad standum pro *toto,* coniungatur cum notione *partis,* tunc notio *partis* copulata cum illo *adiectivo* potest poni loco *praedicati,* et notio *totius* ex parte *subiecti,* ut puta dicendo: *Totus Mundus* est *Romae Christianae,* i. e. pertinet ad Romam Christianam.

2.° Ex Ontologia nota, quod in compositis ex *materia prima* et *forma substantiali* individuum, praeter naturam specificam, compre-

hendit etiam principium individuationis, quod est *materia* signata *quantitate*. Cfr. Vol. I. *De Deo Uno*, nn. 201-204.

α) Et similiter in eisdem compositis *suppositum* seu *persona*, praeter naturam *individuam*, comprehendit etiam *principium* faciens formaliter naturam *personalem* seu subsistentem (Cfr. Vol. I, *De Deo Uno*, nn. 199 et seqq.). Ita ex. gr. si consideremus τὸ *Homo*, τὸ *Hic homo*, ac τὸ *Petrus*, apparet quod τὸ *Homo* comprehendit *sola* principia specifica videlicet *Animal Rationale*; τὸ *Hic homo* autem, sive individuum humanae naturae, continet, praeter τὸ Animal Rationale, *septem* principia individuationis, expressa versibus:

Forma, Figura, Tempus, Locus, Stirps, Patria, Nomen.
Haec ea sunt septem, quae non habet unus et alter.

Τὸ *Petrus* denique, videlicet Persona Humana, praeter naturam humanam individualizatam, comprehendit *subsistentiam personalem*.

3.° Est etiam considerandum inter illa *tria*, videlicet *naturam specificam, naturam individualizatam*, et *suppositum* seu *personam talis naturae*, quod:

α) *natura specifica* se habet tamquam *pars* vel *causa materialis* relate ad *naturam individualizatam*;

β) *natura* vero *individualizata* se habet tamquam *pars* seu *causa materialis* relate ad *suppositum* vel *personam* illius *naturae*. Constat.

4.° Et quia, sicut dictum est, *pars* dicitur **simpliciter** esse *totius, totum* vero dicitur esse *partis* **modificatae convenienti** *adiectivo*, ideo, accipiendo verbum *sum, es, est* in suo sensu naturali, recte dicimus:

α) *Natura humana* est *individui humani*, item

β) *Individua hominis natura* est *Petri*:

non dicitur autem recte et *simpliciter*, quod

γ) *Individuum humanum* est *naturae humanae*, vel quod

δ) *Petrus* est *individuae naturae humanae*;

potest tamen recte dici cum *adiectivo*, quod

ε) *Individuum humanum* est **unius** *naturae humanae*, et quod

δ) *Petrus* est **unius** *individuae naturae humanae*.

607. His praenotatis, statuitur

Conclusio. *Recte dicitur* α) **Tres divinas Personas esse unius essentiae,** *et* β) **Unam essentiam esse Trium divinarum Personarum.**

Nota. Conclusio ad Fidem pertinet.

Prob. 1.° *Ex auctoritate S. Augustini,* qui (Lib. II *Cont. Maximinum,* cap. 14, n. 3) ait: «*Pater* ergo et *Filius* unius sunt eius-«demque substantiae. Hoc est illud ὁμοούσιον quod in Concilio (*I*) «Nicaeno adversus haereticos Arianos a Catholicis Patribus verita-«tis auctoritate et auctoritatis veritate firmatum est... Quid est, in-«quam, ὁμοούσιον nisi *unius eiusdem substantiae?* Quid est, inquam, «ὁμοούσιον nisi *Ego et Pater* **unum** *sumus* (Ioan. X, 30)?» (Cfr. hic ad 2.m).

2.° *Ex auctoritate Conciliorum. A*) Synodus Constantinopolitana II (Generalis V), can. 1 definivit: «Si quis non confitetur *Patris,* et «*Filii,* et *Spiritus Sancti* **unam** naturam sive substantiam etc..., «anathema sit» (*Enchir.* n. 213).

B) Bracarense II, can. 1: «Si quis *Patrem* et *Filium* et *Spiritum* «*Sanctum* non confitetur **tres** Personas **unius** substantiae et virtutis «ac potestatis, sicut Catholica et Apostolica Ecclesia docet..., ana-«thema sit» (Ibid. n. 231).

C) Synodus Toletana XI in Symbolo Fidei ait: «Confitemur et «credimus... *Patrem* et *Filium Spiritum Sanctum,* unum Deum, natu-«raliter esse unius substantiae, unius naturae, etc.» (*Enchir.* n. 275. — Cfr. Conc. Tolet. III, *Assert. Fid.,* can. 4).

3.° *Ratione S. Thomae.* In rebus sensibilibus, quando comparamus *essentiam* alicuius speciei ad *individua* illius speciei, recte dicimus **plura** individua **unius** essentiae, et **unam** essentiam **plurium** individuorum. — Atqui loquimur de divinis per *analogiam* ad res sensibiles, nobis magis notas: item, iuxta nostrum modum theologizandi, *essentia divina* se habet ad *Personas divinas,* sicut *natura specifica* ad sua individua (Cfr. n. 600, 1.°). — Et ideo, loquendo de divinis, recte dicimus *Tres divinas Personas* esse **unius** *essentiae,* et *Unam essentiam* esse **trium** *divinarum Personarum.* Q. E. D. (Hic, o).

608. **Corollarium.** In quolibet ente *essentia* eius et ipsius *natura* sunt *realiter* identicae (Cfr. Vol. I. *De Deo Uno,* n. 200). Quemadmodum ergo verum est *Tres divinas Personas* esse **unius** *essentiae,* ita verissime dicitur *Tres divinas Personas* esse **unius** *naturae* (Cfr. hic ad 3.m et n. praec. 2, *A* et *C*).

609. **Scholium I.m** Licet **unitas** *Divinitatis* exprimatur tam dicendo *Tres Personas* **unius** *essentiae,* quam dicendo *Tres Personas*

unius *naturae,* **unitas** tamen Divinitatis exprimitur *magis convenienter* per *priorem* formulam quam per *alteram.*

Prob. *Ratione theologica.* Etenim *natura* significat rem prouti *principium* alicuius *operationis* (Cfr. Vol. I. *De Deo Uno,* n. 199). Unde ad hoc ut *plura subiecta* dicantur esse **unius** *naturae,* **sufficit** quod conveniant in *eadem* **una** *operatione,* quamvis habeant inter se **diversam** essentiam seu *entitatem:* ita ex. gr. *Ignis, electricum, motio corporalis,* etc. possunt dici **unius** *naturae,* inquantum conveniunt in *actu calefaciendi.* E contra *essentia* denotat *principium constitutivum* rei. Consequenter ad hoc ut plura sint **unius** *essentiae,* necesse est ut principia constitutiva **unius** sint eadem cum principiis constitutivis **uniuscuiusque** aliorum.

Sic igitur, quum dico: *Tres Personae* sunt **unius** *naturae,* denoto eas convenire in **uno** principio operationis: quum vero dico: *Tres Personae* sunt **unius** *essentiae,* significo **unam** *essentiam* esse communem illis tribus Personis. « Et ideo magis (*convenienter*) exprimi- « tur unitas divina per hoc quod dicitur quod *Tres Personae* sunt « **unius** *essentiae,* quam si diceretur quod sunt **unius** *naturae*» (Hic ad 3.m).

610. Q. II. *An dici possit* Tres divinas Personas esse **unius** definitionis ?

R. 1.° Si sermo sit de *definitione essentiali, adaequata et completa,* dici potest.

Prob. *Ratione theologica.* Definitio essentialis, adaequata et completa, est convertibilis conversione *simplici* cum ipsa re definita, sicut in Dialectica docetur. — Atqui trium divinarum Personarum est **una** tantum *essentia.* — Ergo ipsarum est **una** tantum definitio essentialis, adaequata et completa. — Si ergo ita *est,* potest consequenter *dici* quod trium divinarum Personarum sit **una** tantum definitio essentialis, adaequata et completa. Q. E. D. Huc faciunt verba Salvatoris dicentis ad Philippum: « Philippe, qui videt **Me,** videt et « **Patrem** » (Ioan. XIV, 9). Si namque videre *Deum Filium* est videre *Deum Patrem,* sequitur, quod *notio* seu *definitio essentialis, adaequata et completa* Filii Dei est ipsa notio seu *definitio essentialis, adaequata, et completa* Dei Patris. Atque ita ex Christi verbis sequitur quod **una** sit *definitio essentialis, adaequata et completa* tam *Dei Patris* quam *Dei Filii* (Cfr. S. August., Lib. VI. *De Trinit.* cap. 10).

R. 2.° Si sermo sit de *definitione essentiali, inadaequata et incompleta* Personarum S.mae Trinitatis, non potest dici *Trium Personarum* est **una** *definitio.*

Prob. *Ratione theologica.* Etenim, quamvis si daretur definitio *essentialis, adaequata et completa* Dei Patris, ea conveniret ad amussim Dei Filio et etiam Spiritui Sancto ; tamen definitio *essentialis, inadaequata et incompleta* Dei Patris non convenit nec Dei Filio, neque Spiritui Sancto. Ita ex. gr. ex eo quod definimus essentialiter, inadaequate et incomplete Deum Patrem per τὸ *Ingenitum,* non possumus ullo modo dicere *Dei Filium* esse *Ingenitum.* — Et ideo non eadem est **una** definitio *essentialis, inadaequata* et *incompleta* Dei Patris, Dei Filii ac Spiritus Sancti. — Consequenter Pater, et Filius et Spiritus Sanctus non sunt **unius** definitionis *essentialis, inadaequatae* et incompletae. Q. E. D. (Cfr. Bannez, *Com.* in h. a.).

611. Q. III. An sit concedenda haec propositio : *Tres Personae divinae sunt* ex **eadem** *aut* **una,** *vel* de **eadem** *aut* **una,** *essentia ?*

Pro solutione

Dico. *Proprie dici non potest :* Tres Divinae Personae sunt **ex** vel **de** una essentia.

Prob. *Ratione theologica.* Revera praepositio *EX* aut *DE* designat **proprie** habitudinem causae *efficientis* vel causae *materialis* in nomine ablativo quod afficit, non autem habitudinem causae *formalis* aut *finalis* (Cfr. infra Q. XLI, art. 3, o). Etenim *proprie* dico : *Filius est* EX *aut* DE *suo Patre :* at *minus proprie* dico : *Filius est* EX *aut* DE **imagine** *sui Patris,* vel : *Filius est* EX *aut* DE **lucro consequendo** *a suo Patre.*

Iamvero divina essentia non se habet *proprie* tamquam causa *efficiens,* nec tamquam causa *materialis,* relate ad tres Divinas Personas : patet.

Ergo *proprie* dici non potest *Tres Divinae Personae sunt* EX *vel* DE *una essentia* (Hic ad 5.m). Unde S. Augustinus (Lib. VII *De Trinit.,* cap. 6) inquit : « Tres Personas eiusdem essentiae, vel Tres « Personas unam essentiam dicimus ; Tres autem Personas **ex** ea- « dem essentia non dicimus, quasi **aliud** sit ibi quod essentia est, et « **aliud** quod Persona est ».

612. **Scholium II.m** Quia multae sunt **praepositiones** quibus affici potest nomen *essentiae divinae,* et per tales **praepositiones**

nomen *essentiae divinae* praedicari de **una** aut de **duabus** aut de **tribus** Divinis Personis, quum nimis molestum sit huiusmodi propositiones heic singillatim examini subiiciere atque ita de earum veritate diiudicare, ideo consultius est dare canonem generalem ad earum veritatem diiudicandam. Qui canon, tum ex praecedenti responsione, tum ex his quae Angelicus habet I. *Sent.*, Dist. XXXIV, Q. I, art. 2, o, colligitur.

α) Equidem nomen *casus ablativi* importat semper habitudinem alicuius **causae** relate ad nomen *casus nominativi* cum quo in propositione connectitur. Revera, quando dico *Petrus* habet *equum*, τὸ *equus* se habet tamquam *causa materialis* deserviens *Petro*, et ita porro de aliis. — Sunt autem *quatuor* causarum *genera: materialis* videlicet, *formalis*, *efficiens* et *finalis*. — Unde nomen *casus obliqui* potest unam ex his quatuor causis importare, prout ex *contextu sermonis* aut ex *indole* **praepositionis,** cum qua ille *casus obliquus* coniungitur, resultat

Iamvero *essentia divina* non se habet ad *Personam divinam* in ratione *causae materialis*, neque tamquam *causa finalis*, sed potest se habere tamquam *causa*, seu pars, *formalis* constituens (Cfr. n. 600, 1.°) Personas; item potest se habere tamquam *principium remotum* processionum divinarum Personarum (Cfr. Q. XXVII, art. 1, o).

Quocirca omnes illae propositiones, coagmentatae ex *essentia divina* et *Personis divinis*, significantes *essentiam divinam* se habere ad *Personas divinas* in ratione causae *Finalis* aut causae *Materialis* (utputa dicendo: *Personae divinae* **sunt** propter *Deitatem*, vel: *Personae divinae* **sunt** de *divina substantia*, etc.) reiiciendae sunt tamquam *falsae* vel **saltem** tamquam *male sonantes.*

β) Propositiones vero illae, in quibus *essentia Divina* significatur tamquam *principium radicale*, vel, secundum Graecos Patres (Cfr. n. 386), tamquam ἀιτία divinarum Personarum aut earumdem *causa formalis*, sunt concedendae tamquam verae. Hinc ex. gr. propositio: « *Personae divinae* fluunt a *divina essentia* » potest concedi, quoniam designatur essentia divina tamquam *fontalis* origo divinarum Personarum. Similiter « oportet dici, quod (*Personae divinae*) « sint IN eadem essentia, quia haec praepositio IN potest denotare « habitudinem causae *formalis* continentis » (I. *Sent.*, loc. cit. ad 3.m) sub sua amplitudine (Cfr. n. 600, 1.°) Personas divinas. Unde et

Christus inquit ad Philippum : « Ego IN Patre, et Pater IN me est » (Ioan. XIV 10).

Art. III. Utrum nomina essentialia praedicentur singulariter de tribus Personis.

613. Circa titulum adverte, ex prius (Cfr. n. 602) dictis, nomina *essentialia* esse illa, quae *substantiam* seu *essentiam* divinam significant absque *ulla* divinarum Personarum *insinuatione*.

614. Τὸ *nomen* vero hic accipitur *large*, secundum quod scilicet comprehendit, tam illud quod grammatici vocant *substantivum*, quam illud quod vocatur *adiectivum;* ita ut in praesenti articulo τὸ *nomina essentialia* denotent quemlibet terminum significantem attributum aliquod Dei *absolutum*.

615. Compertum est autem huiusmodi nomina Dei *essentialia* posse exprimi, vel sub forma *abstracta*, puta dicendo: *Deitas*, *Bonitas*, *Sapientia*, *Sanctitas* etc., vel sub forma *concreti*, utputa dicendo : *Deus*, *Bonus*, *Sapiens*, *Sanctus*, etc.

616. Rursum haec nomina, sive *abstracte*, sive *concrete* expressa, possunt habere

α) vel formam numeri *singularis*, ut quum dico : *Sapiens*, *Sapientia*, *Bonitas*, *Bonum*, etc. ;

β) vel formam numeri *pluralis*, ut si dicerem : *Bonitates*, *Bonae*, *Sapientiae*, *Sapientes*, etc.

617. Quibus constitutis, inquiritur :

Nomina essentialia Dei, sive *substantiva* sive *adiectiva*, expressa tam *abstracte* quam *concrete*, possuntne sub *forma numeri pluralis* affirmari de *tribus divinis Personis*, utputa dicendo : *Pater*, *Verbum*, *et Spiritus Sanctus sunt* **Dii,** vel **Bonitates,** aut **Boni,** aut **Sapientiae** vel **Sapientes,** etc. ?

En obiectum assumptum in articulo ad discutiendum.

618. Ut vero evidens ab obscuro separetur, sit

Conclusio I. *Nomina Dei* **essentialia, substantiva** *et* **abstracte expressa,** *si sub forma* **numeri pluralis** *accipiantur, non possunt, nec de* **duabus,** *nec de* **tribus** *divinis Personis, affirmari.*

Nota. Est doctrina communis.

Prob. simulque declaratur. *Ratione theologica.* Equidem de divi-

nis Personis non potest affirmari aliquid in eis realiter non exsistens, nec purum nihilum. Constat.

Atqui nomina Dei *essentialia*, *substantiva* et *abstracte* expressa, ex. gr. *Deitas*, *Omnipotentia*, *Aseitas* etc., si in *numero plurali* accipiantur, denotant aliquid realiter non exsistens, seu exprimunt purum nihilum. Revera non dantur *plures* numero *Deitates*, nec *plures* numero *Omnipotentiae*, nec *plures* numero *Aseitates* etc. : patet.

Ergo nomina Dei essentialia, substantiva, et abstracte expressa, si etc. Q. E. D. (Cfr. art. 5 h. q. ad 5.m).

619. Omissa igitur, utpote inutili post dicta, consideratione nominum Dei essentialium, substantivorum, et abstracte expressorum, movetur quaestio circa Dei nomina *essentialia*, *substantiva* et *concrete* expressa. — At

Dices. *In Deo* abstractum *est idem cum* concreto (Cfr. Q. III, art. 3, o). *Sed ostendimus quod* nomina essentialia Dei, substantiva *et* accepta in abstracto, *nonnisi* singulariter *possunt de* duabus *aut* tribus *divinis Personis praedicari. Ergo hoc idem tenendum est de* nominibus Dei essentialibus, substantivis et concrete acceptis.

R. Dist. mai. In Deo abstractum est idem *realiter* cum concreto : *Concedo ;* est idem *quoad modum significandi* etc. : *Nego.* — Concedo minorem et nego consequens. Dico igitur, quod in Deo licet *abstractum* et *concretum* sint *realiter* idem, differunt tamen *quoad modum significandi.* Nam sicut in creaturis *Sanitas* significat *id quo* Animal constituitur Sanum, dum *Sanum* significat subiectum *habens Sanitatem*, sive *quod habet Sanitatem ;* ita et similiter in Deo *Sapientia* significat *id quo* Deus est Sapiens ; *Sapiens* vero denotat *eum qui habet Sapientiam.* — Iamvero in divinis sunt *tres Personae* quae habent Sapientiam, licet *Sapientia*, qua denominantur Sapientes, sit *una.* — Et sic apparet, quod nomina *abstracta* praedicentur *singulariter* de Deo, et nomina *concreta*, *pluraliter.*

Remanet nunc videndum, an haec regula sit vera universaliter quantum ad omnia nomina Dei essentialia concrete sumpta : et in hunc finem militat praesens articulus.

620. Ad cuius solutionem praenoto :

1.° quod nominum Dei essentialium quaedam sunt *substantiva* (seu significant *modo substantivo* perfectiones Dei essentiales), uti *Essentia, Substantia, Deitas, Sapientia,* etc. Alia vero sunt *adiectiva* (seu divinas perfectiones essentiales vel absolutas significant tam-

quam *stantes in Deitate*), utputa *Sapiens, Iustus, Omnipotens*, etc.

α) **Nota.** Generalis differentia inter nomen *substantivum* et nomen *adiectivum* haec est: Nomen *substantivum* (quodlibet!) **rem**, quam significat, exhibet tamquam *in se* stantem, licet talis res **ex parte sui** non sit *in se* sed *in alio:* ita *lux*, *motus*, *calor* etc. videntur significare rem ut *in se* stantem, quamvis tales res sint **solummodo** *in aliquo* tamquam subiecto inhaesionis. — Ex opposito nomen *adiectivum* (quodcumque illud sit!) rem, quam significat, exprimit tamquam rem *alteri adiectam* seu inhaerentem in aliquo subiecto, etsi illa res **ex parte sui** sit *in se* et *non in aliquo subiecto*. Ex. gr. τὸ *Rationale* exprimit aliquam perfectionem *substantialem* tamquam *inhaerentem in subiecto*, quamvis perfectio τοῦ *Rationalis* exprimit aliquid constituens *substantiam* essentialiter *humanam* (Cfr. hic, o).

2.° Adverte quod substantia, *concrete* accepta, habet *esse in se;* dum accidens, *concrete* sumptum, habet *esse in subiecto* non autem *in se*. — Atqui *unum* sequitur *ens* et huic (i. e. τῷ *esse*) proportionatur. — Ergo ad hoc ut substantia, *concrete* accepta, habeat *pluralitatem numericam*, oportet quod habeat **plura numero** *esse in se*. — Atqui est impossibile, quod **una numero** entitas physica substantiae habeat **plura numerice** *esse in se* seu *plures subsistentias*.—Ergo ad hoc ut substantia, *concrete* accepta, habeat *pluralitatem numericam* sive **plura** *esse in se*, oportet quod illa substantia exsistat *realiter* distincta in *pluribus* numero *Suppositis* seu *Personis*. Ex. gr. τὸ *Homo* ad hoc ut habeat *pluralitatem numericam*, seu *plura esse in se*, oportet quod exsistant *plures* realiter *Personae*, quarum unaquaelibet habeat naturam humanam *entitative realiter distinctam* ab humana natura quae invenitur in alia Persona.

E contra ad hoc ut accidens, *concrete* acceptum, habeat *pluralitatem numericam*, seu **plura numero** *esse in alio*, **sufficit** ut exsistant *plura* numero *subiecta* in quibus tale accidens **simultanee** inhaereat. Revera dato quod exsisterent *plura* numero *subiecta*, in quibus **simultanee** eadem physica entitas accidentis inhaereret (ex. gr. si duo circuli aenei se contingent, **idem unus numero** punctus geometricus coëxsisteret **simultanee,** tam in *uno*, quam in *altero* circulorum), verificaretur quod entitas huiusmodi accidentalis haberet *plures* numero *inhaerentias*, consequenter plura *esse in alio*, et sic *pluralitatem numericam*. — Hinc

621. **Principium I.m** Quamvis ad hoc ut realiter exsistant *plures numero substantiae* finitae requiratur in concreto quod realiter exsistant plura Supposita, quorum unumquodque habeat *entitatem* substantialem propriam necnon propriam *subsistentiam*, **distinctas realiter** ab *entitate substantiali* et a *subsistentia* **propriis** cuiusque alterius Suppositi : et similiter (loquendo de *accidentibus concretis*) quamvis ad hoc ut realiter exsistant *plura numero* subiecta participantia *formam accidentalem*, **requiratur** quod realiter exsistant subiecta *entitative realiter* plura, et in unoquoque eorum forma accidentalis *propria* talis subiecti (Cfr. Q. XXXVI, art. 4 ; et P. III, Q. III, art. 7 ad 2.m) : tamen universalius considerando *indolem* tum *substantiae* tum *accidentis*, ad hoc ut de facto habeantur *plures* numero *substantiae finitae* et *eiusdem naturae*, **est omnino necessarium** ut exsistant plura Supposita, quorum unumquodque habeat entitatem substantialem **talis** naturae, *distinctam realiter* ab entitate substantiali talis naturae quae adest in **quolibet** alio Supposito ; ex opposito ad hoc ut exsistant *plura* numero *accidentia* eiusdem naturae, **sufficit** ut exsistant *plura* numero *supposita* inter se realiter distincta, et in unoquolibet eorum *inhaereat simul* **eadem entitas phisica** accidentis. Ex. gr. quia eadem entitas physica puncti geometrici exsistit **simultanee** inter duos circulos se tangentes, talis punctus, ex hoc quod habeat *duo* **realiter** *distincta* **inesse,** est *dualis numero*.

α) Unde verum est, quod, ut **substantia** finita et concreta dicatur seu exsistat *pluraliter*, est omnino necessarium quod **simul** multiplicetur **numero** tum *physica entitas* ipsius substantiae, tum *supposítalitas* eiusdem substantiae.

β) E contra ad hoc ut **accidens** dicatur seu exsistat *pluratiter*, sufficit quod **solummodo** existant plura *realiter distincta* Supposita vel subiecta, in quibus tale accidens *inhaereat* (Hic, o. Cfr. Caiet. *Com.* in h. a.).

622. Iamvero nomina supponunt pro rebus, quas significant. Rursum « nomina *substantiva* significant aliquid per **modum** sub- « stantiae ; nomina vero *adiectiva* significant aliquid per **modum** « accidentis, quod inhaeret subiecto » (Hic, o. Cfr. n. 620, α). Et ideo

α) **Principium II.m** « Nomina (*concreta*) substantiva non dicun- « tur *pluraliter*, nisi multiplicentur *formae* et *Supposita* simul ; adie- « ctiva autem (*nomina concreta*) dicuntur *pluraliter* si vel **sola** *Sup-* « *posita* multiplicentur. Ratio est ; quia substantiva (*concrete expres-*

« *sa*) significant *formam* et *Suppositum* tamquam **unum** subsistens ; « adiectiva vero (*concrete expressa*) significant *formam* et *Supposi-* « *tum* tamquam **duo,** formam scilicet ut in Supposito exsistentem » (Sylvius, *Com.* in h. a.).

623. Sciendum est ulterius, quod Marsilius de Inghem (m. 1394) in I. *Sent.* Q. V, art. 2 ad 5.m contendit quod possit in rigore theologico dici « *Patrem et Filium et Spiritum Sanctum esse tres Deos* », quamvis admittat Ss. Patres noluisse concedere *tres divinas Personas esse tres Deos* ne daretur Iudaeis atque ethnicis causa nos incusandi de polytheismo.

Item sensit Petrus de Aliaco in I. *Sent.* Dist. III, Q. unica quam super hac re ipse edidit (Cfr. Bannez, *Com.* in h. a.). — Alios similia dicentes refert noster P. Seraphinus Capponi a Porrecta in *Append.*

Contra eos tamen statuitur

Conclusio II. *Si in divinis nomina essentialia concreta sumantur* **substantive,** *nequeunt praedicari* **pluraliter** *de tribus divinis Personis* **simul acceptis:** *ita ut dici nequeat quod* **Tres divinae Personae** *sunt* **tres Dii.**

Nota. Conclusio pertinet ad Fidem.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Haec namque, etsi nos doceat exsistere in divinis *tres Personas,* nullibi tamen dicit exsistere *tres Deos* sed ubique exsistere *unum solum Deum* inculcat. — Ergo dici nequit: *Tres divinae Personae sunt* **tres Dii.** — Prob. antec. Revera Deut. VI, 4 legitur: « Audi, Israël, Dominus Deus noster *Dominus* **unus** est ». Et Rom. III, 30 Apostolus ait: « **Unus** est *Deus* qui iustificat etc. ». Et ad Ephes. IV, 5: « **Unus** *Dominus,* una Fides, unum Baptisma ».

2.° *Ex Ss. Patribus. A*) Pseudo Athanasius in Symbolo dicit: « Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus ; et tamen *non* « *tres* Dii sed **unus** est Deus ».

B) S. Gregorius Natianzenus (Tract. *De Fide*) inquit: « Tres « Personas **unius** essentiae, **unius** maiestatis atque potentiae credi- « mus : et ideo **unum** Deum confitemur, quia *unitas* maiestatis plu- « rium vocabulo **Deos** prohibet appellari. Patrem et Filium catholice « nominamus, *duos* autem *Deos* dicere nec possumus nec debemus ».

C) S. Ambrosius (Lib. I. *De Fide,* cap. 2) dicit: « **Unum** Deum, non *duos* aut *tres* Deos dicimus ».

D) S. Augustinus (Lib. I. *De Trinit.* cap. 4) scribit: « Omnes « quos legere potui, qui ante me scripserunt de Trinitate, quae est « Deus, divinorum librorum veterum et novorum Catholici Tractato- « res hoc intenderunt secundum Scripturas docere, quod *Pater* et *Fi- « lius* et *Spiritus Sanctus* **unius** eiusdemque substantiae inseparabili « aequalitate divinam insinuant unitatem: ideoque *non sunt* **tres** Dii « sed **unus** Deus ».

3.° *Ex Conciliis. A*) Syrmiensis Synodus in *Symbolo Fidei,* can. 22: « Si quis, ait, *Patrem* et *Filium* et *Spiritum Sanctum* **tres** « dicit Deos, anathema sit » (Cfr. Carranza, *Sum. Concil.* etc.).

B) Concilium Rom. IV celebratum an. 380, anathematismo 20 habet: « Si quis non dixerit *Patris* et *Filii* et *Spiritus Sancti* **unam** « divinitatem potestatem, maiestatem, potentiam, **unam** gloriam, do- « nationem, **unum** regnum atque **unam** voluntatem et veritatem, « anathema sit » (*Enchir.* n. 78).

C) Lateranensis Synodus I, celebrata sub Martino I an. 649, can. 1 definivit: « Si quis secundum Sanctos Patres non confitetur « proprie et veraciter *Patrem* et *Filium* et *Spiritum Sanctum* Trinita- « tem in **unitate** et unitatem in **Trinitate,** hoc est *unum Deum* in « tribus subsistentiis consubstantialibus et aequalis gloriae, *unam* « *eamdemque* trium Deitatem, naturam, substantiam, virtutem, poten- « tiam, regnum, imperium, voluntatem, operationem, inconditam sine « initio, incomprehensibilem, immutabilem, creatricem omnium et pro- « tectricem, condemnatus sit » (*Enchir.* n. 254).

D) Lateranense IV, cap. *Firmiter,* definivit: « Firmiter credimus « et simpliciter confitemur quod **unus** solus est verus Deus, aeter- « nus, immensus et incommutabilis... *Pater,* et *Filius*, et *Spiritus* « *Sanctus; tres* quidem Personae sed **una** essentia, substantia seu « natura simplex omnino etc. » (*Enchir.* n. 428).

E) Synodus Vaticana, Sess. III, cap. 1, ait: « Sancta Catholica « Apostolica Romana Ecclesia credit et confitetur **unum** esse Deum « verum et vivum etc. » (*Enchir.* n. 1782).

Ex quibus omnibus apparet Concilia simpliciter et absolute damnasse hanc propositionem « Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt « **tres** Dii », definivisse autem hanc alteram « Pater et Filius et Spi- « ritus Sanctus sunt **unus** Deus ». — At Concilia modo absoluto non damnant propositiones quae possunt habere sensum catholicum, nec definitive approbant propositiones quae pati possunt haereticum sen-

sum. — Ergo quia Concilia Generalia profitentur « tres Personas di-« vinas esse **unum** Deum »; detestantur vero dicere « tres Personas « divinas esse **tres** Deos » sequitur, quod nomen **Deus** de tribus divinis Personis **simul sumptis** non *pluraliter* sed *singulariter* est praedicandum. — Sed τὸ *Deus* est evidenter nomen *essentiale, substantivum* et *concrete* expressum. — Ergo in divinis nomina *essentialia, substantiva* et *concrete* accepta, nonnisi in numero singulari possunt de *duabus* aut de *tribus* divinis Personis, **simul** acceptis, affirmari.

4.° *Ratione S. Thomae.* Nomen substantivum et concretum significat rem tamquam substantiam concretam, propterea sequitur conditionem substantiarum concrete acceptarum. Unde si **res** designata a nomine substantivo, sit *essentialiter indivisibiliter* **unica,** nomen substantivum et concretum **illius rei,** sive dicatur de *uno* individuo, sive dicatur de *pluribus* individuis, debet praedicari semper sub forma *numeri singularis.*

Atqui quaelibet *res essentialis* concipiatur in Deo, ea est semper *omnino indivisibiliter* **unica :** patet.

Et ideo nomen *substantivum concretum,* quod significat *essentiam Dei,* debet praedicari *semper* sub forma *numeri singularis,* tam si de **una,** quam si de **pluribus** divinis Personis *simul* acceptis fiat sermo. — Unde istae : « Pater est **unus** Deus », item : « Pater et Filius « sunt **unus** Deus », item : « Pater et Filius et Spiritus Sanctus sunt « **unus** Deus » sunt propositiones verae (Hic, o).

624. Statuitur inde

Conclusio III. *Si nomina Dei essentialia accipiantur concrete et adiective, tunc debent praedicari sub forma* **singulari** *si de* **una** *Dei Persona, et sub forma* **plurali** *si de* **pluribus** *divinis Personis* **simul** *acceptis affirmantur.*

Nota. Est certa apud omnes.

Prob. 1.° *Ex Concil. Later. IV,* ubi sic legitur : « Firmiter cre-« dimus et simpliciter confitemur quod... Pater generans, Filius na-« scens et Spiritus Sanctus procedens *consubstantiales* et *coaequa-« les* et *coomnipotentes* et *coaeterni,* etc.» (*Enchir.* n. 428). Ubi vides adiectiva *essentialia* dici pluraliter de tribus Divinis Personis **simul** sumptis.

2.° *Ratione theologica.* Nomen adiectivum concretum significat rem tamquam accidens concretum, unde accipit pluralitatem numeri-

cam quo modo alia accidentia concreta. — Atqui accidens concretum accipit pluralitatem numericam, quando sunt plura numero subiecta seu supposita in quibus simul invenitur tale accidens. — Ergo et *a pari* nomen adiectivum concretum debet praedicari *pluraliter* quando plura numero sunt subiecta seu supposita in quibus invenitur **res** significata ab illo nomine adiectivo.

Atqui, considerando quodlibet nomen Dei essentiale expressum concrete et adiective, **res** significata ab illo nomine, eadem **una** numero, *simultanee* exsistit in *tribus* divinis Personis.

Ergo nomen Dei essentiale, expressum concrete et adiective, debet *singulariter* praedicari, quando fit sermo de **una** divina Persona; debet autem *pluraliter* affirmari, quando fit sermo de **pluribus numero** divinis Personis **simul** acceptis (Cfr. hic, o).

625. **Scholium** « Haec igitur est ratio quare Socratem et Pla« tonem et Ciceronem dicimus **tres** *homines;* Patrem autem et Fi« lium et Spiritum Sanctum non dicimus **tres** *Deos* sed **unum** « *Deum:* quia in tribus (*memoratis*) suppositis humanae naturae sunt « **tres** (*numero*) humanitates, in tribus autem (*divinis*) Personis est « **una** (*numero*) divina essentia. — Ea vero quae significant essen« tiam *adiective*, praedicantur pluraliter de tribus propter pluralita« tem suppositorum. Dicimus enim **tres** exsistentes vel **tres** sapien« tes aut **tres** aeternos et increatos et immensos, si *adiective* su« mantur. Si vero *substantive* sumantur, dicimus **unum** increatum, « immensum et aeternum, ut (*pseudo*) Athanasius dicit in Symbolo Fidei » (Hic, o).

α) Coeterum advertendum est « quod diversae linguae habent « diversum modum loquendi. Unde, sicut propter pluralitatem suppo« sitorum (*in Deo exsistentium*) Graeci dicunt tres hypostases, ita et « in Hebraeo dicitur pluraliter Elohim. Nos autem non dicimus plu« raliter neque Deos neque substantias, ne pluralitas ad substantiam « (*idest essentiam divinam*) referatur (Hic ad 2.m). — At

626. Q. I. Utrum hoc nomen «**Res**» debeat *singulariter* an *pluraliter* dici de divinis Personis?

R. Potest dici tam *singulariter,* quam *pluraliter.*

Prob. *utraque pars* **simul.** Etenim « hoc nomen «**Res**» est de « transcendentibus: (*potest consequenter significare tam* **substan« tiam** *quam* **relationem** *in Deo*). Unde (τὸ *Res*) secundum quod « pertinet ad *relationem,* **pluraliter** praedicatur in divinis; secun-

« dum vero quod pertinet ad *substantiam,* **singulariter** praedicatur.

α) « Unde Augustinus (Lib. I. *De Doctr. Christiana,* cap. 5) di-« cit (*quandoque* **singulariter**) quod eadem *Trinitas quaedam* **summa** « **res** est » (Hic ad 3.m). Et similiter Conc. Later. IV, cap. *Damnamus* ait: « Nos... credimus et confitemur... quod **una** quaedam **sum-« ma res** est, incomprehensibilis quidem et ineffabilis, quae veraci-« ter est Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus etc. » (*Enchir.* n. 432).

β) Quandoque vero idem S. Augustinus accipit τὸ **res** *pluraliter,* de Deo loquens, sicut quando Loc. cit. dicit: « **Res,** quibus fruen-« dum est, **sunt** Pater et Filius et Spiritus Sanctus ».

627. **Corollarium I.**m Ergo et similiter τὸ **Unum** transcendentale si referatur ad substantiam divinam, debet praedicari **singulariter** de tribus divinis Personis **simul** acceptis; si autem referatur ad relationes personales, debet affirmari **pluraliter** de eisdem tribus divinis Personis (Cfr. Q. XXX, art. 3, ò).

628. Q. II. An τὸ **Ens** possit *pluraliter* dici de tribus divinis Personis?

R. « Nomen **entis** sumitur ab **esse** rei. Et ideo, cum unum et « idem sit **esse** trium Personarum, (*propterea*)

α) « si **ens** sumatur *substantive,* non potest **pluraliter** praedica-« ri de tribus personis; quia forma, a qua imponitur, scilicet **esse,** « non multiplicatur in eis.

β) Si autem (τὸ **ens**) sumatur *participaliter* et *adiective,* sic **plu-« raliter** praedicari potest; quia huiusmodi (*nomina adiectiva et par-« ticipia*) recipiunt numerum a suppositis et non a forma significata, « ut (*Cfr. n. 622,* α) dictum est» (I. *Sent.* Dist. XXV, Q. I, art. 4, o).

629. **Corollarium II.**m Eodem modo ostenditur quod, si τὸ *Bonum* ac τὸ *Verum* accipiantur *adiective,* dicuntur *pluraliter* de tribus divinis Personis; si autem accipiantur in vim nominis *substantivi,* tunc nonnisi *singulariter* debent praedicari de tribus divinis Personis *simul* acceptis.

630. **Corollarium III.**m Item « sicut trium Personarum **una** est « Essentia qua quaelibet habet **esse,** quamvis sint plures proprieta-« tes quibus distinguuntur (quae tamen omnes non differunt secun-« dum **rem** ab essentia — *Cfr. art. 1 h. q.*), ita etiam est **una** Veri-« tas trium Personarum ex parte ipsius **rei** de qua fit enuntiatio » (I. *Sent.* Dist. XIX, Q. V, art. 3 ad 1.m — Cfr. ibid. art. 2 ad 5.m).

α) Unde nonnisi *singulariter,* sicut nomina alia *absoluta,* potest τὸ *Veritas* praedicari de tribus divinis Personis.

β) Eodem modo declaratur quod τὸ *Bonitas* nonnisi *singulariter* de tribus divinis Personis potest praedicari.

631. Q. III. An τὸ **Aliquid** possit *pluraliter* de tribus Dei Personis affirmari ?

R. *Negative.* « Nam τὸ **aliquid** idem est quod *aliud* quid. In « divinis autem licet sit **alius** et **alius** (*Cfr. Q. XXXI, art. 2 ad « 4.m*), non tamen **aliud** et **aliud** » (Gonet, Disp. VI *De Trinit.* art. 2, *fin.*). — Et ideo

α) τὸ **aliquid** nonnisi *singulariter* poterit affirmari, tam de *una,* quam de *pluribus* Dei Personis *simul* sumptis ;

β) τὸ **aliquis** tamen, sive *alius quis,* quum sit *adiectivus* masculini generis, dicitur *pluraliter,* quando de pluribus Dei Personis **simul** acceptis affirmatur ; dicitur vero *singulariter,* quando de **unaquaque** Dei Persona *seorsim* enunciatur, utputa : *Deus Pater* est **aliquis,** *Deus Pater et Deus Filius* sunt **aliqui,** i. e. *alii qui,* etc.

632. Q. IV. An hoc nomen **Persona** debeat dici *pluraliter* de tribus Dei Personis **simul** acceptis ?

R. *Affirmative.* Enimvero « forma, significata per hoc nomen « **Persona,** non est essentia vel natura sed personalitas. Unde, cum « sint **tres** personalitates, idest **tres** personales proprietates, in Patre « (*scilicet*) et Filio et Spiritu Sancto, (*propterea* τὸ *Persona*), non « singulariter, sed pluraliter praedicatur de tribus » (Hic ad 4.m) divinis Personis, quando **simul** accipiuntur.

Coeterum adverte, quod, quamvis τὸ **Deus** ac τὸ **habens Deitatem** significent realiter idem, differunt tamen quantum ad modum significandi ; quia τὸ **Deus** habet formam nominis *substantivi,* dum τὸ **habens Deitatem** habet formam *adiectivi.* Unde, quia in divinis nomina *substantiva* praedicantur **singulariter,** dum nomina *adiectiva* praedicentur **pluraliter,** inde provenit, quod nomen **Deus** nonnisi *singulariter* praedicatur de *tribus* divinis Personis, dum nomen adie- « ctivum **habens Deitatem** dicitur *pluraliter,* tam de *duabus,* quam de *tribus* divinis Personis (Hic ad 1.m).

ART. IV. UTRUM NOMINA ESSENTIALIA CONCRETA POSSINT SUPPONERE PRO PERSONA.

633. Altera (Cfr. n. 603, 2.°) nunc instat problematis pars. Etenim, sicut Logici dicunt, «prior est nominis *significatio* quam *suppo-*« *sitio.* Id enim *significatur* per nomen quod est eius propria ratio, « ad quam (*scilicet*) significandam est impositum. Id vero *supponitur,* « quod directe continetur sub ipso nominis *formali significato,* ut in-« dividuum (*continetur*) sub natura communi specifica. — Constat au-« tem nominis praedicationem ad eius *formalem praedicationem* per-« tinere, secundum quam (*tale nomen*) subiecto attribuitur. — Igitur, « explicato praedicationis modo divinorum nominum essentialium, « disserit S. Doctor de (*ipsorum*) suppositione.

« Et primo in hoc articulo quoad nomina *in concreto* sumpta, quo-« rum proprie est suppositio.

« Deinde in art. seq. de eisdem (*nominibus*) agit *abstracte* consi-« deratis ; quibus, ut sic, non convenit (*proprie*) suppositio » (Nazarius, *Com.* in h. a.).

634. Circa titulum h. ar. praenoto ex art. 2 Q. XXXII **notionem** in divinis significare perfectionem quamdam in Deo formaliter exsistentem, atque manifestantem nostro intellectui in hac vita **distincte** unam aut alteram Ss. Trinitatis Personam.

α) Quare terminus *notionalis* est, qui insinuat aliquam divinae Trinitatis **notionem.**

635. Deinde circa eumdem titulum articuli nota per *nomen Dei essentiale concretum* designari non solum terminum concretum, qui sit *nomen,* sed etiam illum qui fuerit aut *adiectivum* aut *participium* aut *verbum* (Cfr. *Prolog.* S. Thom. in h. Q.), dummodo talis terminus significet *concrete* perfectionem aliquam *essentialem* Dei, quales termini sunt ex. gr. *Creator, Gubernator, Regens, Conservat,* et huiusmodi.

363. Ex dialectica denique recolito *suppositionem formalem* esse acceptionem *termini* seu *vocis* seu *nominis* pro **re** significata a tali *termino.* Ex. gr. in hac propositione : «*Plato exsistit*» positio termini **Plato** loco entitatis physicae individui humani, quod vocatur **Plato,** dicitur *suppositio formalis* huius nominis seu termini «**Plato**».

637. Unde sensus praesentis articuli est huiusmodi :

Utrum in sermone theologico nomen **essentiale concretum Dei** *poni possit ad significandum* unamquamque *Personam S.mae Trinitatis?;*

utputa loco dicendi : « *Verbum est Filius* **Patris coelestis** » dicere : « *Verbum est Filius* **Dei** ».

638. Pro cuius quaesiti resolutione Angelicus, ut omnem devitet confusionem, exemplificat suum sermonem considerando specialiter nomen essentiale concretum **Deus.** Id tamen quod circa istud nomen concludit, valet etiam de nomine **Dominus** et de quovis alio nomine Dei *essentiali* concreto. Sit igitur quaestio

639. *Utrum* in sermone theologico *hoc nomen essentiale concretum* **Deus** *possit supponere pro qualibet S.mae Trinitatis Persona?*

A) « Quidam (*ex antiquis theologis, quos deinceps sequutus est « Calvinus — Cfr.* Capponi, *Append. in h. a.*) dixerunt quod hoc no- « men **Deus** et similia (*Dei nomina essentialia et concreta*) proprie « secundum suam naturam supponunt pro essentia, sed ex adiuncto « notionali (*Cfr. n. 634*) trahuntur ad supponendum pro Persona. — « Et haec opinio processisse videtur ex consideratione divinae sim- « plicitatis quae requirit quod in Deo idem sit **habens** et **quod ha- « betur.** Et sic habens Deitatem, quod significat hoc nomen **Deus,** « est idem quod **Deitas** » (Hic, o). Deitas autem non videtur posse supponere pro aliqua Persona S.mae Trinitatis. — At

a) *Reiicienda est haec opinio.*

Prob. *Ratione theologica.* Etenim « in proprietatibus locutionum non tantum attendenda est res significata, sed etiam modus significandi » (Hic, o). Hoc ipso namque quod *Plato-puer* et *Plato-senex* significant **diverso modo** eamdem Platonis personam, non licet quae de *Platone-puero* dicuntur eadem affirmare de *Platone-sene.*

« Praedicta autem opinio significationem tantum (*nominis* **Deus**) « inspexit, ad quam spectat idem (*realiter*) esse *Habentem* et *Rem habitam* » (Caiet., *Com.* in h. a.).

Et ideo, ut dicatur nomen **Deus** non posse proprie supponere pro **Persona,** non sufficit attendere ad solam illius nominis *significationem,* sed oportet ulterius considerare an hoc nomen **Deus** habeat ex *modo significandi* ut possit supponere pro **Persona divina.** Illatio patet.

Quia ergo, sicut mox videbimus, τὸ **Deus** ex suo modo signifi-

candi potest denotare *divinam Personam,* propterea opinio Calvini et aliorum contra dicentium est omnino reiicienda.

B) Hac opinione remota, alii theologi, quorum sententiam sequitur S. Thomas, controversiam definiunt, prout sequitur

b) **Conclusio:** *Nomina essentialia* **Dei,** *concrete accepta, ex. gr.* **Deus, Bonus, Iustus,** *etc. habent ex proprio modo significandi ut possint supponere proprie pro quavis* **Persona** *S.mae Trinitatis.*

Nota. Est communis theologorum doctrina.

Prob. 1.° *Ex auctoritate.* Et sane, tum S. Scriptura, tum Concilia Generalia, utuntur saepe nomine **Deus** ad significandum *unam* aut alteram Ss. Trinitatis Personam. — Sed non est putandum id egisse per *improprietatem loquutionis;* quia, sicut pluries notavimus, sermo improprius est ablegandus praecipue a dogmaticis definitionibus. — Ergo nomen **Deus** (et idem tene de aliis Dei nominibus essentialibus concretis) habet ex proprio modo significandi, ut possit supponere proprie pro qualibet S.mae Trinitatis **Persona.** — Illatio et propositio minor sunt per se evidentes. Prob. maior.

A) *Ex S. Scriptura.* α) Equidem sub nomine **Deus** significatur *prima* Persona S.mae Trinitatis, tum apud Matth. XVI, 16: « Tu es « Christus, Filius **Dei** vivi », tum Ioan. I, 1: « Et Verbum erat apud **Deum** » ac rursum ibid. III, 16: « Sic **Deus** dilexit mundum ut **Fi-** « **lium suum** unigenitum daret ».

β) Saepe *secunda* Persona S.mae Trinitatis designatur sub nomine **Deus,** ut in illo: « Et **Deus** erat *Verbum* » (Ioan. I, 1), et alibi: « Ut simus in vero *Filio* Eius. Hic est verus **Deus** » (I. Ioan. V, 20).

γ) Etiam *tertia* Persona S.mae Trinitatis designatur sub nomine **Deus.** Apostolus enim « dicit: *Spiritus Prophetarum Prophetis sub-* « *iecti sunt. Non enim est dissensionis* **Deus** *sed pacis* (I. Cor. XIV, « 32-33). Gratiae autem Prophetarum, quas *spiritus Prophetarum* no- « minaverat (*Apostolus*), a Spiritu Sancto sunt. Spiritus ergo San- « ctus, qui huiusmodi gratias sic distribuit ut ex eis non sit dissen- « sio, sed pax sequatur, **Deus** *i. e.* (*Persona divina*) esse ostenditur « in hoc quod (*ibid.*) dicit: *Non est dissensionis* **Deus** *sed pacis* » (Lib. IV *Cont. Gentes,* cap. 17).

B) *Ex Conciliis* eadem prop. maior probatur. α) Nam Nicaenum I et Constantinopolitanum I non dissimiliter sub nomine **Deus,** nunc *primam,* nunc *secundam* Personam Trinitatis designant, quum

in Symbolo profitentur: « Credimus... in unum Dominum Iesum « Christum,... **Deum** verum de **Deo** vero etc. » (*Enchir.* nn. 54 et 86).

β) Item Synodus Ephesina (oecum. III) can. 1 habet: « Si quis « non confitetur **Deum** esse veraciter Emmanuel, ac propterea Dei « Genitricem (Θεοτόκον) Sanctam Virginem..., anathema sit » (*Enchir.* n. 113). Ubi sub nomine **Dei** sola Persona Filii Dei evidenter significatur.

2.° *Ratione theologica.* Omne Dei nomen, quod significat non quidem divinitatem **in abstracto,** sed τὸ Habens divinitatem, seu Individuum Deitatis, **in concreto** (Cfr. Q. III, art. 3, o), habet ex proprio modo significandi ut possit significare **Personam divinam;** sicut τὸ *Homo* ex eo quod significat humanitatem, non quidem **in abstracto,** sed **in concreto** videlicet τὸ Habens humanitatem, ex vi proprii **modi significandi** potest supponere pro **Persona humana.** Atqui hoc nomen **Deus** (sicut et quaevis alia Dei nomina *essentialia* et *concreta*) significat *Deitatem,* non quidem *in abstracto, sed concrete* uti τὸ *Habens Deitatem:* patet. — Ergo τὸ **Deus** (sicut et quodvis aliud Dei nomen *essentiale et concretum,* uti *Bonus, Iustus, Sanctus* etc.) habet ex proprio modo significandi ut possit supponere pro quavis Persona S.mae Trinitatis (Hic, o).

640. **Scholium I.m** Dixi in conclusione nomen **Deus** posse supponere pro **quavis** Persona S.mae Trinitatis. Nam haec suppositio *non semper* contingit. Quum enim in divinis realitas *abstracta* et realitas *concreta* coincidant quantum ad *rem,* sed non quantum ad *modum significandi,* propterea

A) « Quandoque hoc nomen **Deus** supponit (*explicite*) pro essen- « tia (*divina ut individua* — Cfr. Vol. I, nn. 212 et seqq. *et* **solum** « *implicite pro* **Persona** *divina*), ut cum dicitur: *Deus creat* (= *est* « *creans*), quia hoc praedicatum (τὸ *creans*) competit subiecto (τῷ « *Deus*) ratione formae significatae, quae est *Deitas.*

B) « Quandoque vero supponit (*implicite pro divina essentia* individualiter *considerata, et explicite*) pro (*divina*) **Persona,** vel

α) « *una* tantum, ut cum dicitur: **Deus** *generat;* vel

β) « *duabus,* ut cum dicitur: **Deus** *spirat;* vel

γ) « *tribus,* ut cum dicitur (I. Tim. I, 17): **Regi saeculorum,** « *immortali, invisibili,* soli **Deo** *honor et gloria* » (Hic, o).

641. Pro pleniore intelligentia doctrinae Scholii praecedentis, iu-

vat sequentes regulas observare, ut discernatur suppositio nominis **Deus** in sermone theologico :

α) **Regula I.**[a] *Si* τὸ **Deus** *inveniatur* **solitarie** *expressum, absque alio termino* **determinante** *specialiter eius sensum ad* **naturam,** *aut ad* **personam divinam,** *tunc supponit* **aeque principaliter** *tam pro* **natura divina,** *quam pro* **divina Persona ;** *sive supponit pro* natura divina *inquantum est realiter identica cum* divina Persona.

Ratio regulae est facilis. Si enim in hypothesi, de qua agimus, τὸ **Deus** traheretur ad supponendum magis pro *Persona divina,* quam pro *individua* **Dei** *natura,* violaretur quodammodo logica indeterminatio, qua gaudet τὸ **Deus** in ea propositione. — Hinc si scriptum inveniatur : **Deus** *exsistit,* τὸ **Deus** potest indifferenter designare tam *Personam divinam,* quam *Dei individuam naturam,* quia utravis vere exsistit, sicut in propositione enuntiatur.

β) **Regula II.**[a] *Si* τῷ **Deus** *attribuatur* **praedicatum,** *vel* **attributum,** *seu* **adiectivum** *aliquod, exprimens operationem* **communem singulis Personis S.mae Trinitatis,** *tunc nomen* **Deus** *supponit* **primario** *et* **distincte** *pro* **individua Dei natura, secundario** *autem et* **confuse** *pro* **Persona divina.**

Ratio regulae desumitur ex Dialectica quae iubet, ut in *enuntiationibus* **talem** suppositionem habeant **subiecta** (vel termini appellati) **qualis** permittitur a **praedicatis** propositionis (seu a terminis appellantibus), eo quod ex vi propositionis *praedicatum* se habet ad *subiectum* (et similiter terminus *appellans* se habet ad *appellatum*) sicut elementum **formale** ad **materiale.** — Hinc si cum τῷ **Deus** coniunctum invenies τὸ **Creans** vel τὸ **Gubernans,** etc., τὸ **Deus** significat **primario** et **distincte** τὸ **habens Deitatem,** non vero **Personam** Patris aut Filii aut Spiritus Sancti ; quia dato etiam per impossibile quod non exsisteret Trinitas Personarum in Deo, adhuc posset intelligi **Deum** *creare* aut *gubernare,* etc. ; et sic semper verificaretur quod **Deus** *creat* vel *gubernat* etc.

γ) **Regula III.**[a] *Si* τῷ **Deus** *attribuatur terminus significans aliquam perfectionem Dei* **notionalem,** tunc τὸ **Deus** *supponit* **primario** *pro* **Persona divina,** *cui convenit illa perfectio* **notionalis ; secundario** *autem pro* **essentia divina,** *cum qua identificatur realiter illa Persona.*

Ratio regulae est : quia, si in ista hypothesi τὸ **Deus** supponeret *primario* pro **divina essentia** seu divina natura, tunc non **uni**

tantum sed **singulis** divinis Personis conveniret aeque principaliter terminus ille **notionalis.** Videlicet iste terminus esset **notionalis** (i. e. insinuans *notionem propriam unius* divinae Personae), ut supponitur; **simul** tamen non esset notionalis, eo quod aequaliter conveniret **singulis** divinis Personis. Quod est contradictorium.

δ) **Regula IV.**ª *Si ad* τῷ **Deus** *adiungatur terminus significans* **essentiam** *prout est* **virtualiter** *distincta a tribus Personis, vel prouti* **communis** *est eisdem tribus divinis Personis, tunc* τὸ **Deus** *nullo modo supponit pro* **determinata** *aliqua divina* **Persona,** *cum exclusione scilicet aliarum duarum divinarum Personarum, sed supponit* **tantum** *pro individua* **Dei** *natura sive pro habente Deitatem.*

Ratio regulae est in promptu. Si enim in hypothesi facta τὸ **Deus** posset trahi ad supponendum pro *una sola* **Dei** Persona, daretur intelligi quod Persona illa divina esset **res,** aut *virtualiter* distincta a tribus divinis Personis, aut *communis* cum eis: quod haereticum est (Cfr. Bannez, *Com.* in h. a.). — Unde quum dicitur: «**Deus** *est trinus* vel *Trinitas*», τὸ **Deus** non potest significare exclusive ac determinate **Personam** Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti, sed significat *indeterminate* τὸ habens Deitatem.

642. **Scholium II.**m Circa Dialecticorum principium: *Terminus singularis idem significat et supponit* (Cfr. hic arg.m 1.m) animadvertit S. Thomas, quod istud principium habet veritatem, quando terminus singularis significat rem taliter individuam, ut ea nec exsistere possit in *pluribus numero* distinctis **suppositis** vel **personis.** Iamvero individua **Dei** natura una eademque numero exsistit *de facto* in tribus divinis Personis. Ergo nomen **Deus** non est terminus *perfecte* singularis. Consequenter de termino **Deus** non verificatur memoratum principium dialecticorum (Cfr. hic ad 1.m, et art. seq. ad 6.m).

643. Q. I. An haec propositio: «**Deus** *generat alium* **Deum**» sit vera?

R. Haec propositio potest varie intelligi, videlicet:

1.° quidem in *sensu obvio,* et sic *videtur* esse falsa, quia in tali propositione insinuatur **alietas** Deitatis in *generante* et in *genito.* Quae assertio est haeretica (Cfr. Q. XXXI art. 2, o); etenim «no-«bis... **unus** Deus» (I Cor. VIII, 6).

2.° potest intelligi in *sensu* **figurae dictionis,** ut scilicet intelligatur positum incisum (vulgo *la virgola*) inter *alium* et **Deum,** quo

modo legi debet illud Luc. XXIII, 32: «Ducebantur autem et alii «duo, **nequam,** cum Eo (*i. e. Christo*) ut interficerentur». Et secundum hanc punctuationem propositio: «**Deus** *generat* **alium, Deum**» est vera; quoniam facit hunc sensum: «Deus generat aliam personam, quae est etiam Deus». Quod quidem verum est (Hic ad 4.m — Cfr. I. *Sent.* Dist. IV, Q. I, art. 3, o).

644. Q. II. An haec propositio: «**Deus** *genuit alium* **se Deum**» sit vera?

R. cum distinctione, nimirum:

1.° Si in illa propositione τὸ **se** accipiatur in *casu accusativo,* propositio est falsa. Quia quum τὸ **se** sit pronomen *reflexivum,* supponit pro *subiecto* propositionis. Et ideo ea propositio, in sensu naturali accepta, facit hunc sensum: «**Deus** genuit *alium semetipsum* **Deum**»; qui sensus est haereticus (Hic ad 4.m).

2.° Si vero τὸ **se** sumatur in *casu ablativo,* ea propositio facit hunc sensum: «**Deus** genuit *alium a semetipso,* qui *alius est* etiam **Deus**». Et sic ea propositio est vera, uti patet. (Ibid.).

— Legi possunt responsiones ad alia argumenta articuli S. Thomae, quia sunt valde subtiles.

Art. V. Utrum nomina essentialia, in abstracto significata, possint supponere pro Persona.

645. Circa titulum memento ex praedictis nomina **essentialia** in abstracto *significata* esse illa, quae non insinuant aliquam divinam Personam, neque divinam naturam ut individuam: huiusmodi sunt ex. gr. *Essentia Dei* seu *Deitas, Bonitas, Sapientia, Omnipotentia,* etc.

646. Rursum *supponere pro Persona* significat idem ac *suscipere praedicationem nominum concretorum* quae,

vel exprimunt *Personam divinam,* qualia nomina sunt *Genitus, Ingenitus, Spiratus,* etc.;

vel exprimunt *operationem* aut *passionem* stricte *propriam alicuius divinae Personae,* ex. gr. *Crucifixus, Paracletus,* etc. Cfr. art. seq.

647. Ita ut in h. a. fiat quaestio ista:

Utrum propositiones: «*Deitas generat*», vel «*Essentia divina est genita*», vel «*Dei Bonitas spirat Paraclitum*», vel «*Dei Sapientia*

est incarnata», vel «*Dei Omnipotentia creat res*» et aliae huiusmodi sint propositiones in rigore theologico verae?

648. Et quaestio, dico, procedit quantum ad *rigorem theologicum*. Nam si forte huiusmodi expressiones sint in aliqua pagina Operum Ss. Patrum, eae sunt benigne interpretandae, ita ut pro nomine *abstracto* intelligatur positum nomen *concretum*. Quum enim, sicut pluries diximus, in Deo idem realiter sint res concreta et res abstracta, saepe libere decurrente calamo aut lingua, unum nomen pro altero usurpatur. Etenim « ad exprimendam unitatem essentiae « et Personae, Sancti Doctores aliquando expressius locuti sunt « quam proprietas loquutionis patiatur. Unde huiusmodi loquutiones « non sunt extendendae (*secundum rigorem terminorum*), sed (*beni-* « *gne*) exponendae, ut scilicet nomina abstracta exponantur per con- « creta, vel etiam per nomina personalia ; ut, cum dicitur : *Essentia* « **de** *Essentia,* vel *Sapientia* **de** *Sapientia,* sit sensus: *Filius,* qui est « *Essentia* et *Sapientia,* est **de** *Patre,* qui est *Essentia* et *Sapientia*:

A) « In his tamen nominibus abstractis est quidam ordo atten- « dendus, quia ea quae pertinent ad *actum* magis propinque se ha- « bent ad **Personas ;** quia Actus sunt Suppositorum. Unde minus « impropria est ista : *Natura* **de** *Natura,* vel *Sapientia* **de Sapien-** « **tia,** quam : Essentia de Essentia » (Hic ad 1.^{m} — Cfr. n. 218).

B) Et hoc modo intelligendus est S. Augustinus, quando lo- quens contra Arianos ait : « Pater et Filius simul sunt una Sapien- « tia, **quia** una Essentia, et singillatim Sapientia **de** Sapientia, sicut « Essentia **de** Essentia » (Lib. VII. *De Trinit.,* cap. 2).

a) Et S. Fulgentius (Lib. *De Fide ad Petrum,* cap. 11) dicit : « Sic Christum... Deum verum crede, ut Divinitatem Eius **de** natura « Patris natam esse non dubites ».

b) Et S. Hilarius (Lib. IX *De Trinit.,*) ait : « Nos... profitemur... « *ex* Deo eiusdem generis **genitam,** naturam *naturaliter* in se gi- « gnentem habuisse naturam etc. » (Cfr. Mag. Sent. in I. *Sent.* Dist. V ; item Estius, ibid. ; S. Thomas, ibid. et Op. I. cap. 4).

c) Item Richardus de S. Victore (Lib. VI *De Trinit.*, cap. 22): « Notandum, inquit, quoniam quod dicitur *Filius* ab Apostolo *figura* « *paternae substantiae* (Heb. I, 3) idem valet ac si diceretur *figura* » **substantiae ingenitae.** Nihilominus autem, si diceretur *Figura* « ingenitae substantiae, idem esset ac si diceretur *Figura* ingenitae « Personae. Si Patrem (*ergo*) dicis, si ingenitam substantiam, si in-

« genitam Personam nominas, eamdem proculdubio Personam desi-« gnas. Procul dubio nihil aliud est *Patris Persona* quam *substantia* « *ingenita ;* nihil aliud *Filii Persona* quam substantia genita, etc. ».

649. His praemissis, ulterius moneo « quod circa hoc erravit « (*sine pertinacia tamen — Cfr.* Enchir. *n. 433*) Abbas Ioakim asse-« rens quod, sicut dicitur : *Deus* genuit *Deum,* ita potest dici quod « *Essentia* genuit *Essentiam,* considerans quod propter divinam sim-« plicitatem non est **aliud** Deus quam divina Essentia » ((Hic, o. — Cfr. Prateolus Lib. IX *De vitis haeretic.* Tit. 16). Unde et iste « Ab-« bas Ioakim edidit (*libellum seu tractatum*) contra Magistrum Pe-« trum Lombardum "*De Unitate seu Essentia Trinitatis*", appellans « ipsum haereticum et insanum, pro eo quod in suis dixit Sententiis « (Cfr. I. *Sent.* Dist. V) quoniam quaedam summa res est Pater et « Filius et Spiritus Sanctus, et illa non est generans, neque genita, « neque procedens etc. » (*Enchir.*, n. 431). — Sed contra hanc positionem sit

Conclusio I. *Rigorose loquendo, nomina Dei* **essentialia abstracta** *nequeunt supponere pro divina Persona.* Ex. gr., non potest dici *Essentia divina* **generat.**

Nota. Pertinet ad Fidem.

Prob. 1.° *Ex Concil. Later. IV*, loc. cit., ubi sic legitur: « Nos..., « sacro approbante Concilio, credimus et confitemur cum Petro Lom-« bardo... quia quaelibet trium Personarum est illa **res,** videlicet « substantia, essentia seu natura divina... Et illa **res** non est *gene-« rans*, neque *genita*, nec *procedens*, sed est Pater qui generat, et « Filius qui gignitur, et Spiritus Sanctus qui procedit ; ut distinctio-« nes sint in Personis, et unitas in Natura » (Enchir. n. 432). Evi-« denter igitur propositio : *Essentia Divina generat* fuit a Conc. Lat. IV damnata tamquam haeretica.

2.° *Ratione S. Thomae.* Si posset dici: *Essentia Divina generat*, tunc sensus esset, vel quod *Essentia Divina* generat *Essentiam Divinam*, vel quod *Essentia Divina* generat *Personam Divinam :* est enim absurdum eam phrasim explicare dicendo : *Essentia Divina* generat *Creaturam*, quia in generatione *proprie dicta* viventium *Filius*, qui gignitur, est *eiusdem naturae specificae* cum *Patre* generante. — Atqui neutra praecedentium expositionum potest sustineri in bona theologia : probabo. — Ergo in bona theologia non potest dici quod *Essentia Divina generat.*

Prob. min. α) Non potest in bona theologia sustineri, quod *Essentia Divina* generat *Divinam Essentiam.* Etenim, quum *genitum* distinguatur realiter a *generante* (*nulla* quippe *res* generat *seipsam*) si *Essentia Divina* generaret *Essentiam Divinam*, sequeretur quod Essentia Divina **generans** distingueretur realiter ab Essentia Divina **genita ;** et sic oporteret concedere quod in Deo adesset **dualitas** Essentiae Divinae : absurdum (Cfr. hic *Sed Cont.* et supra Q. XI art. 3, o).

β) Item non potest dici quod *Essentia Divina* generat *Personam Divinam.* Etenim, sicut notavimus, quum *genitum* distinguatur realiter a *generante*, oporteret fateri, quod Persona Divina **distinguere-tur realiter** ab Essentia Divina : absurdum (Cfr. art. 1 h. q.).

650. **Obiic. 1.°** *In Deo idem realiter est* **Deus** *ac* **Divina Essentia.** *Sed haec :* **Deus generat,** *est vera. Ergo et alia :* **Divina Essentia generat,** *est etiam vera.*

R. Dist. mai. *In Deo... Essentia*, differunt tamen quantum ad modum significandi : *Concedo ;* aliter : *Nego.* Concedo minorem : nego consequens et consequentiam, et dico quod « ad veritatem lo-« cutionum non solum oportet considerare **res** significatas, sed etiam « **modum significandi**, ut dictum est art. praec. Licet autem se-« cundum **rem** sit idem *Deus* quod *Deitas*, non tamen est idem **mo-« dus significandi** utrobique. Nam hoc nomen **Deus,** quia signifi-« cat *divinam essentiam* ut in **habente** (*seu ut individualiter subsi-« stentem*), ex modo suae significationis naturaliter habet quod pos-« sit supponere pro **Persona.** Et sic ea quae sunt propria **Persona-« rum,** possunt praedicari de hoc nomine **Deus;** ut dicatur (*ex. gr.*) « quod **Deus** est **genitus** vel **generans,** sicut dictum est art. praec. « Sed hoc nomen **Essentia** non habet ex modo suae significationis « quo supponat pro **Persona,** quia significat *essentiam* ut *formam* « *abstractam.* Et ideo ea quae sunt propria Personarum quibus ab « invicem distinguuntur non possunt Essentiae attribui. Significaretur « enim, quod esset distinctio in Essentia divina, sicut est distinctio « in Suppositis » (Hic, o). Propterea non potest dici : *Essentia Divi-na* **generat,** aut **est genita** etc.

651. **Obiic. 2.°** *Essentia Divina est Deus Pater. Deus Pater generat. Ergo Essentia Divina generat.*

R. 1.° Nego mai. — Conc. Min. — Nego consequens et dico quod Essentia Divina est quid commune tribus Personis, non autem

est res **propria** unius divinae Personae; seu habet aliquid **simile** cum termino communi, non vero est terminus rigorose singularis (Cfr. n. 642). Unde iuxta regulas dialecticae, licet verum sit, quod *Deus Pater* est *Essentia Divina*, non tamen dici potest quod *Essentia Divina* sit *Deus Pater:* eo prorsus modo quo licet **rigorose** vera sit haec: *Petrus* est *Homo*, haec tamen alia: *Homo* est *Petrus*, non est simpliciter vera (Cfr. hic ad 6.m).

R. 2.° Transeat maior. — Conc. min. — Nego autem consequens et consequentiam. — Fit enim variatio suppositionis circa τὸ *Pater* in argumento. Nam in propositione maiori: *Essentia Divina* est *Deus Pater,* τὸ Deus Pater consideratur per ordinem ad Dei essentiam: e contra in propositione minori, quando dicitur: *Deus Pater* **generat,** τὸ Deus Pater consideratur **formaliter** uti Pater, secundum quod scilicet distinguitur a Filio et a Spiritu Sancto. Unde τὸ *Deus Pater* in propositione maiori habet **unam** suppositionem et in minori **alteram** suppositionem, et sic inducitur fallacia aequivocationis in toto argumento. — Huc videtur reduci responsio quam huic difficultati dat Angelicus in ad 5.m et ad 3.m h. a.

652. Sit nunc

Conclusio II. *Nomina exprimentia attributum* **commune** *tribus divinis Personis, et* **concrete accepta** *possunt* **in recto** *affirmari de divina Essentia* **nomine abstracto** *expressa.* — Ex. gr. dicendo *Deitas* **creat** vel **gubernat** *res,* vel *est* **omnipotens,** etc.

Nota. Est propositio certa inter omnes theologos.

Prob. *Ratione theologica.* Attributa Dei absoluta, expressa tam in *abstracto* quam in *concreto,* possunt affirmari **in recto** de *Deitate* seu de divina Essentia *nomine abstracto* expressa: etenim propositiones istae: **Deitas** est **bona,** item **Deitas** est **bonitas** et aliae huiusmodi sunt affirmationes verae (Cfr. Q. III, art. 3, o).

Atqui attributum, *commune* tribus divinis Personis, est quoddam attributum Dei *absolutum,* sicut ex terminis patet.

Et ideo nomina exprimentia attributum commune tribus Divinis Personis, et *concrete* accepta, possunt in recto affirmari de divina Essentia *nomine abstracto* expressa, ex. gr. dicendo: *Deitas* gubernat *res* etc. (Cfr. I. *Sent.* Dist. V, Q. I, art. 1, o). — Emergit inde

653. Q. I. *An dici possit:* Dei Filius est **ex** vel **de** substantia Dei Patris?

R. *Affirmative.* Nam isti modi loquendi non significant, quod

Filius Dei sit *filius* **substantiae** *Dei Generantis,* vel quod *substantia Dei Patris generantis* sit **materia ex qua** *Dei Filius sit;* sed significant Dei Filium esse eiusdem substantiae cum Deo Patre (Cfr. art. 2 h. q. ad 5.um): qui sensus catholicus est. Unde in symbolo pseudo Athanasii de Christo dicitur: « *Deus* est **ex** substantia Pa- « tris ante saecula genitus, et *Homo* est **ex** substantia Matris in « saeculo natus » (*Enchir.,* n. 13). Et Patres in *symbolo* Nicaeno-Constantinopolitano Salvatorem profitentur esse « Deum **de** Deo, « lumen **de** lumine, Deum verum **de** Deo vero » (Cfr. *Enchir.,* n. 54). Legesis I. *Sent.* Dist. V, Q. II, art. 1, o; item infra Q. XLI, art. 3, o.

654. Q. II. An dici possit: *Essentia Dei* est **ingenita?**

Respondeo cum distinctione ex dictis in n. 408, videlicet:

1.° Si τὸ *Ingenitum* significet idem ac *increatum,* evidenter propositio: *Essentia Dei* est **ingenita** est vera.

2.° Si τὸ *Ingenitum* significet *non esse terminum* **qui generatur,** etiam verum est quod *Essentia Dei* est **ingenita** videlicet *non est terminus* **qui generatur:** etenim in divinis *terminus* qui generatur est *Persona Filii,* sicut dictum est supra.

3.° Si τὸ *ingenitum* significet *non esse ab alio tamquam* **a principio,** tunc ea propositio videtur falsa. Etenim, licet in Deo Patre essentia divina habeat hanc notionem, videlicet *non esse ab alio tamquam a principio;* tamen essentia divina, considerata prouti *est in Dei Filio* et prouti *est in Spiritu Sancto,* habet relationem istam, videlicet *esse ab alio tamquam a principio;* quia a Patre Dei Filius, et a Deo Patre ac Deo Filio divinam essentiam accepit Spiritus Sanctus.

α) Propterea propositio indefinita: « *Dei Essentia* est **ingenita** » non est concedenda (Cfr. Q. XXXIII, art. 4 ad 2.m).

β) Quinimo ex nunc dictis apparet, qualiter τὸ **ingenitum** sit verissime *notio* **propria** *solius* Dei Patris (Cfr. n. 414).

655. **Scholium.** Tὸ *Res* ob sui transcendentiam potest in Deo significare, tum *Personam* aliquam, tum *essentiam* talis Personae. Et ideo in divinis, quamvis « non possumus dicere quod *Essentia* « est **generans** (*Cfr. n. 652*), possumus tamen dicere quod *Essentia* « est **Res generans,** vel **Deus generans:**

« α) si **Res** et **Deus** supponant pro **Persona,**

« β) non autem si supponant pro **Essentia.**

« γ) Unde non est contradictio, si dicitur quod *Essentia est* **Res « generans** et **Res non generans;** quia primo (*loco*) **Res** tenet pro « **Persona,** secundo pro **Essentia**» (Hic ad 5.m)

Art. VI. Utrum Personae possint praedicari de nominibus essentialibus.

656. Nomina Dei *essentialia,* sicut pluries dictum est, sunt ea quae significant aliquam perfectionem divinam, quin insinuent proprietatem *alicuius* divinae *Personae* in particulari.

657. Haec tamen nomina possunt duobus modis enuntiari, videlicet *in abstracto* aut *in concreto.*

α) Nomina Dei *essentialia* et *abstracte* expressa denotant aliquam *perfectionem* divinam acceptam in linea *entis absoluti* et cum *formali praecisione* ab *individualitate* et a *subsistentia divina.* Huiusmodi nomina sunt: *Deitas, Bonitas, Omnipotentia, Veritas,* etc.

β) Nomina Dei *essentialia* et *concrete* expressa denotant perfectionem aliquam Dei acceptam in linea *entis absoluti,* sed uti *formaliter ornatam individualitate* aut *subsistentia divina.* Huiusmodi nomina sunt: *Deus* (i. e. Essentia Dei individua), *Dominus* etc.

658. In eodem titulo adverte τὸ *Personae* significare nomen enuntians *Divinam Personam.* — Quod sane nomen potest exprimi,

α) vel *substantive,* ut quum dico: *Pater, Filius, Spiritus Sanctus,* etc.,

β) vel *adiective,* utputa: *Genitus, Ingenitus, Spiratus,* etc.

659. Unde sensus praesentis articuli est huiusmodi:

Utrum nomina Dei Personalia, *accepta* substantive *vel* adiective, *possint* **secundum rigorem theologicum** (Cfr. n. 648) *affirmari de* nominibus Dei essentialibus, *acceptis* in abstracto *vel* in concreto.

660. Ut autem quod evidens est ab eo quod sub dubio manet separetur,

α) **Dico 1.°** *Nomina Dei* Personalia *accepta* **adiective,** *utputa:* Generans, Genita, Spirans, Spirata, Ingenita, *non possunt,* **rigorose loquendo,** *affirmari de nominibus Dei Essentialibus acceptis* **in abstracto.** Ex. gr. non potest dici: *Essentia divina* est *Generans,* aut est *Genita,* aut est *Spirans Spiritum Sanctum,* etc.

Haec propositio fuit demonstrata superius n.° 649.

β) **Dico 2.°** *Nomina Dei* Personalia *accepta* in abstracto, *puta:* Paternitas, Filiatio *etc., possunt, etiam* **rigorose loquendo,** *affirmari de Dei nominibus essentialibus, tam* abstractis, *quam* concretis, puta dicendo: *Deitas* est *Paternitas,* vel *Deus* est *Filiatio,* etc.

Decl. *Ratione theologica.* Etenim art. 1 h. q. ostendimus quod in Deo Persona, comparata ad essentiam, est realiter identica cum illa. — Modo *Paternitas* est *Persona Patris,* sicut *Filiatio* est *Persona Filii,* etc.; item *Deitas* est ipsa *Essentia Divina.* — Ergo quemadmodum verum est: *Pater* est *Deitas* vel *Divina Essentia,* ita quoque verum est quod *Paternitas* est *Deitas* vel *divina Essentia.*

γ) « Neque hoc, ut verbis utar Cl. P. L. Ianssens, facit contra « doctrinam in articulo praecedenti statutam. Etenim aliud omnino « est, *essentialia* **abstracte** numquam supponi pro personis; aliud, « **abstracta** tum personalia tum essentialia non posse de (*se*) invi- « cem praedicari; quia hoc casu quod vox per se non habet, per « copulam praedicationis suppletur. Recte igitur dicis: *Paternitas* est « *Deitas.* — Sed ab huiusmodi formulis potius **abstinendum est,** « quum ob ambiguitatem facile in errorem inducant » (*Com.* in h. a.)

661. Sic ergo non remanet sub dubio nisi

Q. *Utrum nomina Dei* Personalia, *accepta* **concrete,** *possint,* **rigorose loquendo,** *affirmari de nominibus Dei* essentialibus, *acceptis* in abstracto *aut* in concreto.

α) Gilbertus Porretanus, existimans in Deo non esse idem **realiter** abstractum et concretum, sicut non concedebat hanc propositionem: *Deus* est *Deitas,* ita negabat hanc: *Deus* est *Trinitas* seu *Tres Personae* (Cfr. Vol. I. *De Deo Uno,* n. 215; item art. 1 h. q.; et hic ad 1.m).

β) Raymundus Lullius quoque (Cfr. Eymericus, *Direct. Inquis.,* P. II, Q. 9), sentiens divinas Personas inter se differre maiori distinctione quae possit esse, non ferebat posse dici, quod *Deus,* vel *Deitas* sit *Tres Personae Trinitatis,* aut *Deus Pater,* etc.

γ) Contra istos statuitur

Conclusio. *Nomina Dei* **Personalia, concreta,** *possunt,* **rigorose loquendo,** *affirmari de nominibus Dei* **essentialibus,** *tum* **abstractis,** *tum* **concretis:** puta dicendo: *Deus* est *Trinitas* vel *Tres divinae Personae,* item *Deitas* est *tres divinae Personae.*

Nota. Est veritas Fidei Catholicae.

Prob. 1.° *Ex Ss. Patribus.* A) Pseudo Athanasius in *Symbolo*

dicit quod: « *Unitas* in *Trinitate,* et *Trinitas* in *Unitate* veneranda sit ».

B) S. Augustinus in Sermone I. *De Fide* ait: « Credimus unum « *Deum* unam esse divini nominis Trinitatem » (Hic *Sed Cont.*).

2.° *Ex Conciliis. A*) Toletanum XI in *Symbolo Fidei* docet: « Nec recte dici potest, ut in *uno Deo* sit *Trinitas,* sed *unus Deus Trinitas* » est (*Enchir.* n. 278).

B) Concil. Constantinop. VI, act. 11 ait: « Trinitatem in Unita- « te credimus, et in Unitate Trinitatem glorificamus » (Cfr. Carranza, *Sum. Concil.*).

C) Concil. Later. IV, cap. *Damnamus,* dicit: « Credimus et con- « fitemur... quod *una* quaedam summa *res* est... quae veraciter est « *Pater* et *Filius* et *Spiritus Sanctus,* tres simul Personae, ac sin- « gillatim quaelibet earum » (*Enchir.* n. 432).

— Ex quibus omnibus auctoritatibus apparet quod propositiones istae:

Unus Deus est *Trinitas,*
Unitas est *in Trinitate,*
Trinitas est *in Unitate,*
Essentia Divina est *Pater et Filius et Spiritus Sanctus,* vel
Essentia Divina est *Pater* **aut** *Filius* **aut** *Spiritus Sactus,*
sunt propositiones certa Fide a nobis tenendae.

Sed in istis propositionibus nomina Dei Personalia, concreta, dicuntur de nominibus Dei essentialibus, tam abstractis, quam concretis: constat haec propositio.

Ergo verissime nomina Dei *Personalia,* **concreta,** possunt, **rigorose loquendo,** affirmari de nominibus Dei *essentialibus,* tum *abstractis,* tum *concretis.*

3.° *Ratione theologica.* Identitas *realis* inter extrema propositionis reddit propositionem *affirmativam* veram: est regula Dialecticae. — « Essentia autem divina non solum idem est realiter cum una « Persona, sed etiam cum (*duabus aut*) tribus (*Personis divinis*). « Unde et **una** Persona et **duae** et **tres** possunt de Essentia prae- « dicari; ut si dicamus: Essentia (*Divina*) est Pater et Filius et Spi- « ritus Sanctus. — Et quia hoc nomen **Deus** per se habet, quod sup- « ponat pro *essentia;* ut dictum est art. 4 h. q. ad 3.m, ideo sicut « haec est vera: *Essentia* est *Tres Personae,* ita haec est vera: « *Deus* est *Tres Personae* (Hic, o). — Unde licet pro nullo supposi-

« torum divinae naturae (*seorsim accepto*) haec sit vera : *Deus* est « *Trinitas,* est tamen vera pro Essentia (*utputa dicendo :* Essentia « Divina *est* Trinitas). Quod non attendens Porretanus eam negavit » (Hic ad 1.m).

662. **Scholium.** Propositio affirmativa, cuius praedicatum et subiectuum sunt eadem entitas realis, et habent invicem eamdem extensionem, dicitur propositio in *primo modo dicendi* per se **primo** (Cfr. Zigliara, *Sum. Philos.,* Vol. I, Dial. Lib. II, Cap. II, art. 2). Atqui propter summam Dei simplicitatem Persona quaelibet divina est realiter identica cum τῷ Deo, aut cum Deitate. Et ideo « cum « dicitur : *Deus* vel *Divina Essentia* est *Pater,* est praedicatio per « *identitatem,* non autem inferioris (*i. e. minus universalis*) de supe- « riori (*i. e. magis universali*) : quia in divinis non est universale et « singulare. Unde sicut est (*propositio*) **per se** ista : *Pater* est *Deus.* ita et ista : *Deus* est *Pater,* et nullo modo (*aliqua earum*) est **per « accidens** » (Hic ad 2.m).

663. **Obiic.** *Concilium Bracarense I* sub Honorio PP. I, can. 2, dicit : «Si quis extra Sanctam Trinitatem alia (nescio quae) et Divi- « nitatis nomina introducit, dicens, quod ipsa *Divinitas* sit *Trinitas,* « sicut Gnostici et Priscillianus dixerunt, anathema sit» (Cfr. Carranza, *Sum. Concil.* etc.). *Ergo non potest dici, quod Divinitas* est *Trinitas.*

R. Conc. antec. — Dist. conseq. *Ergo non potest dici etc.* in sensu Gnosticorum et Priscillianistarum : *Concedo ;* in sensu quem nos defendimus : *Nego.* Solutio haec obiectionis innititur in verbis eiusdem canonis conciliaris. Non enim ibi simpliciter prohibetur confiteri quod *Divinitas* sit *Trinitas,* sed solummodo sicut Gnostici et Priscillianus dixerunt. Iamvero (sicut Alphonsus de Castro, Minorita, in Lib. *De Haeres.* v. **Deus,** haeresi 5 narrat) Priscillianus quum negaret omnem realem distinctionem inter Personas Trinitatis, ita volebat Divinitatem esse Trinitatem, ut quemadmodum in Divinitate esset summa unitas, ita quoque inter divinas Personas nulla realis vigeret distinctio. — E contra Gnostici, Polytheismi propago fabulantes Aeonum infinitam multitudinem, sic concedebant *Deitatem* esse *Trinitatem,* ut quemadmodum inter Personas Divinas, pari modo inter earum Divinam Naturam adesset realis distinctio. — Et sic apparet, quod in ore tam Priscilliani quam Gnosticorum propositio ista : *Deitas* est *Trinitas* vel confundebat Personas Divinas vel

multiplicabat Naturam Divinam. Et propter hoc merito ea propositio in hoc sensu haeretico fuit damnata a praelaudato Concilio.

At nos profitemur *Deitatem* esse *Trinitatem,* intendendo *identitatem realem* Personarum cum una divina essentia, simulque *mutuam distinctionem relativam* earumdem Personarum. Et ideo in hoc sensu intellecta ea propositio vera est.

α) Quare non mihi videtur bene scripsisse P. Capponi (*Append.* in h. a.) et Cl. P. Ianssens (*Com.* in h. a.) absque ulla distinctione quod reprobata fuerit a Bracarensi Concilio propositio: *Deitas* est *Trinitas.*

Art. VII. Utrum nomina essentialia sint appropriandа Personis.

664. Iuxta promissa in art. 2 h. q. edisserendum nunc est de propositionibus, in quibus nomina Dei essentialia praedicantur sub appropriationis uni aut alteri tantum divinarum Personarum. Et circa hoc sunt duo exponenda, videlicet:

1.° An liceat hoc fieri (art. praes.).

2.° An convenienter ab antiquis Doctoribus facta sit appropriatio ista (Art. seq.).

665. Circa titulum nihil occurrit dicendum quantum ad τὸ *nomina essentialia.* Videlicet sub hac dicendi formula comprehenduntur tum nomina **abstracta,** tum nomina **concreta,** tum quoque *adiectiva,* aut *participia* aut *verba* quae enuntiant attributum aliquod *essentiale* Divinitatis, ex. gr. *Sapientia, Sapiens, Potens,* etc.

666. Quod vero attinet ad nomen *appropriationis* adverte quod « appropriare nihil est aliud quam commune trahere ad proprium.

« Illud autem quod est *commune* toti Trinitati, non potest trahi « ad *proprium* alicuius Personae ex hoc quod (*secundum rei veritatem*) magis uni Personae, quam aliis conveniat: hoc enim aequalitati Personarum repugnaret, sed ex hoc quod id quod est communе maiorem habet *similitudinem* ad id quod est proprium Personae « unius quam cum proprio alterius, sicut Bonitas habet quamdam « convenientiam cum proprio Spiritus Sancti qui procedit ut Amor: « est enim Bonitas obiectum Amoris etc. » (Q. VII. *De Verit.* inter *QQ. Dispp.* art. 3, o). Unde caute adverte:

1.° quod in tractatu de S.ma Trinitate « aliud est **proprium** et « aliud **appropriatum.**

« α) Illud dicitur *proprium,* quod ita tribuitur *uni* Personae ut « non possit tribui *alteri ;*

« β) *Appropriatum* vero, id quod est commune toti Trinitati, sed « causa *maioris manifestationis* tribuitur uni Personae » (Billuart, Dissert. VI *De Trinit.* art. 1, *Quaer. 2.°*). Exinde habes :

2.° « quod *appropriando* attributa essentialia determinatis Perso- « nis, non excludimus alias Personas (*a communione eorumdem attri-* « *butorum*), nec gradum participationis constituimus (*inter has divi-* « *nas Personas*), sed tantum ostendimus similitudinem in ratione « *appropriati* ad *proprium* Personae (I. *Sent.* Dist. XXXI, Q. I, art. « 2 ad 4.m). Unde nullus error Fidei, sed magis manifestatio verita- « tis sequitur » (Hic ad 1.m) ex hac nominum appropriatione ad divi- nas Personas.

667. Appropriatio igitur nihil est aliud quam « manifestatio Per- « sonarum (*Dei*) per essentialia attributa » (Hic, o) ; vel enucleatius definiri potest : « Conventionalis quaedam attributio alicuius proprie- « tatis essentialis Dei ad unam specialem Personam Trinitatis, ut vi « huius attributionis plenius innotescat nobis in praesenti vita haec « specialis Persona ».

Evolvitur definitio. α) Ponuntur verba : *Conventionalis quae- dam attributio,* ut innuatur quod appropriatio sit quidam modus lo- quendi theologorum in tractatu S.mae Trinitatis.

β) Additur in definitione τὸ **alicuius** *proprietatis* etc., et non **omnis** *proprietatis ;* quia, licet omnes et singulae proprietates divi- nae substantiae conveniant, seu sint concordes, cum unaquaque Persona Trinitatis, tamen aliquae istarum proprietatum habent **maio- rem** quamdam **analogiam** seu **similitudinem,** cum attributis pro- priis alicuius Divinae Personae, et propter hoc solent appropriari illi speciali Personae.

γ) Additur autem : *proprietatis* **essentialis,** non vero **essentiae.** Etenim « quamvis omnia attributa essentialia sint unum **re** (*cum di-* « *vina essentia*), tamen differunt **ratione** (*seu* virtualiter *ab ea: unde*) « et secundum rationem suam habent similitudinem,

« vel ad originem Personarum, ut *potentia* quae est **principium** « productionis,

« vel ad determinatum modum originis, ut *Bonitas* ad processio- « nem *Amoris,* et ad processionem *Verbi, Sapientia :*

et ita diversis Personis possunt ista appropriari.

« Sed *essentia* de ratione sua, neque originem, neque aliquid ad « modum originis pertinens, dicit. Et ideo *non appropriatur* (I. *Sent.* « Dist. Q. et art. cit. ad 2.m): quia in ratione horum (*nominum*) « propter sui communitatem non invenitur aliquid similitudinem ha- « bens cum proprio Personarum » (Art. seq., o).

ò) Superadduntur in definitione *appropriationis* haec alia verba : **ut vi huius attributionis plenius innotescat nobis haec speciali Persona,** ad indicandum *finem* appropriationis, qui est manifestatio exsistentiae aut alicuius perfectionis in divina Persona. Licet enim exsistentia trium Personarum, et uniuscuiusque earum perfectio, non possint **demonstrative probari** ex rebus creatis, possunt tamen, ex iis quae sunt nobis magis nota, perfectius **declarari.** « Essentia- « lia vero attributa sunt nobis magis manifesta secundum rationem, « quam propria Personarum ; quia ex creaturis, ex quibus cognitio- « nem accipimus, possumus per certitudinem devenire in cognitio- « nem essentialium attributorum, non autem in cognitionem persona- « lium proprietatum ; ut supra (Q. XXXII, art. 1, o) dictum est. Si- « cut igitur, similitudine *vestigii* vel *imaginis* in creaturis inventa, « utimur ad manifestationem divinarum Personarum, ita et essentia- « libus attributis» (Hic, o). Quae sane *manifestatio* est appropriatio- nis *finis.*

668. Habita notione appropriationis, statuitur

Conclusio. *Nomina quaedam attributorum Dei* **essentialium** *convenienter* **appropriantur** *divinis Personis.*

Nota. Docetur ab omnibus theologis.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura,* quae passim attribuit specialiter aliqua Dei nomina *essentialia* alicui determinatae Personae Trinitatis. Equidem S. Paulus (I. Cor. I, 24) nominat « Christum Dei *Virtutem* « et Dei *Sapientiam* ». Christus autem de seipso inquit : « Ego sum « *Via, Veritas* et *Vita* » (Ioan. XIV, 6) ; de Spiritu Sancto vero ait : « Spiritus est qui *vivificat* » (Ioan. VI, 64). Videlicet a S. Scriptura Christo appropriantur *Virtus Dei, Sapientia, Veritas, Vita,* etc. ; Spiritui Sancto autem *Vivificatio* seu *diffusio charitatis et Gratiae supernaturalis* (Cfr. hic *Sed Cont.*) — Ergo convenienter nomina quaedam attributorum etc.

2.° *Ex Symbolo Nicaeno-Constantinopolitano* idem ostenditur. Equidem iuxta illud Ecclesia confitetur *Deum Patrem omnipotentem, Creatorem coeli et terrae, Spiritum Sanctum* autem *vivificantem,* idest,

fontem vitae spiritualis quae in creaturis intellectualibus invenitur. Appropriat nimirum Synodus attributa essentialia *omnipotentiae* et *virtutis creatricis* Deo Patri, attributum autem *virtutis sanctificativae* Spiritui Sancto.

3.° *Ratione S. Thomae.* Etenim *appropriatio* nominum Dei essentialium ad *aliquam* Personam S.mae Trinitatis habet maximam convenientiam, *tum* relate ad nostram instructionem, *tum* relate ad easdem divinas Personas. — Ergo ista appropriatio convenienter a Theologis adhibetur. — Illatio est evidens. Probo antecedens per partes.

I.ª pars antec. — « Appropriatio nominum Dei essentialium ad « aliquam Personam S.mae Trinitatis habet maximam convenientiam « relate **ad nostram** i. e. Christifidelium **instructionem** » — probatur. « Invenitur enim distinctio et ordo in attributis divinis et in Per- « sonis; sed differenter, quia in **Personis** est distinctio et ordo *rea- « lis,* sed in **attributis** (*est distinctio et ordo*) secundum *rationem.* « Unde, quamvis per attributa non possimus *sufficienter* devenire in « propria Personarum, tamen inspicimus in appropriatis aliquam **si- « militudinem** Personarum; et ita valet talis appropriatio ad ali- « quam Fidei manifestationem, quamvis imperfectam; sicut etiam ex « vestigio et imagine sumitur aliqua via persuasiva ad manifesta- « tionem Personarum » (I. *Sent.* Dist. XXXI, Q. I, art. 2, o. — Cfr. hic, o).

II.ª pars antec. — « Appropriatio nominum Dei essentialium ad « aliquam Personam S.mae Trinitatis habet maximam convenien- « tiam relate *ad easdem divinas Personas* » — probatur. « Quamvis « enim (*Dei*) attributa essentialia communia sint tribus *Divinis Perso- « nis*), tamen unum (*eorum*) secundum rationem suam magis habet « similitudinem ad proprium *unius* Personae quam *alterius.* Unde illi « Personae appropriari potest convenienter. Verbi gratia *Potentia* « habet in ratione sua **principium,** et ideo appropriatur **Patri,** qui « est *principium non de principio* (*Cfr. Q. XXXIII, art. 1, o*); et *Sa- « pientia* (*appropriatur*) **Filio,** qui procedit ut Verbum; et *Bonitas* « **Spiritui Sancto,** qui procedit ut Amor cuius obiectum est Bonum. « Et ita similitudo **appropriati** ad *proprium* Personae facit conve- « nientiam appropriationis ex parte rei: quae (*tamen convenientia*) « esset, etiansi nos non essemus » (I. *Sent.*, loc. cit.).

— Totam hanc rationem breviter exprimit Angelicus scribens:

« Ad manifestationem Fidei conveniens fuit essentialia attributa (*Dei*) « Personis appropriari. Licet enim Trinitas Personarum demonstra- « tione probari non possit ut supra (Q. XXXII, art. 1) dictum est, « convenit tamen ut per aliqua magis manifesta declaretur. — Essen- « tialia vero attributa sunt nobis magis manifesta secundum rationem « (*naturalem*) quam propria Personarum; quia ex creaturis, ex qui- « bus cognitionem accipimus, possumus per certitudinem devenire in « cognitionem essentialium attributorum, non autem in cognitionem « Personalium proprietatum, ut supra (Q. et art. cit.) dictum est. — « Sicut igitur similitudine vestigii vel imaginis in creaturis inventa « utimur ad manifestationem divinarum Personarum, ita et essentia- « libus attributis. — Et haec manifestatio Personarum (*Divinarum*) per « essentialia (*Dei*) attributa appropriatio nominatur » (Hic, o).

669. **Scholium.** « Possunt autem manifestari Personae Divinae « per essentialia attributa *dupliciter:*

« *Uno* modo per viam SIMILITUDINIS; sicut ea quae pertinent ad in- « tellectum, appropriantur (*Dei*) Filio, qui procedit per modum intel- « lectus ut Verbum.

« *Alio* modo per modum DISSIMILITUDINIS (*divinae Personae a crea- « turis*), sicut Potentia appropriatur Patri, ut Augustinus dicit; quia « apud nos Patres solent esse propter senectutem infirmi, ne aliquid « tale suspicemur in Deo » (Hic, o); et ita porro circa appropriatio- nem aliorum Dei nominum essentialium ad alias Personas S.mae Trinitatis, sicut art. seq. dicetur.

ART. VIII. UTRUM CONVENIENTER A SACRIS DOCTORIBUS SINT ESSENTIALIA PERSONIS ATTRIBUTA.

670. Heic exponitur convenientia quarumdam formularum, secundum quas ab Ecclesiae Doctoribus solent aliqua Dei nomina essentialia distribui per appropriationem inter Personas S.mae Trinitatis.

671. Sunt autem harum formularum nonnullae *completae,* constantes videlicet encomiis unicuique Personae S.mae Trinitatis convenientibus; aliae vero sunt *incompletae,* inquantum continent nomen appropriatum solum uni aut alteri divinae Personae. De utrisque formulis pauca; nam qui plura cupit de hac re scire, consulere poterit Cl. P. Ianssens, *Com.* in h. a.

672. Inter formulas completas famosiores sunt quatuor :

A) *Prima* est S. Hilarii, qui in Lib. II *De Trinit.*, n. 1 dicit : « *Aeternitas* est in *Patre, Species* in *Imagine* (*i. e. Filio*), *Usus* in Munere », idest Spiritu Sancto. » — Et

a) *Convenienter facta est haec nominum appropriatio divinis Personis.*

Declar. *Ratione theologica.* 1.°) « *Aeternitas* enim, inquantum « significat *esse non principiatum,* similitudinem habet cum **proprio** « Patris, qui est Principium non de Principio (*Cfr. Q. XXXIII, art. 1, o*).

2.°) « *Species* autem, sive pulchritudo, habet similitudinem cum « **propriis** Filii. — Nam ad pulchritudinem *tria* requiruntur : *primo* « quidem integritas sive perfectio : quae enim diminuta sunt, hoc « ipso turpia (*seu deformia*) sunt : *et* debita proportio sive conso- « nantia (*inter partes*) : *et* iterum claritas. Unde quae habent colorem « nitidum, pulchra esse dicuntur.

« Quantum igitur ad *primum,* (*Species seu Pulchritudo*) similitudi- « nem habet cum **proprio** Filii, inquantum est Filius habens in se « *vere et perfecte* naturam Patris. Unde ad hoc innuendum, Augusti- « nus in sua expositione (Lib. VI *De Trinit.*, cap. 10) dicit : *Ubi*, sci- « licet in Filio, *summa et perfecta vita est.*

« Quantum vero ad *secundum,* (*Species seu Pulchritudo*) convenit « cum **proprio** Filii, inquantum est *imago expressa* Patris. Unde vi- « demus, quod aliqua imago dicitur esse pulchra, si perfecte repræ- « sentet rem quamvis turpem. Et hoc tetigit Augustinus (loc. cit. « cum dicit : *Ubi est tanta* **convenientia** *et prima* **aequalitas,** etc.

« Quantum vero ad *tertium,* convenit etiam cum **proprio** Filii, in- « quantum est *Verbum :* quod quidem *lux est et splendor intellectus,* « ut Damascenus (Lib. I. *De Fide Orthod.*, cap. 18) dicit. Et hoc « tangit Augustinus (loc. cit.) cum dicit : *Tamquam Verbum* **perfe-** « **ctum** *cui non desit aliquid, et* **Ars** *quaedam Omnipotentis Dei,* etc.

3.°) « *Usus* autem habet similitudinem cum **proprio** Spiritus « Sancti, largo modo accipiendo *usum,* secundum quod *Uti* compre- « hendit sub se etiam *Frui ;* prouti *Uti* est assumere aliquid in fa- « cultatem voluntatis, et *Frui* est cum gaudio uti, ut Augustinus « (Lib. X *De Trinit.* cap. 11) dicit. — *Usus* ergo quo Pater et Filius « se invicem fruuntur, convenit cum **proprio** Spiritus Sancti, inquan- « tum est **Amor.** Et hoc est, quod Augustinus (Lib. VI. *De Trinit.*

« cap. 10) dicit : *Illa dilectio, delectatio, felicitas vel beatitudo*, **usus** « ab illo appellatus est. — *Usus* vero quo nos fruimur Deo, similitu- « dinem habet cum proprio Spiritus Sancti, inquantum est **Donum** « *(Cfr. Q. XXXVIII, art. 2)*. Et hoc ostendit Augustinus (ibid.) cum « dicit : *Est in Trinitate Spiritus Sanctus, Genitoris Genitique suavi-* « *tas, ingenti largitate atque ubertate nos vel creaturas* perfundens.

« Et sic patet quare *Aeternitas*, *Species* et *Usus* Personis (*conve-* « *nienter*) attribuantur vel approprientur ; non autem **essentia** vel « **operatio,** quia in ratione horum, propter sui communitatem, non « invenitur aliquid similitudinem habens cum propriis Personarum » (Hic, o) S.mae Trinitatis.

673. *Altera* formula est

B) S. Augustini qui in Lib. I. *De Doctr. Christiana,* cap. 5 dicit : « In *Patre* est **unitas,** in *Filio* **aequalitas,** in *Spiritu Sancto* « aequalitatis unitatisque **concordia** ». De hac formula dico :

b) *Conveniens est quoque appropriatio a S. Agustino facta per eam formulam.*

Declar. *Ratione theologica.* Etenim haec tria : *Unitas, Aequalitas* et *Connexio*, important quidem *unitatem* sed *differenter.*

« Nam **Unitas** dicitur absolute, non praesupponens aliquid aliud. « Et ideo appropriatur *Patri*, qui non praesupponit aliquam Perso- « nam, cum sit *principium* non *de principio* (*Cfr. Q. XXX, art. 1, o*).

« **Aequalitas** autem importat *unitatem* in respectu *ad alterum ;* « nam aequale est quod habet **unam** quantitatem cum alio. Et ideo « aequalitas appropriatur *Filio*, qui est principium de principio (*ibid.*)

Connexio autem importat unitatem aliquorum duarum. Unde « appropriatur *Spiritui Sancto*, inquantum est a duobus » (Hic, o). Legi potest Hugonis Victorini epistola ad S. Bernardum Abbatem Claraevallensem, in qua tractat *De tribus appropriatis Personis in Trinitate.*

674. **Scholium I.**m « Ex quo (*formulae S. Augustini*) sensu « etiam intelligi potest quod dicit Augustinus (Loc. cit.) : **Tria** (*i. e.* « *tres divinas Personas*) esse **unum** propter Patrem, **aequalia** pro- « pter Filium, **connexa** propter Spiritum Sanctum.

« (**Declar.** *Rat. theol.*). Manifestum est enim, quod illi attribui- « tur unumquodque, in quo **primo** (*i. e. prioritate ordinis!!*) inveni-

« tur : sicut omnia inferiora dicuntur *vivere* propter animam vegeta-« bilem, in qua *primo* invenitur ratio vitae in istis inferioribus (*quae apud nos vivunt*).

« **Unitas** autem statim invenitur in Persona *Patris,* etiam per im-« possibile remotis aliis (*divinis*) Personis. Et ideo aliae Personae a « Patre habent unitatem.

« Sed remotis aliis Personis, non invenitur **Aequalitas** in *Patre ;* « sed statim, posito Filio, invenitur aequalitas (*inter Patrem et Fi-« lium*). Et ideo dicuntur omnia aequalia propter Filium ; non quod « Filius sit principium aequalitatis Patri ; sed quia, nisi esset Patri « aequalis Filius, Pater aequalis non posset dici : **Aequalitas** enim « Eius primo consideratur (*per ordinem*) ad Filium. Hoc enim ipsum « quod Spiritus Sanctus Patri aequalis est, a Filio habet.

« Similiter, excluso Spiritu Sancto, qui est duorum (*i. e. Patris « et Filii*) **Nexus,** non posset intelligi *unitas* **connexionis** inter Pa-« trem et Filium. Et ideo dicuntur omnia esse **connexa** propter Spi-« ritum Sanctum : quia, posito Spiritu Sancto, invenitur ratio conne-« xionis in divinis Personis ; unde (*i. e. ex qua ratione*) Pater et « Filius possunt dici *connexi* » (Hic, o).

675. *Tertia* formula ea est qua

C) *Patri* **Omnipotentia,** *Filio* **Sapientia,** et *Spiritui Sancto* appropriatur **Bonitas :** quae quidem formula variis in locis inculcatur a S. Augustino (Cfr. Lib. VII *De Trinit.* capp. 1 et 3; item Lib. XV *De Trinit.,* cap. 17) et a reliquis theologis. Et etiam

c) *Convenienter facta est haec appropriatio.*

Declar. *Ratione theologica.* Equidem haec appropriatio potest a nobis declarari, tum per rationem *similitudinis,* tum per rationem *dissimilitudinis.*

α) Et *primo* quidem per rationem *similitudinis* ad ea, quae unicuique divinae Personae sunt **propria.**

« **Potentia** enim habet rationem principii, unde habet *similitudi-« nem* cum Patre coelesti, qui est principium totius divinitatis (*Cfr. « n. 384, § 1.°, B*).....

« **Sapientia** vero *similitudinem* habet cum Filio coelesti, inquan-« tum est Verbum, quod nihil aliud est quam conceptus Sapientiae...

« **Bonitas** autem, cum sit ratio et obiectum Amoris, habet *simili-« tudinem* cum Spiritu Divino, qui est Amor...» (Hic, o).

β) *Secundo* eadem appropriatio potest declarari per rationem

dissimilitudinis divinarum Personarum a creaturis *homonyme* dictis cum eisdem Personis.

Et sane **Potentia** deficit interdum Patri terreno propter senectutem (Cfr. hic, o).

Deficit item interdum **Sapientia** Filio terreno propter inexperientiam ex eius aetate provenientem (Ibid.).

Bonitas demum repugnantiam habere videtur ad Spiritum terrenum, secundum quod iste importat violentiam quamdam et impulsionem, prout dicitur Isai. XXV, 4 *Spiritus robustorum quasi turbo impellens parietem* (Ibid.).

Ne ergo similes defectus suspicemur in Personis divinis, propterea appropriamus Patri coelesti *Omnipotentiam,* Filio Dei *Sapientiam,* Spiritui Sancto demum *Bonitatem* et *Lenitatem* (Hic, o).

676. **Scholium II.**m Animadverte quod « **Virtus** appropriatur « (*quandoque*) Filio et (*quandoque*) Spiritui Sancto, non secundum « quod *virtus* dicitur ipsa Potentia rei, sed secundum quod interdum « *virtus* dicitur id quod a Potentia rei procedit, prout dicimus aliquid « *virtuosum factum* esse **virtutem** alicuius agentis » (Hic, o).

677. *Quarta* formula appropriationis nominum essentialium divinis Personis desumitur ex

D) S. Paulo qui de Deo, opifice mundi agens, inquit: « **Ex** Ipso « et **per** Ipsum et **in** Ipso sunt omnia » (Rom. XI, 36). Super quae verba S. Augustinus (Lib. VI. *De Trinit.,* cap. 10) dicit: « Non est « confuse accipiendum quod ait Apostolus: *Ex Ipso et per Ipsum et* « *in Ipso, Ex Ipso* dicens propter Patrem, *Per Ipsum* propter Filium, « *In Ipso* propter Spiritum Sanctum ». — Unde et dico:

d) *Convenienter quoque facta est haec appropriatio a S. Augustino.*

Declar. *Ratione S. Thomae.* « Haec enim praepositio **ex** impor- « tat (*quandoque*) habitudinem quamdam causae materialis, quae lo- « cum non habet in divinis: aliquando vero (*denotat*) habitudinem « causae efficientis, quae quidem competit Deo ratione suae poten- « tiae activae. Unde et appropriatur *Patri* sicut et Potentia ».

« Haec vero praepositio **per** designat quidem quandoque causam « *mediam,* sicut dicimus quod Faber operatur *per* martellum: et sic « ly **per** quandoque non est appropriatum sed *proprium Filii*, secun- « dum illud Ioan. I, 3: *Omnia* **per** *Ipsum facta sunt;* non quia Fi- « lius sit instrumentum, sed quia Ipse est *principium* **de** *principio.* —

« Quandoque vero (τὸ **per**) designat habitudinem *formae* (*seu virtu-*
« *tis activae*) per quam agens operatur, sicut dicimus quod artifex
« operatur **per** artem. Unde sicut *Sapientia* et *Ars* appropriantur Fi-
« lio, ita et ly **per quem.** »

« Haec vero praepositio **in** denotat proprie habitudinem continen-
« tis. Continet autem Deus res dupliciter: *uno* modo secundum suas
« similitudines, prout scilicet res dicuntur esse *in* Deo inquantum
« sunt in Eius scientia: et sic hoc quod dico **In Ipso** esset appro-
« priatum Filio. — *Alio* vero modo continentur res a Deo, inquantum
« Deus sua bonitate eas *conservat* et *gubernat* ad finem convenien-
« tem adducendo. Et sic ly **in quo** appropriatur Spiritui Sancto, si-
« cut et *bonitas* » (Hic, o).

678. **Obiic.** *Per* τὸ **In Ipso** *videtur importari habitudo* **causae finalis,** *quae est prima causarum. Ergo ista habitudo causae deberet* **appropriari** *Patri, qui est* **principium non de principio,** *et non Spiritui Sancto.*

R. Conc. antec. — Nego consequens et consequentiam. Etenim concedimus quidem τὸ **in ipso** importare quandoque habitudinem causae finalis, « nec (*tamen*) oportet quod habitudo causae finalis, « quamvis sit prima causarum, approprietur Patri, qui est *principium* « *non de principio:* quia Personae divinae, quarum Pater est princi-
« pium non procedunt ut ad finem (*ordinatae*), cum quaelibet illarum
« sit ultimus finis, sed naturali processione, quae magis ad rationem
« naturalis potentiae pertinere videtur » (Hic, o).

679. **Scholium III.**m Si quis intime perpendet varias formulas appropriationis a Ss. Patribus compositas, eas collectas inveniet ex variis analogiis secundum quas in praesenti vita cognoscimus Deum per speculum creaturarum. Ex hoc ipso enim « intellectus noster, « qui ex creaturis in Dei cognitionem manuducitur, oportet quod « Deum consideret secundum modum, quem ex creaturis assumit. In « consideratione autem alicuius creaturae quatuor per ordinem nobis « occurrunt. Nam

« *primo* consideratur **res** ipsa absolute, inquantum est ens quoddam. (*Et secundum hanc viam composita fuit formula S. Hilarii — Cfr. n. 672*).

« *Secunda* autem consideratio **rei** est, inquantum est una. (*Et secundum hanc considerationem procedit formula S. Augustini — Cfr. n. 673*).

« *Tertia* consideratio **rei** est, secundum quod inest ei virtus ad « operandum et ad causandum. (*Et iuxta hanc considerationem Dei ex creaturis collecta est tertia formula S. Augustini — Cfr. n. 675*).

« *Quarta* autem consideratio **rei** est, secundum habitudinem quam « habet ad causata » (Hic, o). Et sic videtur collecta formula appropriationis superius (Cfr. n. 677) a S. Paulo inducta. — Hactenus de formulis completis appropriationis.

680. Sunt praeterea FORMULAE QUAEDAM INCOMPLETAE appropriantes nomina Dei essentialia *uni* aut *alteri* Personae S.mae Trinitatis : de his formulis pauca adnoto ex Angelico.

A) A quibusdam theologiae cultoribus asseritur τὸ *Veritas* esse nomen appropriatum **uni** Dei Filio : unde et Ipse de se ait : *Ego sum... veritas* (Ioan. XIV, 6)). — Et quidem

a) *Conveniens est huius nominis* **appropriatio** *Filio Dei.*

Prob. *Ratione theologica. Veritas* etenim est essentialiter adaequatio sive *conformitas* quaedam inter rem et intellectum. Conformitas autem convenientiam habet cum imagine, quae in divinis est nomen *proprium* Filii Dei (Q. XXXVI, art. 2). Et ideo convenienter *veritas* est nomen **appropriatum** Filio Dei. Ad rem Angelicus : « Cum Veritas pertinet ad intellectum, ut supra (Q. XVI, art. 1) di- « ctum est, **appropriatur** Filio, non tamen est proprium Eius. Quia « Veritas ut supra (ibid.) dictum est, considerari potest prout est in « *intellectu*, vel prout est in *re*. Sicut igitur intellectus et res, essen- « tialiter sumpta, sunt (*nomina Dei*) essentialia et non personalia, ita « et veritas » (Hic, o — Cfr. XVI, art. 5 ad 2.m).

B) Sicut ex superius (Q. XXIV) dictis habetur, in Deo ponendus est *Liber vitae* metaphorice dictus. Nonnulli theologi igitur, considerantes de ratione libri esse quod ab alio procedat per scriptionem, putaverunt τὸ *Liber vitae* esse nomen proprium in divinis et convenire, vel **soli** Filio Dei, ex ea parte qua liber denotat quoddam opus intelligibile, vel **Spiritui Sancto,** ex ea parte qua iste liber importat vitam, quae in notione quadam interna viventis consistit. — At

b) *Melius dicitur quod* **Liber Vitae** *sit nomen appropriatum* **soli** *Filio Dei.*

Prob. *Ratione theologica.* Appropriatio nominis communis ad aliquod particulare est repetenda ex ea notione, quae exprimitur *in recto* a tali nomine : ista namque notio est semper elementum **es-**

sentiale nominis. « Liber autem vitae *in recto* quidem importat **no-**
« **titiam,** sed *in obliquo* **vitam.** Est enim, ut supra (Q. XXIV, art.
« 1, o) dictum est, notitia Dei de his qui habituri sunt vitam aeter-
« nam. Unde appropriatur Filio (*qui est Dei Patris intelligibile Ver-*
« *bum*); licet *vita* approprietur Spiritu Sancto, inquantum importat
« quemdam interiorem motum, et sic convenit cum proprio Spiritus
« Sancti inquantum est *Amor.*

« Esse autem *scriptum ab alio* non est de ratione *Libri* inquan-
« tum est *Liber*, sed inquantum est quoddam artificiatum. Unde non
« importat originem, neque est (*nomen*) personale sed appropriatur
« personae » (Hic, o) Filii Dei, sicut expositum est.

C) Sunt demum alii theologi, qui, interpretantes illud Exod. III, 14: *Qui est, misit me ad vos,* existimant τὸ *Qui est* esse **proprium** Filii Dei; « quia, si cum Moysi dicitur: *Ego sum qui sum* (ibid.), lo-
« quitur Trinitas, ergo Moyses poterat dicere: *Ille qui est* Pater *et*
« Filius *et* Spiritus Sanctus, *misit me ad vos:* ergo et ulterius dice-
« re poterat: *Ille, qui est* Pater *et* Filius *et* Spiritus Sanctus, *misit*
« *me ad vos,* demonstrando certam Personam (*Trinitatis; quoniam nomen non proprium sed essentiale et concretum potest supponere*
« *pro unaquaque divina Persona*). — Hoc autem (*consequens*) est fal-
« sum; quia nulla (*divina*) Persona est Pater et Filius et Spiritus
« Sanctus. Non ergo (τὸ *Qui est*) potest esse (*nomen*) commune Tri-
« nitati, sed est *proprium* Filii » (Hic arg.^{m} 5.^{m}). — Sed

c) *Melius dicitur quod* τὸ **Qui est** *in verbis relatis ex Lib. Exodi sit nomen* **appropriatum** *Dei Filio.*

Prob. *Ratione theologica.* Esse Redemptorem generis humani est nomen appropriatum **soli** Dei Filio: constat. Atqui in citatis verbis Exodi τὸ **qui est** significat Deum uti Redemptorem generis humani, sicut ex contextu apparet. — Et ideo « ipsum nomen « **Qui**
« **est**» appropriatur Personae Filii, non secundum propriam rationem
« sed ratione adiuncti, inquantum scilicet in locutionibus Dei ad
« Moysen *praefigurabatur* liberatio generis humani, quae facta est
« per Filium.

« Sed tamen secundum quod ly « **qui** » sumitur relative, posset
« referri interdum ad Personam Filii, et sic sumeretur personaliter;
« ut puta, si dicatur: *Filius* est *genitus* **Qui est,** sicut et Deus ge-
« nitus (*nomen*) personale est, sed infinite sumptum est (*nomen*) es-
« sentiale.

« Et licet hoc pronomen « *iste* » grammatice loquendo, ad aliquam « certam personam videatur pertinere ; tamen quaelibet res demon- « strabilis, grammatice loquendo, *persona* dici potest, licet secundum « rei naturam non sit persona : dicimus enim *iste lapis* et *iste asinus*. « Unde et, grammatice loquendo, essentia divina, secundum quod « significatur et supponitur per hoc nomen **Deus,** potest demonstra- « ri hoc pronomine « **iste** » secundum illud Exod. XV, 2 : *Iste Deus « meus, et glorificabo Eum* » (Hic, o).

— Coetera ad hunc articulum pertinentia lege apud antiquos Commentatores, et apud Cl. P. Ianssens, Vol. *De Deo Trino,* in h. a.

QUAESTIO XL

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD RELATIONES SIVE PROPRIETATES

681. **Prologus.** Sicut monuimus in prologo Q. praec., considerare nunc oportet ipsas divinas Personas :

primo in ordine ad relationes reales, quibus constituuntur et distinguuntur, seu quantum ad proprium actum essendi (artt. 1-3 h. q.).

Et, quia relationes reales proveniunt in Deo ex processionibus, videlicet ex quibusdam operationibus Deo immanentibus, propterea

secundo loco considerandae sunt eaedem Personae divinae in ordine ad processiones, a quibus proveniunt in Deo relationes (art. ult. h. q.) : ita ut haec quaestio sit quasi comprehensivus aspectus omnium quae supra in QQ. XXVII-XXIX vidimus.

682. Circa habitudinem inter *Personam divinam* eiusque *personalem relationem* sunt tria declaranda, videlicet :

1.° *An adsit identitas inter ipsas.* (art. 1 h. q.)

Et posito quod adsit, quaeritur

2.° *Quodnam sit* **constitutivum** Personarum divinarum (art. 2 h. q.).

Et posito quod istud constitutivum sint ipsae relationes reales, fit ultima quaestio

3.° *An abstrahendo ab hisce relationibus, maneat in Deo personalitas vera et realis* (art. 3 h. q. — Cfr. Nazarius et Ianssens, *Com.* in h. q.).

Art. I. Utrum Relatio sit idem quod Persona.

683. Agimus de Personis divinis, propterea in titulo τὸ *Persona* ac τὸ *Relatio* designant eas solas, quae intra Deum exsistunt. Est evidens.

684. Quatuor relationes reales in Deo profitemur, videlicet: *Paternitatem, Filiationem, Communem Spirationem* et *Processionem.*

α) Ex his tres tantum, i. e. *Paternitas, Filiatio,* et *Processio,* sunt relationes *Personales,* seu constituentes Personas.

β) Eaedem tres relationes Personales, una cum *Innascibilitate,* vocantur quoque Proprietates Personales; eo quod conveniunt **uni** tantum ex divinis Personis, sicut consideranti patet (Cfr. hic ad 1.m; et Q. XXXII, art. 3, o).

γ) Et ob hanc causam S. Thomas Paternitatem, Filiationem, et Processionem appellat indifferenter *Relationes* et quandoque *proprietates.*

685. « Ut (*vero*) ipsemet titulus innuit, disceptatio praecipue in« tenditur circa relationes personales, seu Personarum distinctivas « et constitutivas... : nempe circa *Paternitatem, Filiationem* ac *Pro« cessionem;* de Spiratione enim, communi Patri et Filio, ad quam « Personae primo non comparantur, occasionalis *tantum* mentio ha« bebitur » (Paquet, Op. cit., *Com.* in h. a.—Cfr. Nazarius, *Com.* in h. a.).

686. Rursum, quamvis praecipue fiat quaestio de identitate *reali,* tamen non excludimus considerare distinctionem rationis inter *Relationem* et *Divinam Personam.* Unde τὸ *idem,* quod ponitur in titulo debet intelligi de identitate tum *rei* tum *rationis* (Cfr. Nazarius, ibid.).

687. Sic igitur quaestio, de qua agitur, est ista: *Utrum adsit identitas, tam* **realis,** *quam* **rationis,** *inter* **Personam divinam** *et* **eius Relationem personalem,** *sive* **Proprietatem Personalem.** (Cfr. n. 684, β).

688. Ad huius quaesiti solutionem duo sunt ex praedictis notanda:

A) *primum* est essentiam divinam esse *identicam realiter* cum relatione divina, propter maximam Dei simplicitatem; *distingui* tamen *virtualiter* seu secundum rationem vel definitionem ab ipsa re-

latione divina, inquantum τὸ *essentia divina* non exprimit aliquam oppositionem relativam ad *aliam correlationem,* sicut Paternitas habet oppositionem relativam ad Filiationem (Cfr. Q. praec. art. 1, o; item I. *Sent.* Dist. XXXIII, Q. I, art. 1, o).

B) *Secundo,* ex dictis in Q. XXVIII, adverte quod relatio exprimit duas *notiones* logice tantum distinctas :

α) *unam* IN, et secundum hanc notionem relatio respicit *subiectum,* quod formaliter actuat,

β) *alteram* vero AD, et per hanc notionem relatio consistit in ordine seu respectu *unius* extremi ad *alterum* extremum.

689. His praemissis, recolendum est ex Q. XXVIII, art. 2, quod

A) Gilbertus Porretanus, considerans relationem secundum propriam rationem specificam, seu quantum ad τὸ AD, posuit relationes divinas esse *assistentes* et quasi *extrinsecus affixas,* atque *realiter distingui* a divina substantia (Cfr. Q. praec. art. 1, o) : et has relationes, in Deo extrinsecus affixas, ipse nominavit Personas ; unde ipse intulit *Personam* et *essentiam* in Deo distingui *realiter.* Sed quia non est possibile, propter summam Dei simplicitatem, ponere *distinctionem realem* inter essentiam divinam et Personam divinam (Cfr. loc. prox. cit.), propterea ex falsa positione Gilberti logice sequitur *Relationes* seu *Proprietates Personales* divinarum personarum non esse veraciter neque *Personas* neque *in Personis* (Cfr. Caiet. *Com.* in h. a. § *Ad hoc*). — At contra

a) *Positio Gilberti est omnino reiicienda*

Prob. *Ratione theologica.* « Relatio, secundum quod est quae« dam **res** in divinis, est (*realiter*) ipsa divina essentia (*Cfr. Q. XXVIII, art. 2, o ; quoniam haec relatio, spectata secundum notionem IN, non habet ullam oppositionem relativam ad essentiam*). « Essentia autem idem (*realiter in Deo*) est quod Persona, ut ex di« ctis (Q. praec. art. 1, o) patet. Oportet (*ergo*) quod *Relatio* sit « idem quod *Persona* (Hic, o) in Deo.

Confirmatur. « In divinis non differunt QUOD est et QUO est « (*Cfr. Q. III, art. 3, o*), ut habetur a Boëthio in Lib. *De Hebdomad.* « Sed Pater *Paternitate* est Pater. Ergo **Pater** idem est quod **Pater« nitas:** et eadem ratione aliae proprietates idem sunt (*realiter*) cum « Personis divinis » (Hic, *Sed Cont.*), quarum sunt (Cfr. Caiet. loc. cit.).

690. **Obiic. 1.°** *Non solum* **Relatio** *et* **Persona** *sunt realiter*

idem cum essentia divina, sed etiam **Pater** *et* **Filius** *sunt idem cum essentia divina. At, hoc non obstante,* **Pater** *distinguitur realiter a* **Filio.** *Ergo et similiter* **Relatio** *distinguitur realiter a* **Persona dina.** Ita obiicit P. Valentia, *Com.* in h. a.

R. Transeat maior. — Conc. min. — Nego consequens et paritatem. Et dico (Cfr. Q. XXVIII, art. 3 ad 1.m) *ea quae sunt* **eadem** *uni tertio* tunc *esse* **identica** realiter *inter se, quando non habent invicem* **ullam oppositionem relativam:** revera **Actio** et **Passio,** quantumvis *identica realiter* cum **Motu,** *distinguuntur* tamen *realiter* inter se; quia **Actio** est **Motus** uti *egrediens* ab agente, dum **Passio** est **Motus** uti *receptus* in subiecto. — Iamvero *Pater* et *Filius* in divinis dicunt **oppositionem relativam,** dum *Relatio divina,* et *Persona divina,* a tali relatione constituta, **nullam oppositionem relativam** includunt. — Et ideo, licet in divinis *Pater* et *Filius* sint *idem realiter* cum **Essentia divina,** nequeunt tamen dici *realiter identici* **inter se:** e contra, *Relatio divina* et *Divina Essentia* sunt dicendae *unum et idem* **realiter** inter se, quia *nullam oppositionem realem* inter se habeant; sicut et n.° praec. ostendimus.

691. Aliorum nunc sequitur opinio. Etenim

B) « Hanc... identitatem alii (*uti Praepositivus — Cfr. Q. XXXII, art. 2, o — et Gregorius Ariminensis in I. Sent. Dist. XXV, Q. uni-* « *ca*) considerantes, dixerunt proprietates (*i. e. Paternitatem, Filiatio-* « *nem et Processionem*) quidem esse Personas, non autem (*esse*) IN « Personis; quia non ponebant proprietates in divinis, nisi secundum « modum loquendi, ut supra (Q. cit.) dictum est » (Hic, o). — Sed contra

b) *Praepositivi et Gregorii Ariminensis positio est etiam reiicienda.*

Prob. 1.° *Ex auctoritate Ecclesiae Romanae,* quae in Praefatione S.mae Trinitatis canit « ut *in* Personis proprietas, *in* Essentia « unitas, et *in* maiestate adoretur aequalitas ». Ergo quod in Personis divinis sint proprietates, nullus catholicorum poterit inficiari (Cfr. Mag. Sententiar. Lib. I. Dist. XXXIII, § *Post supradicta*).

2.° *Ratione theologica.* Equidem Forma veraciter *est in* eo, cuius est talis forma; hoc enim est de ratione Formae. — At *Relatio* in divinis significatur tamquam Forma *constituens* Personam: ita ex. gr. *Paternitas divina,* eaque sola, est Formalitas divina, qua constituitur *Persona Patris.* — Ergo veraciter Relationes divinae sunt in

divinis Personis (Hic, o; et I. *Sent.* Dist. XXXIII, Q. I, art. 2, o, et *Sed Cont.* — Cfr. Bannez, *Com.* in h. a.).

692. **Obiic. 2.°** *Ecclesiae loquutio in citata praefatione est* **impropria.** *Ergo illa auctoritas non est urgenda.* Ita Gregorius Arimiensis, loc. cit.

R. Nego, tum antecedens, tum consequens; « quoniam contex- « tus (*laudatae praefationis*) proprietatem ipsam (*sermonis*) aperit. « Non enim negari potest, quod proprie dicatur **unitas** in essentia « et **aequalitas** in maiestate. Ergo et proprie dicitur, quod **proprie-** « **tas** est in Personis » (Capponi, *Append.* in h. a.).

Accedit, quod, si propositiones a Conciliis dogmatice definitae debent in sensu proprio accipi, **a fortiori** hanc eamdem proprietatem sermonis fuisse ab Ecclesia observatam in sermone litturgico credendum est; quum « legem credendi lex statuat supplicandi » (*Enchir.* n. 139), iuxta illud « Credidi **propter quod** locutus sum » (Psal. CXV, 1). Unde et Paulus Rom. X, 10 et 14 ait: « **Corde...** « creditur ad iustitiam, **ore** autem confessio fit ad salutem... Quo- « modo ergo *invocabunt,* in quem *non crediderunt?*».

693. **Obiic. 3.°** *Concil. Later. IV in cap.* Damnamus *definivit ita:* « Pater..., ab aeterno Filium generando, *suam substantiam* Ei dedit » (*Enchir.* n. 432). *At Pater aeternus non communicavit Filio suo* **Paternitatem.** *Ergo* **Paternitas** *non est ipsa* **substantia** *Dei Patris.* Ita idem Gregorius, loc. cit.

R. Ad mai. admitto auctoritatem Concilii, et distinguo sensum verborum eius: *Pater dedit Filio suam substantiam* quantum ad realitatem **absolutam:** *Concedo;* quantum ad realitatem **relativam:** *Nego.* — Concedo min. Nego consequens et dico Patrem coelestem Filio suo dedisse totam suam substantiam, quantum ad **omnem** perfectionem *entitatis* **absolutae,** quae continetur in divina substantia; non autem quantum ad **totam** perfectionem entitatis **relativae,** ex. gr. **Paternitatis,** quam habet: quia haec perfectio relativa **Paternitatis** est incompossibilis cum perfectione relativa **Filiationis** exsistente in Dei Filio. — Et hoc modo est intelligenda adducta definitio ex Concilio Lateranensi. — Unde bene invicem cohaerent haec duo, quod scilicet *Deus Pater* communicaverit totam suam substantiam *Filio suo;* et quod Paternitas sit proprietas in **solo** Deo Patre exsistens (Cfr. Bannez, Zumel, Nazarius, Torres, Sylvius etc., *Com.* in h. a.).

694. Reiectis falsis opinionibus, statuitur sequens S. Thomae

Conclusio. *In Deo* **Relatio personalis** α) *est* **realiter** *ipsa Persona divina,* β) *et est in Persona.*

Nota. Pertinet ad catholicam doctrinam (Cfr. nn. 689-691).

Prob. **I.ª pars.** *Ratione theologica.* Equidem in Deo, propter summam eius simplicitatem, *abstractum* est idem realiter cum *concreto* (Cfr. Q. III, art. 3, o), puta Paternitas divina est *idem realiter* ac Deus Pater; Filiatio divina est *idem realiter* ac Deus Filius; Processio divina est *idem realiter* ac ipse Spiritus Sanctus. — Videlicet, Relatio personalis in Deo *est* **realiter** ipsa Persona divina. Q. E. D. (Cfr. hic, o).

Prob. **II.ª pars.** *Ratione theologica.* Sic se habet *Paternitas* ad Deum *Patrem,* sicut *Deitas* ad *Deum;* sicut paulo ante dictum est. — Atqui *Deitas* non solum est *Deus,* sed etiam est veraciter *in Deo:* constat. — Ergo et a pari *Paternitas* est *in Deo Patre,* et generatim *Relatio personalis* est *in Persona* (Hic, o et ad 1.m). Q. E. D.

695. **Scholia.** *A*) Dixi in conclusione Relationem divinam *identificari realiter* cum Persona divina; quoniam datur distinctio *virtualis,* seu rationis ratiocinatae, inter utramque realitatem.

α) **Declar.** Etenim Relatio Paternitatis exprimit aliquid ad modum **Formae abstractae,** dum Persona Patris exprimit aliquid ad instar **termini concreti** per se subsistentis (Cfr. hic ad 1.m et 2.m). Ergo *Paternitas* et *Persona Patris* (et idem cogita de *Filiatione* ac *Persona Filii,* etc.) **virtualiter** solum invicem distinguuntur.

B) Quia tamen *Relatio Personalis* habet alium modum significandi a *Persona divina,* propterea quamvis identicae realiter in Deo sint *Relatio Personalis* et *Persona,* tamen illud quod praedicatur de **uno** eorum, nequit praedicari simpliciter de **altero.**

β) **Declar.** Revera «*participia* et *verba notionalia* (*ex. gr. ge-*«*nerat, spirans etc.*) significant actus notionales: actus autem sup-«positorum sunt. *Proprietates* autem non significant ut supposita, «sed ut formae suppositorum. Et ideo *modus significandi* repugnat, «ut *participia* et *verba notionalia* de *proprietatibus* praedicentur» (Hic ad 3.m). Videlicet non potest dici: *Paternitas generat, Filiatio spirat* etc. (Cfr. Q. praec. art. 5), dum recte dicimus: *Pater* **generat,** *Filius* **spirat** *Paraclitum,* etc.

γ) Pari modo ex eo quod *Essentia divina* est quidem identica *realiter,* sed *virtualiter* distinguitur ab ipsa *Relatione divina,* sequitur

quod, licet vera sit propositio : *Relatio divina* **refertur** *ad aliud,* non potest tamen dici quod *Essentia divina* **refertur** *ad aliud* (Cfr. I. *Sent.* Dist. XXXIII, Q. I, art. 2 ad 3.m).

C) Conclusio praecedens est evidenter vera quando sermo est de *Proprietatibus* **Personalibus ;** at etiam *Proprietates* **Non-Personales,** uti *Communis Spiratio,* sunt Divina Persona et **in** Divina Persona (Cfr. n. 685).

γ) **Declar.** verbis S. Thomae. Etenim « quia... divina simplicitas « excludit compositionem *subiecti* et *accidentis* (Cfr. Q. III, art. 6, o), « sequitur quod quidquid attribuitur Deo, est eius essentia. Et pro- « pter hoc Sapientia et Virtus idem sunt in Deo, quia ambo (*attri- « buta*) sunt in divina essentia... Proprietates autem non personales « sunt idem cum Personis... qua ratione illud quod attribuitur Deo, « est eius essentia. Sic igitur *Communis Spiratio* est idem cum Per- « sona Patris et cum Persona Filii : non quod sit **una Persona** per « se subsistens ; sed, sicut una *essentia* est in duabus Personis, ita « et una *proprietas,* ut supra (Q. XXX, art. 2) dictum est » (Hic ad 1.m). — Unde et supra, Q. XXX art. 2, diximus quod « Communis « Spiratio **in** Patre est (*realiter Deus*) Pater; et in Filio est (*realiter « Deus*) Filius » (Opusc. II, cap. 65).

696. Q. An possit dici, quod *Relatio sit* **in** *Essentia divina.*

R. *Relationes divinae,* seu *Proprietates, sunt* **in** *Personis divinis et* **in** *Essentia divina ; differenter tamen.*

Declar. verbis S. Doctoris. Revera « proprietates dicuntur esse « **in** Essentia per modum **identitatis** tantum (*inquantum scilicet sunt* **idem realiter** *cum divina essentia — Cfr. Q. XXVIII, art. 2, o*) ; « **in** Personis autem dicuntur esse per modum identitatis, non qui- « dem secundum rem tantum, sed quantum ad modum significandi « (*quia scilicet significantur*) sicut forma in supposito. Et ideo pro- « prietates determinant et distinguunt Personas, non autem essen- tiam » (Hic ad 2.m — Cfr. I. *Sent.* Dist. XXXIII, Q. I, art. 2), eo videlicet modo quo *Forma* determinat *subiectum* quod actuat.

Art. II. Utrum Personae distinguantur per Relationes.

697. Quum ostensum sit in praec. art. Relationes Personales esse *realiter identicas* cum divinis Personis in quibus sunt (videlicet Paternitatem esse *realiter identicam* cum Deo Patre, Filiationem

cum Deo Filio, et Processionem cum Spiritu Sancto) nunc gravis exurgit quaestio :

Quodnam scilicet, iuxta nostrum modum concipiendi, habendum sit tamquam **primum principium** *formaliter constituens* unamquamque Personam, et *distinguens* illam ab omnibus aliis Personis eiusdem Ss. Trinitatis.

698. Et adverte necessitatem huius investigationis. Etenim « in « quibuscumque pluribus invenitur aliquid commune, oportet quaere- « re aliquid distinctivum (*illorum plurium ; secus huiusmodi plura « nonnisi* **nomine tenus** *essent plura*). Unde cum tres (*divinae*) Per- « sonae conveniant secundum essentiae unitatem, necesse est quae- « rere **aliquid quo** distinguantur, ad hoc ut plura sint » (Hic, o) : secus inquirentibus quanam formalitate Deus Pater **distinguatur realiter** a Deo Filio, non possemus eis nos quidquam certo respondere. Quod esset inconveniens.

699. Ex quo argumento evincitur quoque huiusmodi principia, constitutiva et formaliter distinctiva divinarum Personarum, **de facto** exstare. Si namque datur *de facto* **distinctio realis** inter divinas Personas, exstat *de facto* principium formale realiter distinguens illas inter se. Est res evidens.

700. **Criterium.** Principium hoc formale, vere constituens et mutuo distinguens divinas Personas, debet

1.° esse aliquid *positivum*. — Nam dicere, quod principium distinguens et constituens Personas divinas consistat in aliquo negativo, valet idem ac *de medio* tollere omnem positivam distinctionem *realem* inter easdem Personas, et ulterius Deo denegare *veram* atque *realem* personalitatem, illum relinquendo in quodam *fieri* sicut Hegeliani dicunt (Cfr. art. 3 h. q. ad 3.m).

2.° debet exprimere *entitatem realem*, et non *ens* pure *rationis*. — Etenim, ob Dei summam simplicitatem, principium *quo* constituitur *divina Persona* est **realiter** ipsamet *Persona divina*. At Persona divina nequit esse ens *pure* logicum, sed debet exprimere *ens reale*.

3.° debet esse aliquid *intrinsecum eisdem Personis*. — « Quia ad « hoc quod aliqua duo distincta intelligantur, necesse est eorum di- « stinctionem intelligi per aliquid intrinsecum utrique ; sicut in rebus « creatis (*duo supposita distinguuntur*), vel per **materiam** (*sicut vi- « dere est in* **Petro** *et* **Paulo**), vel per **formam** » (Hic, o), sicut contingit inter Angelos (Cfr. Vol. I. *De Deo Uno*, nn. 201-204).

4.° debet esse aliquid **sola** *ratione ratiocinata,* seu virtualiter tantum, *distinctum a Persona divina.* — Etenim **nulla** compositio sed omnimoda simplicitas convenit cuilibet divinae Personae (Cfr. hic ad 1.m). Unde « distinctio in divinis Personis non est sic intelligenda, « quasi aliquid *commune* dividatur ; quia *essentia communis* remanet « *indivisa ;* sed oportet, quod ipsa distinguentia *constituant* res di- « stinctas » (Hic, o).

5.° debet exprimere *formalitatem* quamdam, **non absolutam,** *sed* **relativam.** — Equidem **principium,** faciens distinctionem inter plures res, debet **proportionari** *naturae* seu *indoli* distinctionis, quae viget inter illas res. Iamvero Personae divinae distinguuntur inter sese non per aliquod elementum *absolutum,* quia quantum ad formalitatem absolutam adest in eis *summa unitas.* Ergo principium, **formaliter** distinguens easdem Personas, nequit reponi in aliqua formalitate *absoluta,* sed in **sola** formalitate *relativa.*

Confirmatur haec veritas ex fontibus theologiae revelatae. Et **primo** auctoritate Ss. Patrum. Etenim α) Boëthius (Lib. I. *De Trinit.* cap. 6) dicit: « Sola Relatio multiplicat Trinitatem divinarum Personarum ».

β) S. Cyrillus Alexandrinus (Lib. II. *Thesaur.* cap. 3) ait: « Cum « non composita sed simplex *natura Deitatis* sit, numquam in plures « Personas distingueretur, nisi quaedam inveniretur differentia non « secundum **essentiam** (*consequenter neque secundum aliquod abso-* « *lutum*) sed secundum **relationem** ».

γ) S. Ioan Damascenus (Lib. III. *De Fide Orthod.,* cap. 5) dicit: « Personarum... discrimen in solis tribus proprietatibus, scilicet quod « **unus** sine causa (*seu principio*) sit et Pater, **alter** a causa (*i. e.* « *principio*) et Filius, **alter** item a causa (*i. e. principio*) et Proce- « dens, esse positum agnoscimus etc. » (*Enchir. Patris.,* n. 2362).

δ) S. Anselmus denique (Lib. *De Proces. Spir. Sanct.,* cap. 2) scribit: « Haec **sola** causa pluralitatis est in Deo, ut Pater et Filius « et Spiritus Sanctus dici non possint de se invicem, sed alii sint ab « invicem, **quia** *praedictis modis* dicitur **Deus** de **Deo** : quod **totum** « potest dici **Relatio** ».

Secundo. Eadem veritas ex Conciliis habetur ; nom α) Synodus Toletana XI in *Symbolo Fidei* dicit : « In relatione Personarum **nu-** « **merus** cernitur, in Divinitatis vero **substantia** quid numeratum sit « non comprehenditur. Ergo in hoc solum numerum insinuant quod

« **ad** invicem sunt; et in hoc numero carent quod **in** se sunt » (Denzinger, *Enchir.* n. 280).

β) Concil. Later. IV in Cap. *Firmiter* dicit: « Sancta Trinitas, « secundum communem essentiam *individuo,* et secundum Personales « proprietates *discreta* » est (*Enchir.* n. 428).

γ) In Concilio Florentino, sub Eugenio PP. IV, noster Ioannes a Monte Nigro inquit: « Relationes huiusmodi Personas multiplicant: « ita ut non alia ratione, quam vi relationis, Pater a Filio ac una « Persona ab alia differat ». Eadem fuit sententia a Card. Bessarione, nomine Ecclesiae Graecae, expressa in *Oratione pro Unione,* quam coram Patribus Florentinis in eadem Synodo habuit.

Unde merito inferre possumus Patres et Doctores omnes, tam Latinos, quam Graecos, agnoscere pro principio formaliter distinguente divinas Personas formalitatem aliquam non absolutam sed relativam. Et ideo huic sententiae pertinaciter contradicere, non solum temerarium est, sed etiam haereticum; sicut P. Bannez admonet *Com.* in h. a. *Dub. 1.°* § *Pro solutione.*

6.° Ulterius principium, vere constituens et mutuo distinguens divinas Personas, debet *exprimere minimum distinctionis.* — Nam quum distinctio fiat per quemdam *recessum ab unitate,* « quanto di« stinctio **prior** est, tanto **propinquior** est unitati, et ideo debet « esse **minima** (*omnium distinctionum. At* **prima** *distinctio est distinctio divinarum Personarum; sicut prima processio est processio* « **ad intra** *divinarum Personarum*). Et ideo distinctio Personarum « (*divinarum*) non debet esse nisi per id quod minimum distinguit » (Hic ad 3.m). Unde optimo iure damnata fuit a Gregorio PP. XI, 7 Kalendas Feb. 1376, tamquam erronea positio Raymundi Lullii dicentis divinas Personas distingui inter se maiori distinctione quae possibilis est; prouti ex Nicolao Eymeric (*Direct. Inquisit.,* P. II, q. 9) referunt Natalis Alexander in *Histor. Eccles.,* Saec. XIII, cap. 3, art. 20, item Bzovius ad an. 1372, et Duplessis D' Argentrè.

7.° denique principium, vere constituens et mutuo distinguens divinas Personas, *non debet praesupponere* in ordine logico *ipsam Personam divinam tamquam distinctam,* sed hanc Personarum distinctionem **formaliter** *perficere* (Cfr. hic ad 4.m). Patet.

701. Recapitulando itaque omnes has conditiones, concludimus, quod « principium, formaliter constituens et distinguens inter se di« vinas Personas, debet esse formalitas aliqua positiva, realis, in-

« trinseca divinae Personae, virtualiter tantum distincta ab eadem « Persona, exprimens aliquid relativum et minimum distinctionis, ac « demum non praesupponens in *ordine logico* Personam uti constitu- « tam, sed potius constituens formaliter eam ».

702. Hoc criterio constituto, sequitur expositio et crisis opinionum Theologorum.

A) Praepositivus etenim et Gregorius Ariminensis (I. *Sent.* Dist. XXVI et XXVII, art. 2, *concl. 2.ª*), existimantes (Cfr. n. 691) nullas proprietates esse in Personis, dixerunt Personam unamquamque divinam secundum *se totam* distingui ab aliis et non secundum *aliquam sui proprietatem.* — Sed contra eos

a) **Dico.** *Personae divinae non distinguuntur secundum se totas.*

Nota. Haec propositio « adeo certa est ut oppositum, non modo « sit temerarium, sed et proximum errori » (Bannez, *Com.* in h. a., § *Dub. 2.°*).

Prob. 1.° *Ex Conciliis.* Nam Concilium Later. IV, Cap. *Firmiter* ait: « Sancta Trinitas secundum communem essentiam **individua** « (*est*) et secundum personales proprietates **discreta** » (*Enchir.* n. 428). His concinunt verba. Conc. Toletani XI et Conc. Florentini n. 700, § 5.° relata. Ex quibus aperte deducitur, quod Personae divinae distinguantur, non secundum *se totas,* neque secundum *essentiam,* sed **solis** *proprietatibus personalibus,* videlicet relationibus Paternitatis, Filiationis et Processionis (Cfr. n. 684, α, β).

2.° *Ratione theologica.* Ea quae *se totis* distinguuntur, differunt in *essentia,* in *attributis,* et quantum ad *omnia, quae in ipsis cogitare possumus.* Constat. — Si ergo divinae Personae secundum *se totas* distinguerentur, differrent **etiam** quantum *ad essentiam:* tolleretur consequenter inter eas **consubstantialitas.** Quod est haereticum.

703. **Obiic. 1.°** *Res simplices nonnisi* **seipsis** *distinguuntur.* Divinae *Personae sunt simplicissimae. Ergo* **seipsis** *inter se distinguuntur.*

R. Dist. mai. *Res, tum* formaliter, *tum* virtualiter, *simplices nonnisi* etc.: *Concedo. Res,* formaliter *simplices, et* virtualiter *multiplices, nonnisi* etc.: *Nego.* — Contradistinguo minorem ad sensum maioris, Nego consequens, et dico, quod, si plures res sint simplices, tam *formaliter,* quam *virtualiter,* posito quod invicem distinguantur, ipsae secundum *se totas* sunt distinctae: ita ex. gr. *ens purum* et

non-ens purum, item *Deus* et *materia prima,* item *rationale* et *irrationale, affirmatio* quoque et negatio, secundum se tota **diversa** sunt. — Sed res, *formaliter* simplices, et *virtualiter* multiplices, habent in se aliquid *quo* ab aliis differunt. Eo ipso namque quod tales res sunt *virtualiter* multiplices, habent *in se* fundamentum *vi cuius* potest intellectus noster in illis rebus considerare formalitatem, qua *una* earum ab *aliis* distinguitur. — Persona autem, utpote *realiter identica* cum divina essentia, est *formaliter* infinita et *virtualiter* multiplex : patet. — Et ideo in eisdem divinis Personis mens nostra designare potest formalitatem, qua invicem distinguuntur (Cfr. hic ad 1.m).

704. Praepositivi et Gregorii Ariminensis opinione relicta, quum Persona divina ex *substantia* et *proprietatibus* subsistat, sicut Ioannes de Monte Nigro Sess. XVIII in Concilio Florentino ait, necesse est, ut distinctivum Personarum divinarum sit, *vel* substantia, *vel* aliqua earum proprietas.

B) Quidam ergo ex antiquis theologis, uti Ioannes de Ripa, Lyncolniensis et Lichetus, dixerunt « divinas Personas constitui *pro-*« *prietatibus* **absolutis,** quas tamen proprietates *consequebantur* « quaedam relationes quae *exstrinsece* se habent ad *constitutionem* « divinarum Personarum.

α) « Eamdem sententiam refert Marsilius in I (*Sent.*), Q. XXX, « art. 1.

β) « Et quidem Scotus (*I.* Sent., *Dist. XXVI, Q. unica, opin. 3.ª, doctorique subtili adhaesit* Theodorus Smising, O. M. in opere *De* « *Deo Trino, Disp. II., Q. I. n. 16*) libenter subscriberet huic sen-« tentiae, nisi Ecclesiae censuram timeret » (Bannez, *Com.* in h. a. *Dub. 1.°*). — At contra

b) **Dico.** *Horum doctorum sententia non videtur posse,* **salva Fide,** *teneri* (Cfr. Bannez, loc. cit.).

Prob. *Ratione theologica.* Sicut enim supra (Cfr. n. 700, 5.°) ostendimus, principium distinguens divinas Personas non potest reponi in eo quod est commune tribus Personis. — At omnia *attributa* **absoluta,** quae in Deo concipimus, sunt *communia* tribus divinis Personis (Cfr. *Enchir.* n. 428). — Ergo inscite non minus quam temerarie, ne dicam haeretice, poterit affirmari *Divinas Personas* distingui inter se *per aliquid absolutum.*

705. **Obiic. 2.°** *Subsistentia in Deo est* **perfectio absoluta.**

Atqui divinae Personae distinguuntur invicem per proprias subsistentias. Ergo ipsae distinguuntur ad invicem per **perfectionem** *aliquam* **absolutam.**

R. Dist. mai. *Subsistentia in Deo,* prout exprimit independentiam a subiecto inhaesionis, *est* etc. : *Concedo ;* prout exprimit formalitatem incommunicabilitatis ad aliam divinam Personam : *Nego.* — Contradistinguo min. ad sensum mai. Nego consequens et dico subsistentiam divinam posse a nobis considerari duobus modis, videlicet *adaequate* et *inadaequate.*

Si *Dei subsistentia* accipiatur *inadaequate,* nempe pro independentia a quolibet subiecto inhaesionis, ea est perfectio **absoluta ;** quia non connotat *relationem aliquam* divinam.

At si *Dei subsistentia* accipiatur *adaequate,* prout exprimit formalitatem secundum quam una divina Persona est alteri **incommunicabilis,** tunc huiusmodi subsistentia divina est proprietas seu perfectio aliqua Dei **relativa,** videlicet : *Paternitas* aut *Filiatio* aut *Processio.*

Modo divinae Personae distinguuntur invicem per **oppositionem relativam,** sicut omnes concedunt.

Et ideo, quia *oppositio relativa* invenitur in Dei subsistentia **adaequate** accepta, dicendum est quod Personae divinae invicem distinguantur *non* per Dei subsistentiam quatenus est Dei perfectio **absoluta,** *sed* per Dei subsistentiam quatenus ea est Dei perfectio **relativa.**

706. **Corollarium I.m** Relinquitur igitur divinas Personas inter se distingui per formalitatem aliquam relativam. « Inveniuntur autem « in divinis Personis duo (*elementa* **relationem** *connotantia et*) se- « cundum quae (*Personae*) differunt, scilicet **origo** et **relatio.** — « Quae quidem duo (*quum non habeant invicem oppositionem* **rela- « tivam,** *non distinguuntur* **realiter** *inter se: verum*) quamvis *re* non « differant, differunt tamen secundum *modum significandi.* Nam

α) « **origo** significatur per modum *actus,* ut **Generatio** (*quae significat* originem alicuius viventis a principio vivente coniuncto... secundum rationem similitudinis in natura eiusdem speciei. — Cfr. supra Q. XXVII, art. 2, o) ;

β) « **relatio** vero (*significatur*) per modum *formae,* ut **Paternitas** » (Hic, o), **Filiatio** et **Processio.**

Unde et principium, *formaliter* distinguens divinas Personas inter

se, oportet quod sit vel **origo,** vel **relatio,** inter easdem Personas exsistens.

707. Hoc igitur principio firmiter retento,

C) theologi « quidam... (*uti Marsilius ab Inghem in I.* Sent. *Q.* « *XXX, art. 2; Richardus a S. Victore, etc.*) attendentes quod *Rela-* « *tio* consequitur *actum* (*aliquem Deo immanentem* — Cfr. Q. XXVIII, art. 1 — *actus vero* **supponit** *Personam, iuxta illud proverbium:* « **Actiones sunt Suppositorum**) dixerunt quod *hypostases* in divi- « nis distinguuntur per **originem;** ut dicamus quod *Pater* distingui- « tur a *Filio* inquantum ille **generat** et hic est **genitus.** Relationes « autem sive proprietates (*personales, concedebant isti theologi,* « *quod*) manifestant consequenter (*sive a posteriori*) hypostasum seu « personarum distinctiones; sicut et in creaturis (*corporalibus*) pro- « prietates manifestant (*a posteriori*) distinctiones individuorum quae « fiunt per materialia principia » (Hic, o — Cfr. infra n. 739).

Nota. Opinio ista solet attribui etiam S. Bonaventurae, quasi antilogia sit hac super re inter Angelicum et Seraphicum. At Patres Minores, qui curant novam editionem operum S. Bonaventurae, dissidium inter hos duos Ss. Doctores potius ad modum dicendi quam ad res ipsas referendum esse existimant. Quam sane conciliationem longe ante Minores indicavit et sequutus est noster Caietanus, *Com.* in h. a. — Sed contra opinionem talium doctorum

c) **Dico.** *Haec opinio non videtur* **sufficienter** *consentanea doctrinae theologicae.*

Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° Loquimur de divinis secundum analogiam ad creaturas: constat. Sed in creaturis non potest esse, quod *res genita* et *generans* distinguantur per **solam originem:** probabo. Ergo et similiter non potest in bona theologia sustineri, quod hypostases seu Personae in divinis distinguantur per **solam originem.** — Illatio est clara, supposito quod *minor* sit vera. — Prob. min. Equidem « ad hoc ut aliqua *duo* (*tamquam* **realiter**) distincta « intelligantur, necesse est eorum distinctionem intelligi per aliquid « **intrinsecum** utrique: sicut in rebus creatis (*duo individua distin-* « *guuntur*) vel per **materiam** (*ornatam signata quantitate, sicut vi-* « *dere est inter* **Petrum** *et* **Paulum**) vel per **formam** (*ut accidit in Angelis — Cfr. Vol. I De Deo Uno, n. 202:—Unde ea, quae non significantur tamquam intrinseca divinis Personis, non possunt istas* « *inter se distinguere*). — **Origo** autem alicuis rei non significatur ut

« aliquid intrinsecum (*illimet rei*) sed ut via quaedam **a re** (*si sermo « sit de origine* **active** *sumpta* vel **ad rem** *si loquamur de origine* **« passive** *dicta*); sicut *Generatio* significatur ut via quaedam **ad « rem genitam,** et ut **progrediens a** Generante. Unde non potest « esse, quod res **genita** et **generans** distinguantur *sola* generatione » (Hic, o), seu per **solam originem** *unius* ab *alia*. Q. E. D.

2.° « Distinctio in divinis Personis non est sic intelligenda, qua« si aliquid commune dividatur, quia essentia communis remanet in« divisa ; sed oportet quod ipsa distinguentia (*non praesupponant* — « Cfr. n. 700, § 7.° — *sed*) constituant res distinctas. Sic autem *re« lationes* vel *proprietates* distinguunt vel constituunt hypostases vel « personas, inquantum sunt ipsae Personae subsistentes ; sicut *Pa« ternitas* est *Pater* et *Filiatio* est *Filius,* eo quod in divinis non dif« ferunt **abstractum** et **concretum.** — Sed contra rationem (*i. e. in« dolem*) **originis** est quod constituat *hipostasim* vel *personam;* quia « **origo,** *active* significata, significatur ut progrediens **a** Persona sub« sistente, unde praesupponit eam : **origo** autem *passive* significata, « ut nativitas, significatur ut **via** ad personam subsistentem, et non« dum ut eam constituens » (Hic, o). Unde non recte dicitur divinas Personas **sola origine** inter se diferre.

708. Aliorum opinionibus reiectis, videtur melius dicendum cum S. Thoma et thomistis prout sequitur

Conclusio I. *Principium* **formaliter** *distinguens divinas Personas, sunt Relationes Personales.*

Nota. Est veritas magis consentanea doctrinae Ss. Patrum, et Conciliorum, sicut ex eorum verbis supra (n.° 700, 5.°) relatis apparet.

Prob. *Rationibus theologicis.* 1.° quidem *directe.* Etenim principium, **formaliter** distinguens divinas Personas, debet habere (Cfr. n. 701) has dotes, videlicet: α) esse aliquid *realiter positivum,* β) *intrinsecum* eidem Personae, γ) *identicum* **realiter** cum eadem Persona, δ) *virtualiter* tamen distinctum ab illa Persona, item ε) debet esse aliquid *relativum,* ζ) exprimere *minimam distinctionem,* et η) *in* **ordine logico** *non praesupponere* Personam distinctam a coeteris aliis, sed hanc **formaliter** distinctam reddere. — Iamvero *Relationes Personales,* videlicet: *Paternitas, Filiatio* et *Peocessio*

primo sunt aliquid *positivum,* uti patet ;

secundo sunt aliquid *intrinsecum eisdem divinis Personis ;* nam

Paternitas adest intrinsece in Deo Patre, Filiatio in Deo Filio, et Processio in Deo Spiritu Sancto, sicut ex ipsis terminis patet; item sunt

tertio *realiter identicae* cum eisdem Personis, videlicet: divina *Paternitas* est ipse *Deus Pater,* divina *Filiatio* est ipse *Deus Filius,* et divina *Processio* est ipsa Persona *Spiritus Sancti* (Cfr. n. 694, α);

quarto etiam *virtualiter* **sub aliquo aspectu** (sicut dicemus n. 716, α) *distinguuntur* a divinis Personis; adhuc etiam

quinto sunt aliquid **formaliter** *relativum;* nihil enim magis relativum dari potest, quam ipsa *Relatio,* puta *Paternitatis, Filiationis* aut *Processionis;* rursum ipsaemet

sexto natae sunt *exprimere* **minimam distinctionem**. Etenim « minimae distinctioni debet respondere pro principio illud, quod **mi-** « **nimum** habet de **ente** et quod **minimam compositionem** facit. « Sed inter omnia alia *Relatio* est debilioris *esse* ut dicit Commen- « tator (X. *Metaph.,* Text. 19), adeo quod quidam (*philosophi et Gil-* « *bertus Porretanus*) reputaverunt eam esse de intentionibus secun- « dis (*videlicet ens non quidem reale sed rationis*), ut dictum est... « (*Cfr. Q. XXVIII, art. 2, o*). Ergo videtur, quod (*Relationi*) maxime « competat ad distinctionem Personarum » (I. *Sent.* Dist. XXVI, Q. II, art. 2 § *Sed Cont.*) divinarum conducere (Cfr. hic ad 3.m). —

sepfimo denique *Relationes* illae *Personales* non praesupponunt *in ordine* **logico** Personas uti *realiter distinctas,* sed reddunt illas uti *formaliter* distinctas. Etenim « *Relatio* praesupponit distinctionem « suppositorum, quando est *accidens.* Sed si Relatio sit subsistens, « non praesupponit, sed secum fert, distinctionem. (*Equidem princi-* *pium* **formalis distinctionis** *est oppositio quaedam inter membra di-* « *visionis, et* **oppositio** *includitur* in qualibet relatione — Cfr. I. *Sent.,* « art. cit., o). Cum enim dicitur quod *relativi esse* est *ad aliud se* « *habere,* per ly **aliud** intelligitur **correlativum,** quod non est **prius,** « sed **simul** natura » (Hic ad 4.m).

Ergo rectissime huiusmodi *Relationes Personales* sunt principium *formaliter* distinguens divinas Personas. Q. E. D.

2.° probatur *indirecte.* Principium, *formaliter* distinguens divinas Personas, debet ad illas se habere tamquam *forma* quaedam **permanens** et **completa.** — At **Origo** secundum quam una Persona ab alia procedit, non significat aliquid ad modum *formae permanentis* et *completae,* sed exprimit aliquid instar *notionis* seu **viae egre-**

dientis a Persona originante, aut **terminantis** ad Personam ortam seu originatam : e contra *Relationes* seu proprietates *Personales,* ex proprio modo significandi, habent ut significent **formam quamdam permanentem** et completam. — Ergo principium *formaliter* distinguens Personas divinas, potius quam **Origo,** est **Relatio.** Q. E. D. (Hic, o).

709. **Scholium I.m** Ostendimus Personas divinas *insufficienter* distingui per earum *origines* **activas** et **passivas** (Cfr. n. 707, *c*), distingui autem *melius* per earum proprietates seu *relationes personales* (Cfr. n. praec.). Hic modus dicendi indicat **duo :**

A) **Primum** est quod *Personae divinae* **aliquo modo** *distinguantur etiam per origines* **activas** *et* **passivas.**

Prob. 1.° *Ex Ss. Patribus,* qui *explicant* distinctionem Personarum per voces pertinentes ad *origines.* Ita

α) S. Ioan. Damascenus (Lib. III. *De Fide Orthod.,* cap. 7) de Filio Dei dicit quod : « eiusdem sit cum Patre essentiae, ac Generationis dumtaxat modo et relatione a Paterna Persona differat » (Cfr. ibid. Lib. I, cap. 11).

β) S. Fulgentius (Lib. *De Fide ad Petrum,* cap, 1) ait : « Quia aliud est *genuisse* quam *natum esse,* aliudque est *procedere* quam « *genuisse* vel *natum esse,* manifestum est quoniam *alius* est Pater, « *alius* Filius, *alius* Spiritus Sanctus ».

γ) S. Ambrosius quoque (Lib. I. *De Fide,* cap. 2) dicit : « Inter « *Patrem* et *Filium* Generationis **expressa** distinctio etc ».

δ) S. Augustinus quoque (Lib. V. *De Trinit.* capp. 6 et 7) utitur nominibus *Genitoris* et *Geniti* ad Personas Dei Patris ac Dei Filii distinguendas.

ε) Et S. Thomas in *Hymno Corporis Christi,* quem universa canit Ecclesia, scripsit : « *Genitori Genitoque* laus et iubilatio, etc. ».

2.° *Ratione theologica* idem probatur. Nam *origo* **activa** vel **passiva** denotat aliquid **proprium** alicui divinae Personae : ex. gr. in Deo Generatio **activa** est propria **solius** Dei Patris, Generatio vero **passiva** est propria **solius** Filii Dei. — Iamvero distinctio rerum fit *aliquo modo* etiam per ea quae sunt *propria* eisdem rebus. — Ergo distinctio divinarum Personarum fit *aliqualiter* etiam per origines earum **activas** et **passivas.**

B) **Alterum,** quod notatum volo, est quod Personae divinae « licet... distinguantur utroque modo, tamen **prius** et **principalius**

« per relationes secundum (*nostrum*) modum intelligendi » (*quam per origines distinguuntur inter se*) :

« α) **per prius,** *inquam*: nam *Origo* significatur per modum « **actus** ut Generatio (*consequenter* **praesupponit** *Personam, quia* « *actiones sunt suppositorum*), *Relatio* vero (*significatur*) per modum « formae (*constituentis Personam*), ut *Paternitas* » (Hic, o) constituit Personam Patris.

β) Et etiam *Personae divinae* **principalius** per *Relationes* quam per *Origines* distinguuntur. Illud enim, quod non solum significat proprietatem sed etiam hypostasim, distinguit Personam *magis principaliter* quam illud quod significat *solummodo* proprietatem personalem. — Iamvero *Origo* significat *solummodo* proprietatem quamdam personalem, dum *Relatio* personalis significat *tum* proprietatem *tum* hypostasim. — Ergo divinae Personae **principalius** per *Relationes* quam per *Origines* distinguuntur (Cfr. hic, o).

710. **Corollarium II.**m Ex dictis fit evidens « quod hoc nomen « **Pater** (*et idem dic de nominibus* **Filio** *et* **Spiritu Sancto**) non so« lum significat *proprietatem* sed etiam *hypostasim* : sed hoc nomen « **Genitor** vel **Generans** significat tantum *proprietatem*. Quia hoc « nomen **Pater** significat relationem (*Paternitatis*), quae est *distincti*« *va* et *constitutiva* hypostasis; hoc autem nomen **Generans** vel **Ge**« **nitus** significat *originem,* quae non est distinctiva et constitutiva « hypostasis » (Hic, o).

711. **Obiic. 3.**° *Salomon, Prov. XXX, 4, quaerit :* "Quod nomen est Eius et quod nomen Filii Eius, si nosti?". *Super quae verba Scotus in* I. *Sent.* Dist. XXVI, *3.*ª *Opinio, arguit in hunc fere modum :* « Quaestio omnis *supponit* aliquid certum et *quaerit* dubium. At Sa« lomon in citato loco supponit tamquam **certum** nomen *Filii* et « quaerit nomen **proprium** Eius. Ergo **Filiatio** non est nomen ex« primens formalitatem **proprie** *constitutivam* et *distinctivam* **Filii** « ab *aliis duabus* Personis S.mae Trinitatis. »

R. Conc. maior. — Dist. min. *Salomon...* **proprium** *Eius* explicans illum prout in se est: *Concedo;* explicans illum secundum quod est cognoscibilis ex creaturis : *Nego.* — Pari modo distinguo consequens ; et

A) **Primo** dico quod in laudatis S. Scripturae verbis « est aequi« vocatio de nomine *Filii Dei.* — Dupliciter enim potest *nominari* si« cut et *concipi* (*Persona Filii Dei*) :

« **uno modo,** secundum *suum,* ut ita dicam, *quod-quid-est ;*

« **alio modo,** secundum *conceptus* et *nomina* ex creaturis *abstra-*
« *hibilia.*

« Et *primo* quidem *modo* nullum nomen non solum *Filii* sed nec « *Dei* habemus : scriptum est enim Isai. LIII, 8 : "*Generationem Eius* « *quis enarrabit?*". Et sic (=*ideo*) **Filius** est nomen proprium secun- « dae Personae divinae inter nomina (*abstrahibilia ex creaturis*) pa- « rientia nobis cognitionem **quia est.** Et cum hoc, nomen **proprium** « (*Filii Dei*) pertinens ad cognitionem *quid est,* est ineffabile ; sicut « etiam *Deus* est nomen **proprium** ipsius Dei, et tamen nomen, si- « gnificans *qui est Deus,* ineffabile est » (Caiet. *Com.* in h. a.).

B) « **Secundo** respondetur quod Sapiens in illo loco inquirebat « *aliud* nomen secundae Personae Trinitatis, non tamen **absolutum** (*seu explicans* **quod-quid-est** *Filii, sicut optime dixit Caietanus*), « sed **respectivum,** videlicet illud nomen quod nos docuit D. Ioan- « nes in primo capite sui Evangelii, scilicet **Verbum :** quod fuerat « incognitum in praecedentibus saeculis » (Bannez, *Com.* in h. a. § *Dub. 1.°* ad 1.m).

712. Difficilis nunc, scitu tamen necessaria suboritur

Q. *Quonam scilicet modo intelligi debeat, quod* **Relationes Personales,** *quae sunt ipsaemet divinae Personae, possint esse* **principium quo formaliter** *eaedem Personae ad invicem distinguantur ?*

Pro huius quaestionis resolutione rememorandum est, ex dictis in art. 1 Q. XXVIII, relationem posse considerari :

α) vel quoad notionem eius **quasi** *genericam,* videlicet quoad notionem IN, et sub hac facie importat *ordinem ad subiectum* in quo talis relatio INest :

β) vel quantum ad notionem eius **specificam,** videlicet quantum ad notionem AD, et sub hac facie talis relatio importat ordinem AD aliud extremum correlative oppositum ipsi subiecto, seu importat *ordinem* AD *terminum* eiusdem relationis.

Ex. g. in Adamo *Paternitas,* considerata quantum ad *notionem* IN, sive **generice** inquantum est quoddam accidens, importat ordinem ad **solam** personam Adami in qua inhaeret ; dum eadem *Paternitas* considerata **specifice** sive quantum ad notionem AD, importat respectum ad **Abel** filium Adami, qui ab ea paternitate respicitur.

713. **Scholium II.m** Facile est advertere 1.° relationem, consideratam *generice* sub ratione IN, seu inquantum est quoddam *acci-*

dens reale, comprehendere **omnia attributa absoluta,** quae, tam *enti transcendentali,* quam *supremae categoriae* accidentis conveniunt. 2.° e contra relatio spectata quantum ad eius elementum *specificum,* idest notionem AD, quia exprimit **solam** formalitatem relativam, comprehendit consequenter **omnia attributa relativa** secundum quae *unum* extremum relationis solet dici de *altero* extremo accepto *in obliquo,* ex. gr. *Filius* est *Patris,* etc.

714. Adhuc relatio, considerata sub *notione* AD, vel melius *notio* AD quae invenitur in relatione, potest considerari dupliciter. Etenim *notio* IN et *notio* AD, quae in definitione relationis inveniuntur, **sola ratione** distinguuntur, eo prorsus modo quo elementum *genericum* et elementum *differentiale,* quae unam speciem componunt, distinguuntur *logice* **tantum** inter se. Unde possumus dicere quod circa relationem *notio* AD se habet ad *notionem* IN, quemadmodum loquendo de Homine τὸ *Rationale* se habet ad τὸ *Animal.* Consequenter sicut, loquendo de *Homine* τὸ *Rationale* potest considerari primo **in seipso,** secundo **per ordinem ad** τὸ Animal quod determinat, pari modo loquendo de *Relatione,* **notio** AD potest considerari:

primo secundum faciem qua connotat vel osculatur notionem IN, et in hoc casu *notio* AD consideratur tamquam formalitas **complens** naturam *specificam* relationis ;

alio modo notio AD potest considerari in semetipsa reduplicative, quatenus exprimit formalitatem AD seu quatenus exprimit AD *ut* AD ; et haec notio AD *ut* AD nihil aliud est quam *referentia actualis* **unius** *extremi* relative ad **alterum** *extremum relationis eiusdem.*

Atqui *notio* IN exprimit *formalitatem* INhaerentem in *subiecto relationis.*

Ergo *notio* AD, considerata secundum quod *conotat* IN, non est nisi formalitas relativa quatenus **in actu signato** afficit subiectum INhaesionis, illudque constituit tamquam **unum extremum** relationis.

Ex opposito *notio* AD *ut* AD exprimit formalitatem relativam, qua **unum** extremum relationis, iam constitutum, refertur *in actu exercito* AD **alterum** extremum eiusdem relationis.

715. Ea quae circa relationem *in communi* dicta sunt, applicamus nunc ad *relationes reales in Deo exsistentes.* Et, animadvertendo quod in Deo nullum accidens potest inveniri, sed quidquid vera-

citer in Deo exsistit est ipsamet Dei substantia, facile deducitur, quod *Relatio divina* potest considerari:

α) **primo** sub formalitate IN, et tunc exprimit τὸ *Absolutum* Deitatis, videlicet **omnia attributa absoluta** quae conveniunt Deo tamquam enti infinito; imo est *realiter* ipsa essentia Dei individualiter exsistens.

β) **Secundo** sub formalitate AD, et tunc exprimit formalitatem relativam secundum quam Personae divinae invicem se respiciunt et opponuntur, videlicet exprimit *subsistentias personales, actus notionales, origines activas* et *passivas,* et **quidquid aliud** formalitatis relativae *concipi potest inter divinas Personas:* ita tamen ut

γ) Notio AD, considerata quatenus in Deo connotat notionem IN, exprimit formalitatem relationis **reduplicative** prouti afficit et in actu signato constituit **unum** extremorum relationis quod subsistit in Deo: et

δ) Notio AD *ut* AD, in Deo exsistens, exprimit formalitatem relationis qua **unum** extremum relationis, iam constitutum, refertur in actu exercito AD **alterum** extremum.

716. Quibus praenotatis, pro solutione praepositae (Cfr. n. 712) quaestionis, statuitur

Conclusio II. *Principium,* **formaliter distinguens** *inter se divinas Personas, est* **Relatio Personalis,** *considerata* α) *non sub notione* IN, β) *nec sub notione* AD *ut* AD, γ) *sed sub notione* AD *ut* IN.

Nota. Est communis inter Thomistas.

Prob. *I.ª pars* conclusionis. *Ratione theologica.* Relatio divina, accepta sub *notione* IN, nihil aliud exprimit quam realitatem Dei **pure absolutam,** videlicet *essentiam Dei* individualiter *exsistentem* (Cfr. n. praec., α). — Haec autem, utpote elementum *essentialiter commune* tribus divinis Personis, nequit assumi tamquam principium **formaliter distinguens** inter se divinas Personas: constat. — Ergo Relatio divina, accepta sub *notione* IN, non potest esse principium **formaliter distinguens** inter se divinas Personas.

Prob. *II.ª pars* conclusionis. *Ratione theologica.* Extrema Relationum intime intra Deum exsistentium sunt ipsae Personae, sicut ex dictis patet. Quo posito fit argumentum. Principium, *formaliter distinguens* inter se divinas Personas, *non debet* **praesupponere in ordine logico** eas tamquam *iam formaliter distinctas,* sed potius

debet secundum nostrum modum intelligendi significari tamquam aliquid *reddens* formaliter distinctas easdem Personas.

Atqui Relatio divina, accepta sub notione AD *ut* AD, exprimit referentiam actualem unius divinae Personae ad alteram divinam Personam correlative oppositam; consequenter **praesupponit** Personas divinas *iam constitutas* et *distinctas* inter se (Cfr. n. praec., δ).

Ergo Relatio divina, accepta sub *notione* AD *ut* AD, non potest esse principium **formaliter distinguens** inter se Personas Divinas.

Prob. *III.ª pars* conclusionis. *Ratione theologica.* Equidem quoniam Personae divinae **solum relative** ad invicem opponuntur ac distinguuntur, propterea *principium* formaliter *distinguens* inter se divinas Personas, debet ex necessitate esse *formalitas relativa* et inducens IN termino, quem informat, **oppositionem** AD **alium** terminum sibi **correlative** oppositum. Constat.

Modo *Relatio,* considerata sub notione AD *ut connotat* IN, est evidenter *formalitas relativa,* item *inducit* IN termino, quem informat, oppositionem relativam AD alium terminum sibi **correlative** oppositum. Ita ex. gr. *Paternitas* IN subiecto quod informat (seu quod vocatur **Pater**) inducit oppositionem *relative* AD subiectum quod dicitur **Filius.**

Ergo verissime Principium, **formaliter** distinguens inter se divinas Personas, est **Relatio Personalis** considerata sub notione AD *ut connotat* IN (Cfr. Caiet., *Com.* in hunc et art. 4 h. q.; item Bannez, Sylvius etc. *Com.* in h. a.; item Ioan. a S. Thoma heic Dissert. XVI, art. 1; Gonet, Disp. XI *De Trinit.* art. 2-3; et Billuart, Disp. IV. *De Trinit.* art. 2).

717. **Obiic. 4.°** *Relatio Paternitatis* **praesupponit operationem generativam.** *Operatio generativa* **praesupponit** *Personam Patris* **in suo esse personali** *constitutam. Ergo Relatio Paternitatis* **praesupponit** *Personam Patris iam* **in suo esse personali** *constitutam. Consequenter* (Cfr. n. 700, 7.°) *non potest esse principium* **formaliter constituens** *et* **distinguens** *divinas Personas inter se.*

R. Dist. mai. Relatio Paternitatis **praesupponit** operationem generativam in creaturis: *Concedo;* in Deo: *Subdist.* praesupponit operationem generativam, tamquam **realiter a se distinctam:** *Nego;* tamquam **realiter sibi identicam:** *Concedo.* — Pari modo distinguo

minorem et *primum* consequens. — Nego *alterum* consequens, et

α) dico quod argumentum istud (quod nimis molestum videtur pro nostro systemate) mihi videtur, salvo meliori iudicio, puerili fallacia necnon absurditate respersum. Adversarii namque in hoc argumento procedunt, quasi haec tria, *Persona* scilicet *Dei Patris, Operatio Generativa* et *Relatio Paternitatis,* sint inter se *realiter distincta,* atque inter illa tria inveniatur *realiter* aliqua *prioritas* et *posterioritas...!* Nos e contra advertentes illamet tria non habere inter se ullam oppositionem relativam, quinimo invicem se connotare, profitemur ea esse *realiter identica,* atque **sola** *ratione ratiocinata* inter se distingui. Probo singula.

β) Et in primis quod *Generativa Operatio* in Deo distinguatur tantum virtualiter a *Relatione Paternitatis,* testis est S. Thomas, quando dicit *originem* et *relationem* non differre nisi *penes modum significandi* (Hic, o). Constat autem *Operationem Generativam* esse ipsam *Originem* **active** *consideratam.*

Ex alia vero parte *Relatio Paternitatis,* in Deo subsistens, est ipsa *Persona Patris.*

Ergo verissime non adest *realis distinctio* (et consequenter nec aliqua **realis prioritas** atque **posterioritas** inter haec tria, videlicet *Personam Dei Patris, Operationem Generativam* et *Relationem Paternitatis ;* sed adest solummodo **diversus modus significandi** inquantum

Operatio Generativa **connotat** non solum *Relationem Paternitatis* tamquam formam hypostaticam Dei Patris, sed etiam **connotat** ipsam *actualem habitudinem Patris ad Filium,* aliis verbis connotat *Relationem Paternitatis* quatenus exprimit τὸ AD **ut osculans** τὸ IN et **ulterius** connotat τὸ AD **ut** AD quod est in Deo Patre **erga** Deum Filium ; dum e contra

Relatio Paternitatis, tamquam forma hypostativa Dei Patris, **connotat solam** Personam Dei Patris **in seipsa.**

Consequenter **nonnisi** quantum ad modum significandi verificatur quod in Deo Relatio Paternitatis *praesupponat* (!!!...) Operationem Generativam ; et quod Operatio Generativa *praesupponat* (!!!...) Personam Dei Patris constitutam in proprio esse personali ; et quod Relatio Paternitatis *praesupponat* (!!!...) eamdem Personam constitutam in proprio esse personali (Cfr. I. *Sent.,* Dist. XXVII, Q. I, art. 2, o).

— Sed de hac difficultate erit iterum sermo in art. 4 h. q. Nunc gradum facimus ad seq.

Art. III. Utrum, abstractis per intellectum relationibus a Personis, adhuc remaneant hypostases.

718. Quum in praecedenti articulo statutum sit divinas Personas constitui et distingui invicem per Relationes Personales, Paternitatis scilicet, Filiationis et Processionis, considerando unamquamque earum sub notione AD ut connotat τὸ IN, succedit praesens quaestio: *An in Deo remaneant plures hypostases* **realiter** *inter se distinctae, si* **per operationem nostri intellectus** *abstrahamus* **relationes** *a Divinis Personis?*

719. Et, ne fallamur, recolendum est ex Q. XXIX art. 2, o, ad 1.m et ad 3.m hypostasim, secundum vim graeci nominis ὑποστάσις (= *sub-stare*), significare *substantiam individualizatam* quae scilicet praeter elementa essentiae specificae complectitur etiam principia individuantia talem essentiam; cuiusmodi est ex. gr. τὸ *Hic Homo*. Quum enim dico «*Hic Homo*» designo Animal Rationale non nude acceptum sed prouti ornatur aliquibus principiis individualibus. Sic igitur

A) Ὑποστάσις nominat synthesim ex essentia substantiae specificae, *quae pluribus individuis potest esse communis,* et ex principiis eam individuantibus, *quae principia vocantur etiam* **notae** seu **proprietates personales.**

720. Atqui in Deo invenitur una essentia divina quae tribus Personis est communis, item haec essentia invenitur cum aliquibus proprietatibus (Cfr. n. 684, β) in una Persona et cum aliis proprietatibus in alia Persona. Ergo *unaquaeque* Persona divina est vere hypostasis, habens scilicet praeter essentiam divinam, quae est elementum in quo convenit cum aliis duabus divinis Personis, etiam proprietates personales secundum quas ab aliis Personis distinguitur. Et ideo evenit quod «sicut nos dicimus in divinis pluraliter *tres* «*Personas* et *tres Subsistentias,* ita Graeci dicunt *tres hypostases*» (Q. XXIX, art. 2 ad 2.m), idest tres substantias individualiter distinctas (I. *Sent.* Dist. XXVI, Q. I, art. 2, o, ad 2.m et ad 3.m).

721. Circa vocem «**abstractis**», quae habetur in titulo, adverte

quod *abstractio* iuxta vocis etymologiam est *unius ab alio, cum quo coniungitur, tractio sive separatio.*

α) Unde haec abstractio exerceri potest super quodlibet ens quod vel realiter vel virtualiter, sit multiplex seu compositum ex pluribus.

β) *Res,* quae accipitur seorsim ab aliis cum quibus coniungitur, dicitur **abstracte sumpta.**

722. Distinguitur abstractio in

A) *realem* et *logicam.*

α) Abstractio *realis* vel *materialis* est illa, qua physice separantur partes obiecti quae materialiter unitae sunt. Ita abstractio realis adest, quando ab ave pennae avelluntur.

β) Abstractio *logica* seu *intentionalis* est illa, qua per operationem mentis consideramus in obiecto intelligibili unum tantum ex elementis aut proprietatibus illius obiecti (Cfr. S. Thom. Lib. III. *De Anima,* Lect. 12). Ex. gr. abstractione logica utor, quando in notione *entis* considero speciatim notionem *veritatis,* nihil curando alias entis dotes.

723. Abstractio logica subdistinguitur in

B) *totalem* et *formalem.*

α) « Abstractio *totalis* fit, cum natura superior sive universalior, « sine notis, quibus ad speciem vel individuum determinata est, spe- « ctatur : uti cum de aliquo homine cogito ipsum esse animal ratio- « nale, vel cum *Animal* considero quin ipsum uti *Hominem* inspi- « ciam. — Dicitur **totalis,** quia natura communior, ex. gr. *Animal,* se « habet ut totum respectu naturae inferioris, ex. gr. *Homo.*

β) « Abstractio autem *formalis* fit, cum in sui essentia tantum « aliqua natura accipitur (*et*) extra (*omne*) subiectum, in quo subsi- « stit, vel cui inhaeret, ex. gr. *Humanitas, Altitudo* » (Signoriello, *Lexic. Peripat.* litt. A, n. X. — Cfr. hic, o ; et Caiet. in Opusc. *De Ente et Essentia,* Q. I.).

C) Res abstracta *formaliter* nonnisi nomine abstracto exprimitur, dum res *totaliter* abstracta potest quandoque per nomen concretum exprimi. Patet ex adductis exemplis.

724. **Scholium** « Inter has autem abstractiones (*totalem scilicet* « *et formalem*) haec est differentia, quod

α) «in abstractione (*totali*), quae fit secundum *universale* et *par-* « *ticulare,* non remanet id (*particulare nempe obiectum*) a quo fit

« abstractio. Remota enim ab homine differentia **rationali,** non re-« manet in intellectu (*nostro*) **Homo** sed solum **Animal.**

β) « In abstractione vero quae attenditur secundum *formam* a « *materia,* utrumque manet in (*nostro*) intellectu. Abstrahendo enim « formam circuli ab aere, remanet seorsum in intellectu nostro et in-« tellectus (*i. e. notio*) circuli et intellectus (*seu notio*) aeris » (Hic, o).

725. His praesuppositis,

Dico 1.° *Si* **Relationes Personales** *abstraherentur, seu abes-sent,* **realiter** *a Deo, Deus non esset Trinus in Personis.*

Decl. Equidem Relationes Personales, in Deo *realiter* exsisten-tes, sunt ipsaemet divinae Personae (Cfr. n. 231). Ergo, si Relatio-nes istae Personales, in Deo *realiter* exsistentes, abstraherentur, seu abessent, *realiter* a Deo, non exsisterent amplius in Deo Per-sonae divinae, seu Deus non esset Trinus in Personis (Cfr. hic, o; item I. *Sent.* Dist. XXVI, Q. I, art. 2, o; item Sylvius, *Com.* in h. a.).

726. Seposita igitur abstractione hac reali,

Dico 2.° *Abstractio* logica, *tam* formalis *quam* totalis, *potest a nostro intellectu exerceri circa divinas Personas.*

Decl. Revera abstractio logica est illa, qua per operationem nostrae mentis consideramus in obiecto cognito unum elementum seorsim ab aliis cum quibus in tali obiecto cognito unitur (Cfr. n. 723). Unde abstractio logica potest habere locum super obiecto, quod, licet in se simplex, continet tamen in se multas formalitates.

Hoc autem praecipue habet locum in divinis. « Quamvis enim in « divinis non sit *universale* neque *particulare,* nec *forma* et *materia* « secundum *rem,* tamen secundum *modum significandi* invenitur ali-« qua similitudo horum in divinis: secundum quem modum Damasce-« nus dicit (Lib. III. *Orthod. Fid.,* cap. 6), quod (*in divinis*) commune « est substantia, particulare vero hypostasis » (Hic, o).

Et ideo abstractio *logica,* tam *formalis* quam *totalis,* potest a nostro intellectu exerceri circa divina.

727. Ex dictis denique in art. 2 Q. XXXII recole, quod inter re-lationes reales divinas nonnullae se habent tamquam proprietates personales, puta *Innascibilitas, Paternitas,* etc.; aliae vero se ha-bent tamquam proprietates non personales, utputa *Communis Spira-tio* (Cfr. hic, o).

728. His praemissis, ad praesentis articuli quaesitum (Cfr. n. 718) deveniendo, respondeo dicendum quod triplex est opinio theologorum circa istud punctum.

A) « Quidam dicunt, quod, sicut est in creaturis, quod, remotis « *relationibus* et *proprietatibus,* remanent ipsae hypostases **seipsis** « distinctae, ita est etiam in divinis. Unde dicunt, quod *abstracta* « personalitate, idest relatione *constituente* personam, remanet *hypo-* « *stasis.* — Sed

a) « *Hoc non* videtur *posse stare secundum Fidei suppositionem.* **(Decl.)** «**Primo** (*quidem considerando hanc positionem in seipsa*) « quia cum *pluralitas* semper causetur ex aliqua distinctione, et di- « stinctio omnis sit vel per *essentiam,* vel per *quantitatem* vel per « *relationem,* impossibile est in Deo esse aliquam *distinctionem* nisi « quam causat *relatio.* Unde, remotis relationibus per intellectum, « simul tollitur ipse intellectus distinctionis.

« **Secundo** quia (*horum doctorum positio procedit ex falsa suppositione, quasi scilicet* relatio in Deo esset accidens, sicut *contingit* « *in creaturis. Etenim*) in divinis nihil praedicatur sicut accidens vel « sicut forma inhaerens alicui praeexsistenti. Unde quidquid signifi- « catur per modum formae, totum est subsistens. Unde, sicut remo- « ta essentia per intellectum, non remanet aliquid quasi recipiens « illam essentiam, quia ipsamet essentia est subsistens, ita... et si- « militer, remota relatione per intellectum, non relinquitur aliquid « quasi substratum illi relationi, sed ipsamet relatio est res subsi- « stens. Unde (*in divinis*) abstracta relatione, proprie loquendo, nihil « manet neque absolutum, neque relatum, neque hypostasis neque « essentia » (I. *Sent.* Dist. XXVI, Q. I, art. 2, o. — Cfr. ibid. ad 1.m et 2.m).

Confirmatur. « Sicut dicit Augustinus (Lib. VI. *De Trinit.,* capp. « 2 et 3), in omnibus *Pater* et *Filius* unum sunt praeter ea quae **ad** « **aliquid** dicuntur. Remoto igitur per intellectum hoc quo Pater ad « alterum dicitur, remanet **solum** id in quo Pater et Filius uniuntur. « Sed hoc non potest esse distinctum in divinis. Ergo, remota Rela- « tione per intellectum, non remanent hypostases distinctae.—Hoc « idem videtur per Boëthium qui dicit (Lib. I. *De Trinit.,* cap. 12), « quod *in divinis* **sola** *relatio multiplicat Trinitatem* » (I. *Sent.* loc. cit. *Sed Cont.*).

729. Praecedente opinione remota,

B) Alii Doctores (Cfr. nn. 210-211) existimantes in divinis *hypostasim* distingui a *Persona,* dixerunt « quod hypostases in divinis « non distinguuntur per relationes sed per **solam** originem, ut intel- « ligatur Pater esse hypostasis quaedam per hoc quod *non est ab* « *alio,* Filius autem per hoc quod *est ab alio per Generationem.* Sed « Relationes, advenientes quasi proprietates ad dignitatem pertinen- « tes, constituunt rationem Personae, unde et Personales dicuntur. « — Unde (*inferebant praecitati doctores, quod*) remotis huiusmodi « relationibus per intellectum, remanent quidem hypostases sed non « Personae. — Sed

b) « *Hoc non potest esse propter duo.*

(Decl.) « **Primo :** quia Relationes (*personales*) distinguunt et « constituunt hypostases (*seu Personas divinas*) ut art. praec. osten- « sum est » (Hic, o). Et ideo, remotis hisce relationibus per intellectum, in Deo nequeunt manere nec hypostases neque Personae.

« **Secundo :** quia omnis hypostasis naturae rationalis est Perso- « na, ut patet per definitionem Boëthii (Lib. *De duab. Natur.*) dicen- « tis quod Persona est *rationalis naturae individua substantia.* Unde « ad hoc quod esset hypostasis et non persona, oporteret abstrahi « ex parte naturae rationalitatem, non autem ex parte Personae « proprietatem » (Hic, o — Cfr. Caiet. *Com.* in h. a.).

730. His igitur opinionibus remotis, ponimus cum Angelico sequentes conclusiones.

Conclusio I. *Si fiat sermo de* **abstractione totali,** *abstractis a divinis Personis relationibus* **personalibus,** *non remanent in Deo ullae hypostases, sed* **sola** essentia divina *tribus Personis communis.*

Prob. *Ratione theologica.* Quando fit abstractio totalis, non remanet illud particulare ex quo abstractum fuit universale. Abstracto namque τῷ *Rationali* ab *Homine,* non remanet amplius *particulare* quod est Homo, sed solum *universale* quod est Animal. — Atqui essentia divina se habet ad Personam divinam, sicut *universale* vel *commune* ad *particulare* (Cfr. n. 660, 1.°). — Ergo, si fiat etc. (Hic, o).

731. **Conclusio II.** *Si loquamur de abstractione formali, atque a Personis divinis abstrahamus proprietates* **non personales** *sed* **communes,** *remanent adhuc reliquae hypostases seu Personae divinae.*

Prob. *Ratione theologica.* Equidem remota proprietate, non con-

stituente Personam, non destruitur sed permanet adhuc Persona illa. At proprietates *non personales* non constituunt aliquam divinam Personam, sicut evidens est ex terminis. Et ideo «remoto per (*nostrum*) «intellectum a Patre (τῷ) quod sit *ingenitus* vel *spirans* (*videlicet* «*relatione non personali*), remanet hypostasis vel Persona Patris» (Hic, o); et remanet etiam terminus eius **correlativus** qui est Persona Filii, sed non remanet Persona Spiritus Sancti qui terminat Spirationem communem Patri et Filio. — Et ideo, si loquamur etc. (Hic, o).

732. **Conclusio III.** *Si per abstractionem* **formalem** *a divinis Personis abstrahantur Relationes* **Personales,** *non remanent amplius ullae hypostases seu Personae in Deo.*

Prob. *Ratione theologica.* Remotis namque principiis constituentibus rem aliquam, non remanet amplius res illa. Patet. Atqui Relationes Personales non solum constituunt et distinguunt divinas Personas, sed etiam sunt ipsaemet divinae Personae. Et ideo si per abstractionem formalem abstrahantur a Deo relationes personales, non est possibile quod in Deo remaneant ullae hypostases vel Personae (Hic, o).

Confirmatur. «Hilarius dicit (Lib. IV *De Trinit.*, n. 10): «*Nihil* «*habet* Filius *nisi* **natum.** Nativitate autem est Filius. Ergo, remota «Filiatione, non remanet hypostasis Filii: et eadem ratio est de «aliis» (Hic *Sed Cont.*).

733. Facile est animadvertere, quod sicut, amota per operationem nostri intellectus notione *Spirationis Communis,* remanet adhuc in Deo notio *Patris* et notio *Filii,* et consequenter **relationes,** *Paternitatis* et *Filiationis,* ita videtur etiam quod remotis per operationem nostri intellectus a Deo relationibus *Paternitate, Filiatione Communi Spiratione* et *Processione,* remaneat adhuc in Deo notio seu proprietas *Ingeniti* vel *Innascibilitatis;* iuxta illud S. Augustini: *Non hoc est dicere* **Ingenitum** *quod est dicere* **Patrem:** *quia si* **Filium** *non genuisset, nihil prohiberet eum dicere* **Ingenitum** (Lib. V. *De Trin.* cap. 6). Atqui subiectum huius proprietatis, quae dicitur *Ingenitura* seu *Innascibilitas,* est manifeste aliqua *hypostasis* divina. Ergo videtur, quod, remotis a Deo per operationem nostri intellectus quatuor (Cfr. n. 190) relationibus realibus, remaneat adhuc divina hypostasis seu Persona.

Propter hoc argumentum P. Vasquez (Heic Disp. CLIX, cap. 5

et seqq.), existimavit Personam Primam Trinitatis constitui in proprio esse hypostatico non quidem a **Paternitate** sed ab **Innascibilitate.** Vasquesium sequuntur P. Alarcón et pauci alii ex vetustis scholae theologis. — Contra istos ponitur

Conclusio IV. *Innascibilitas, considerata ut* **virtualiter** *distincta a Paternitate, nequit constituere Personam Divinam.*

Prob. *Ratione theologica.* **Innascibilitas,** spectata uti notio distincta *virtualiter* a Paternitate Divina, 1.° non est *Paternitas,* uti patet; 2.° neque *Filiatio,* quia est contradictio in terminis ponere *Filiationem innascibilem ;* 3.° item non est *Communis Spiratio,* quia, quum *Communis Spiratio* aeque conveniat Patri et Filio, oporteret confiteri tum *Patrem* tum *Filium* esse *innascibilem :* quod evidenter est absurdum ; 4.° tandem non est *Processio* seu *Spiratio Passiva,* secus Spiratio haec Passiva posset convenire etiam Personae Dei Patris (cui **innascibilitas** convenit), quae assertio non solum est falsa sed etiam subvertit positionem Vasquesii. — Unde, quum praeter Paternitatem, Filiationem, Communem Spirationem et Processionem, non datur alia *Relatio realis* in Deo (Cfr. Q. XXVII, art. 5 et Q. XXVIII, art. 4), sequitur, quod **Innascibilitas,** accepta tamquam notio *virtualiter* distincta a **Paternitate Divina,** debeat a P. Vasquesio intelligi vel

α) tamquam *formalitas* pure *negativa,* vel

β) tamquam *formalitas* pure *absoluta,* vel

γ) tamquam *formalitas* quaedam *relationis rationis.*

Atqui nullum horum trium iuvat thesim Vasquesii. — Ergo impossibile est, quod **Innascibilitas,** considerata tamquam *notio* virtualiter *distincta* a **Paternitate Divina,** constituat *hypostasim* vel *personam* Divinam.

Illatio patet. Ultima minor probatur per partes.

Prima pars. Innascibilitas, considerata tamquam *notio* virtualiter *distincta a Paternitate Divina,* non potest intelligi tamquam *formalitas* pure *negativa,* videlicet tamquam exprimens **solam** negationem τοῦ *esse ab alio* tamquam *a principio :* quoniam vidimus (Cfr. n. 700, 1.°) quod principium *constituens* quamlibet *divinam Personam* debet esse aliquid *reale et* **positivum.**

Altera pars. Innascibilitas, considerata tamquam *notio* virtualiter *distincta a Paternitate Divina,* non potest intelligi tamquam *formalitas* pure *absoluta.* Equidem formalitates *pure* **absolutae** sunt

communes tribus Personis divinis; ideoque non possunt esse principium **distinguens** *unam* divinam Personam a *duabus aliis*. Consequenter **Innascibilitas,** uti **virtualiter** distincta a Paternitate *Divina,* si accipiatur tamquam formalitas pure **absoluta,** non potest esse principium **distinguens** unam divinam Personam a duabus aliis, sed tribus Divinis Personis aequaliter convenit.

Tertia pars. Innascibilitas, considerata tamquam *notio* virtualiter *distincta a Paternitate,* non potest intelligi tamquam *formalitas* relativa *relatione rationis.* — Revera principium *formaliter* constituens Personam divinam, utpote realiter identicum cum eadem Persona, debet esse entitas *realis* et **non entitas rationis** (Cfr. n. 700, 2.°). Atqui **Innascibilitas,** considerata tamquam *notio* virtualiter *distincta a Paternitate,* constituit aliquo modo Personam Dei Patris, inquantum ipsi soli convenit. Ergo Innascibilitas, considerata tamquam notio virtualiter distincta a Paternitate, non potest intelligi tamquam formalitas relativa relatione rationis, seu tamquam ens rationis.

Ad auctoritatem vero S. Augustini, a Vasquesianis superius adductam « dicendum quod intentio Augustini non fuit dicere, quod hy« postasis Patris remaneat ingenita, remota Paternitate, quasi Inna« scibilitas constituat et distinguat hypostasim Patris: hoc enim esse « non potest, cum ingenitum nihil ponat, sed negative dicatur, ut « ipsemet dicit. — Sed loquitur in communi: quia non omne ingenitum « est Pater. — Remota ergo Paternitate, non remanet in divinis hy« postasis Patris, ut distinguitur ab aliis (*divinis*) Personis, sed ut « distinguitur a creaturis, sicut Iudaei intelligunt » (Hic ad 3.m) qui mysterium Trinitatis ignorant (Cfr. Caiet., *Com.* in h. a.).

734. Quoniam omnis Persona subsistit *per se* **incommunicabiliter,** et quoniam sunt in Deo tres Personae realiter distinctae, necessario sequitur in Deo inveniri tres **realiter** distinctas subsistentias, videlicet *subsistentiam* propriam *Dei Patris, subsistentiam* propriam *Filii* et *subsistentiam* propriam *Spiritus Sancti* — Porro subsistentia *propria* Dei Patris non est aliud nisi ipsa *Paternitas* accepta sub *notione* AD **connotante** IN seu tamquam forma hypostatica. Revera subsistentia Dei Patris est principium formale **quo** Deus Pater distinguitur *realiter* a Deo Filio et a Deo Spiritu Sancto. At Paternitas, accepta sub notione AD prout connotat IN, est huiusmodi formale principium in Deo Patre, sicut ostendimus art. praec. Ergo subsistentia *propria* Dei Patris est ipsa Paternitas considerata tam-

quam forma hypostatica. — Et ob eamdem causam subsistentia *propria* Filii Dei est Filiatio considarata tamquam forma hypostatica: et subsistentia *propria* Spiritus Sancti est Processio considerata tamquam forma hypostatica. — Consequenter, si per operationem intellectus nos in Deo abstrahimus *Paternitatem, Filiationem* et *Processionem,* removemus a Deo omnem subsistentiam *relativam.* — Quo posito, theologi hoc in loco movent

735. Q. An, remotis a Deo per operationem nostri intellectus *tribus subsistentiis relativis,* remaneat in Deo *subsistentia absoluta?*

Verum ista quaestio superius nn. 248-250 fuit a nobis resoluta. Unde, ne actum agamus, quod veteri vetamur proverbio, eo lectorem mittimus. Nos interim ad utiliora properamus dubia resolvenda.

Art. IV. Utrum actus notionales praeintelligantur proprietatibus.

736. Heic resolvitur gravis illa difficultas, quam in calce art. 2 extremis, ut dicitur, digitis attigimus: nimirum *Quonam modo intelligi debeat* primam Personam S.mae Trinitatis **constitui** *in proprio esse Personali per* Paternitatem; *dum* Paternitas *nulli adveniat nisi* **consequenter ad exercitam** actionem Generativam proprii **Filii,** *et ulterius nulli potest competere* actio, *nisi praesupponatur constitutus in* propria Personalitate *vel* Suppositate?

737. Pro solutione huius dubii perpende in titulo h. a. sub nomine «*proprietatum*» intelligi **relationes,** sive constituant personam aliquam divinam ex. gr. *Paternitas, Filiatio* et *Processio,* sive non constituant Personam aliquam divinam qualis relatio est *Spiratio Communis* quae Patri Filioque convenit. Nullo autem modo sub hoc quaesito comprehenditur **Innascibilitas** quae est Dei Patris proprietas; quoniam haec innascibilitas nonnisi *reductive* dici potest relatio, ex eo scilicet quod est identica realiter cum Paternitate Divina (Cfr. Q. XXXII, art. 2, et Q. XXXIII, art. 4).

738. Item in eodem titulo articuli perpende τὸ «*praeintelligan-*«*tur,* idest secundum modum nostrum intelligendi: in *re* enim omnia «sunt simul in Deo.

α) «Actus notionales (*demum*) sunt ipsae origines tam *activae* «quam *passivae,* scilicet *Generatio* activa et passiva, *Spiratio* activa «et passiva» (Billuart, Dissert. VI *De Trinit.,* art. 2, *quaer.* 2.° — Cfr. n. 750, *A*).

739. Unde sensus quaesiti est huiusmodi :

Utrum in Deo origines activae et passivae sint, iuxta nostrum modum concipiendi, **priores quam** *relationes reales in Deo ipso immanentes?*

A) « Secundum illos (*theologos* — Cfr. n. 707, *C*) qui dicunt « quod proprietates (*idest relationes*) non distinguunt et constituunt « hypostases (*divinas*) sed (*solummodo*) manifestant hypostases (*divi-* « *nas tamquam res*) distinctas et constitutas, absolute dicendum est, « quod (*in Deo*) Relationes secundum (*nostrum*) modum intelligendi « consequuntur actus notionales ; (*ita*) ut dici possit simpliciter quod « (*Deus*) QUIA generat, est Pater » (Hic, o. — Cfr. I. *Sent.* Dist. XXVII art. 2, o). — At

a) *Horum solutio est reiicienda.*

Prob. *Ratione theologica.* Procedit enim opinio ista ex *falsa* suppositione, quod Personae divinae distinguantur invicem sufficienter per origines activas et passivas et non magis per relationes personales ; sicut in art. 2 h. q. ostendimus. Quum ergo horum doctorum opinio, nonnisi tuendo **insufficientia** principia, possit sustineri, reiicienda est a nobis.

740. Unde *B*) « supponendo (*Cfr. art. 2 h. q.*) quod **Relationes** « (*melius quam* **Origines**) distinguant et constituant hypostases in « divinis, oportet distinctione uti » (Hic, o).

B) **Prima distinctio.** « *Origo* significatur in divinis *active* et *passive.*

α) « **Active** quidem (*accepta* origo *nihil aliud exprimit nisi* actum « notionalem *utputa* Generare *et* Spirare. *Et hoc modo*) sicut Gene- « ratio attribuitur (*in divinis* **soli**) Patri (*ita*) et Spiratio (*Communis*) « sumpta pro actu Notionali attribuitur Patri et Filio » (Hic, o) ; eo quod ab utroque, tamquam ab **uno communi** principio, Spiritus Sanctus procedit (Cfr. Q. XXXIV, artt. 3 et 4).

β) « **Passive** autem (*accepta* origo *significatur tamquam via* **ad** « **terminum** *seu Personam quae per illam* originem *procedit*) : sicut « Nativitas attribuitur Filio, et Processio Spiritui Sancto » (Hic, o).

B) **Secunda distinctio.** Relatio Personalis, idest Paternitas, Filiatio aut Processio, potest considerari dupliciter :

α) **primo** quidem, quatenus relatio est, videlicet secundum quod exprimit *notionem* AD *ut* AD (Cfr. nn. 712-716) :

B) **secundo** quatenus est formalitas constitutiva Personae Divi-

nae (Cfr. ibid.), nimirum prouti exprimit notionem AD inquantum osculatur notionem IN (Cfr. Hic, o; item Caiet., Bannez, Nazarium, etc. *Com.* in h. a.). — His praenotatis sint conclusiones.

741. **Conclusio I.** *Origo* **passive** *accepta* (*utputa* **Nativitas** *aut* **Processio**) *est, iuxta nostrum modum concipiendi,* **prior quam** *proprietates tum* **Personales** *tum* **non Personales** *exsistentes in Persona divina quae* **vi talis originis** *procedit.*

Prob. *Ex analogia,* secundum quam loquimur ex creaturis de ipso Deo. Videlicet, quemadmodum in creaturis τὸ *fieri* novae personae **praecedit** τὸ *esse* illius novae Personae **constitutivum** necnon *omnes proprietates* tum *specificas* tum *individuales* talis personae, **simili modo** in Deo illud quod significatur tamquam *via* ad ortum alicuius divinae Personae **praecedit,** non quidem *realiter* sed *iuxta nostrum modum intelligendi,* tum *Personam* ipsam tum *proprietates* eius personales et non personales. Constat.

Atqui *origo* **passive** accepta (puta *Nativitas* aut *Processio*) significatur tamquam *via* ad Personam quae per *talem originem* procedit, nimirum ad *Filium* et ad *Spiritum Sanctum.*

Ergo haec *origo* **passive** accepta est, iuxta nostrum modum concipiendi, prior quam proprietates tum personales tum non personales exsistentes in divina Persona quae vi talis originis procedit (Hic, o et ad 3.m).

742. **Conclusio II.** *Origo* **active** *significata, quae dicitur* **Spirare,** *est iuxta nostrum modum concipiendi* **prior** *quam Relatio* **Spirationis Communis,** *quae nullam Personam Divinam constituit.*

Prob. *Ratione theologica.* Spiratio Communis, quum non sit Relatio **constituens** Personam divinam, est proprietas quae intelligitur quodammodo advenire Personae iam constitutae. Nulla autem alia ratio sufficiens assignari potest, ob quam *Communis Spiratio* conveniat Deo Patri ac Deo Filio, nisi *Actio Spirativa* quam exercent, videlicet *Origo Activa* quae dicitur *Spirare.* Ergo huiusmodi Origo Activa est **ratio sufficiens,** ob quam intelligitur Patri et Filio inesse proprietatem non personalem quae dicitur *Spiratio Communis.*

Sed **ratio sufficiens** alicuius facti intelligitur habere **quamdam prioritatem** super factum illud: patet.

Et ideo origo **active** significata, quae dicitur *Spirare,* est iuxta nostrum modum intelligendi **prior** quam *Communis Spiratio* (Hic, o).

743. **Conclusio III.** *Relatio Paternitatis, si consideretur sub ra-*

tione AD *ut* AD, *est, iuxta nostrum modum intelligendi,* **posterior** *quam Actus Notionalis qui dicitur* **Generare** (Cfr, n. 738, α).

Prob. *Ratione theologica.* Fundamentum relationis intelligitur tamquam aliquid **prius** quam relatio ipsa quae ex fundamento concipitur *originem trahere:* etenim fundamentum Relationis est quodammodo eius causa; **causa** autem *prior* est *quam* **effectus.** — Iamvero fundamentum, propter quod Pater *refertur actualiter* ad Filium, est **actus notionalis** qui dicitur Generatio; quoniam ex vi *Generationis* habetur Filius, et nonnisi **praesuppositis** Patre *et* Filio potest intelligi actualis referentia Patris ad Filium. — Ergo **actus notionalis,** qui dicitur *Generatio,* est **prior,** iuxta nostrum modum concipiendi, quam *referentia actualis* Patris **ad** Filium; quae referentia est praecise *Paternitas,* sumpta tamquam notio AD ut AD.

Seu, invertendo sermonem, Relatio Paternitatis, si etc. Q. E. D. (Hic, o).

744. **Conclusio IV.** *Relatio Paternitatis, considerata uti* **forma constitutiva** *Personae Divinae, idest sub notione* AD **prouti connotat** IN, *est, iuxta nostrum modum concipiendi,* **prior quam** *Actus notionalis qui dicitur* **Generatio** (Cf,. n. 738, α).

Prob. *Ratione theologica.* Loquimur de divinis **analogice** ad creaturas, sicut patet. Unde, sicut, loquendo de creaturis, τὸ *esse* praeintelligitur ad τὸ *agere;* seu, sicut secundum nostrum modum intelligendi, τὸ *esse* est **prius quam** τὸ *agere* earum,

ita et, loquendo de divinis, principium formaliter exprimens τὸ *esse* Personae Divinae est, iuxta nostrum modum intelligendi, **prius quam** principium formaliter exprimens τὸ *agere* Divinae Personae.

Atqui principium formaliter **constituens** Personam Divinam eamque a duabus aliis **realiter distinguens,** est principium formaliter exprimens τὸ *esse* Personae Divinae, sicut *actus notionalis* qui in divinis dicitur **Generatio,** est principium formaliter exprimens τὸ *agere* Personae Divinae.

Ergo principium formaliter constituens Personam Divinam eameamque a duabus aliis realiter distinguens est, secundum nostrum modum intelligendi, **prius quam** *actus notionalis* qui in divinis dicitur **Generatio.**

Sed Relatio Paternitatis Divinae, considerata uti forma *constitutiva* Personae Dei Patris, idest sub notione AD prouti connotat IN (Cfr. n. 717, β), est evidenter principium **formaliter constituens**

Personam Divinam eamque a duabus aliis **realiter distinguens.** Constat.

Ergo Relatio Paternitatis Divinae, considerata uti forma constitutiva Personae Dei Patris, idest sub notione AD prouti connotat IN, est, iuxta nostrum modum concipiendi, **prior quam** *Actus notionalis* qui dicitur **Generatio** (Hic, o et ad 3.m).

445. **Corollarium.** α) Si ergo in Deo Patre consideretur Paternitas uti forma eius constitutiva, haec propositio «*Deus* quia *generat, est Pater*» falsa est, quia daretur intelligi *Paternitatem,* constituentem Personam Dei Patris, **provenire** *ab actione Generativa:* quod est impossibile. Debet autem dici sic: «*Deus* quia *est Pater, generat*» (Cfr. concl. praec.).

β) Si autem *Paternitas* accipiatur tamquam *purus respectus Patris* ad *Filium,* tunc verum est ex conclusione praecedenti quod «*Deus,* quia *est Pater, generat*».

— Audiatur S. Thomas: «Cum Magister (Lib. I. *Sent.,* Dist. «XXVII) dicit, quod «Deus, **quia** *generat, est Pater*» accipitur no-«men Patris secundum quod designat relationem tantum, non autem «secundum quod significat Personam subsistentem. — Sic enim opor-«teret e converso dicere, quod **quia** *Pater est,* **generat**» (Hic ad 1.m).

746. **Scholium.** Breviter ergo recapitulando totam doctrinam h. a., habemus, quod

α) **Prima Persona** Trinitatis **praesupponitur,** secundum nostrum modum intelligendi (i. e. *logice*), constituta in propria *subsistentia personali* ante exercitium *actus notionalis* qui dicitur *Generatio;* ac propterea haec propositio «*Prima Persona Trinitatis,* **quia** *est Pater,* **generat**» est vera: dum altera «*Prima Persona Trinitatis,* **quia generat** *Filium, est Pater*» est propositio falsa (Cfr. n. praec.). E contra

a) **Actus Notionalis** (Cfr. n. 738, α, et n. 750, *A*), qui dicitur *Generatio,* praecedit *logice* ipsum terminum genitum, i. e. *Deum Filium:* unde haec «*Deus Pater,* **quia generationem exercuit,** *habet Filium*» est propositio vera: dum ista «*Deus Pater,* **quia** *habet Filium,* **exercuit generationem**» est propositio falsa.

a') Demum *idem* actus notionalis, qui est *Generatio,* **praecedit logice** actualem **referentiam** Patris **ad** Filium. — Propterea vera est haec «*Deus Pater* **refertur** ad *Filium,* **quia genuit** *Filium*»: dum

falso dicitur «*Deus Pater* **genuit** *Filium,* **quia refertur** ad *illum*».

β) Similiter *Actus Notionalis,* qui dicitur **Generatio,** praecedit **logice** *Filiationem,* tum si haec consideretur tamquam *forma hypostatica,* tum si consideretur tamquam *actualis referentia Dei Filii* **ad** *Deum Patrem.* Unde simpliciter verum est: *Secunda Persona Trinitatis* est **Filia** *Primae Personae* (vel **refertur ad** *Primam Personam*), *quia ab hac* **est genita:** est autem simpliciter falsum dicere: *Secunda Persona Trinitatis est* **genita** *a Prima Persona, quia est* **Filia** *Primae,* vel *quia* **refertur ad** *Primam Trinitatis Personam.*

γ) Simili ratione *Actus Notionalis,* qui dicitur **Spiratio Activa,** praecedit **logice** tum *terminum* qui oritur per *talem actum,* tum *actualem referentiam* huius termini **ad** *Patrem et Filium* a quibus procedit. Videlicet vera est ista propositio: *Tertia Persona Trinitatis est* **spirata** (vel **refertur ad** *alias duas*) *quia ab hisce* **procedit;** dum falsa est haec alia: *Tertia Persona Trinitatis* **procedit** *a duabus aliis, quia est* **Spirata** *ab Ipsis,* vel *quia* **refertur ad** *alias duas.*

δ) Denique quia *Spiratio Communis,* secundum quod **virtualiter** distinguitur a *Paternitate* et *Filiatione,* non est **forma hypostatica** Patris et Filii; propterea Pater et Filius per proprias formas hypostaticas **sufficiunt,** ad hoc ut *logice* **praeintelligantur** ad actum notionalem qui dicitur **Spiratio Activa,** sed ad hunc actum **consequitur** *logice* referentia actualis Patris aut Filii, vel utriusque, **ad** Spiritum Sanctum. Constat ex dictis (Cfr. Ianssens, *Com.* in h. a.). — Legesis P. Seraph. Capponi *Append.* in h. a.

QUAESTIO XLI

DE PERSONIS IN COMPARATIONE AD ACTUS NOTIONALES

747. **Prologus.** Art. 2 Q. praec. ostendimus, quod, licet inter divinas Personas distinctio sít repetenda **principaliter** et **directe** a Relationibus Personalibus consideratis quatenus exprimunt τὸ AD prout connotant τὸ IN eiusdem relationis; attamen **secundario** ac

veluti **a posteriori** distinctio divinarum Personarum est etiam secundum earum **originem.** « Origo autem convenienter designari non po-« test nisi per aliquos actus » (Art. 1 h. q., o). Ita ex. gr. origo unius viventis ab alio vivente in similitudinem eiusdem naturae specificae solet exprimi per actum qui *Generatio* (Cfr. n. 74, *B*) dicitur. Et ideo post dicta circa Personas in comparatione ad relationes personales, «considerandum est de Personis in comparatione ad actus no-« tionales » (*Prol.* h. q.) videlicet ad *actus* significantes **ordinem** *originis* unius Divinae Personae *relate ad* aliam *a qua procedit.*

748. Et haec consideratio absolvitur sex artículis praesentis quaestionis, quorum ordo sic accipi potest. Equidem « est... triplex « (*divinarum*) Personarum ad actus notionales comparatio :

« **prima,** sumendo *Personas* et *actus* secundum se :

« **secunda,** quatenus Personae **principia** sunt ipsorum Actuum : « **tertia,** quatenus (*Personae Divinae*) eorum (*actuum*) sunt **termini.**

α) « De *prima* comparatione disseritur in primo articulo ;

β) « de *secunda* vero in secundo, tertio, quarto et quinto (*Cfr. n. 760*) ;

γ) « de *tertia* autem in ultimo » (Nazarius, *Com.* in prolog. h. q.) articulo disseritur.

Art. I. Utrum actus notionales sint attribuendi Personis.

749. Tria determinantur in hoc articulo, videlicet :

α) quid sit *Actus Notionalis,*

β) eius exsistentia in divinis, et

γ) eius distinctio a relationibus personalibus in Deo ipso exsistentibus.

750. Notio divina est formalitas quaedam divina qua nobis in praesenti vita manifestatur *una* divina Persona tamquam ab *aliis* realiter distincta (Q. XXXII, art. 2, o). Distinctio autem inter divinas Personas accipitur secundum *relationes personales* vel *origines* (Cfr. nn. 706-709). Et ideo

A) Actus Notionalis, sicut voces ipsae indicant, in tractatu S.mae Trinitatis nihil aliud sunt nisi *operationes divinae* **connotantes** *notiones seu relationes Personales,* vel potius sunt *operationes divinae* **significantes** *ordinem originis qui est inter divnas Personas* (Cfr. n. 747).

Audiatur S. Thomas: « Omnis origo designatur (*seu declaratur vel exprimitur*) per aliquem actum.

B) « Duplex autem ordo originis attribui Deo potest.

α) « **Unus** quidem secundum quod creaturae ab Eo procedunt. — « Et hoc *commune* est tribus Personis. Et ideo

α′) « actiones quae attribuuntur Deo ad designandum processum « creaturarum ab Ipso, ad essentiam pertinent (*vocanturque propterea* **essentiales**).

β) « **Alius** autem ordo originis in divinis attenditur secundum « processionem Personae a Persona. Unde

β′) « actus designantes huius originis ordinem, **notionales** di- « cuntur; quia notiones Personarum sunt Personarum habitudines ad « invicem; ut ex dictis (Q. XXXIII, art. 3) patet » (Hic ad 1.m).

751. Actus autem omnis, quia oritur ab aliquo *principio* et pertingit ad aliquem *terminum*, potest exprimi vel **active**, prouti scilicet egreditur a principio *efficiente*; vel potest exprimi **passive**, inquantum scilicet connotat *terminum* qui producitur. Simili quoque modo edicimus, quod

A) Omnis *actus notionalis* potest exprimi vel

α) **active**, et tunc denotat processionem divinae Personae prouti *egreditur* a propio principio originis (huiusmodi actus sunt in Deo *Generare, Spirare, Dare, Communicare*, etc.): vel potest exprimi

β) **passive**, et tunc denotat processionem divinae Personae prouti est *in via ad terminum* suum. Huiusmodi actus sunt in Deo *Nasci, Procedere, Accipere*, etc. — Ex dictis

752. **Infertur 1.°** *Actus Notionales in Deo sunt* **tantum duo**, videlicet *Generare* aut *Generari*, et *Spirare* aut *Spirari*.

Declar. *Ratione theologica.* Equidem sunt in Deo **tantum** duae Processiones: **una** per intellectum quae dicitur *Generatio*: **alia** per voluntatem nimirum *Spiratio* vel *Processio* (Q. XXVII, artt. 1-4). Atqui *actus notionales* connotant originem unius Personae ab alia (Cfr. n. praec.). Ergo, quia *duae* **tantum** in Deo sunt origines et Processiones, *duo* quoque **tantum** sunt *actus notionales* in Ipso (Cfr. hic ad 3.m).

α) *Nota* tamen hos actus multiplici nomine condecorari ad exprimendum varias perfectiones insitas in divinis Processionibus: eo prorsus modo, quo Persona unaquaeque S.mae Trinitatis solet de-

signari multis nominibus; sicut ex superioribus patet (Cfr. QQ. XXXIII-XXXVII).

753. **Infertur 2.°** *Actus Notionalis inserviunt ad significandam distinctionem inter divinas Personas.*

Declar. *Ratione theologica.* Etenim Personae Divinae **distinguuntur** inter se *prius* et *principaliter* per Relationes, et nonnisi *secundario* et *consequenter* per Origines (Cfr. n. 709). — Sed *Actus Notionales* connotant *origines* Divinarum Personarum. — Ergo *Actus Notionales* in divinis connotant *secundario* mutuam distinctionem earumdem Personarum. — Consequenter Actus Notionales inserviunt ad significandum distinctionem inter divinas Personas (Hic, o et ad 1.^{m}). — Denique

754. **Infertur 3.°** *In titulo* τὸ **attribuendi sint Personis** *debet intelligi* disiunctive, *videlicet* uni *vel* alteri *Personae Trinitatis.*

Declar. *Ratione theologica.* Ex hoc enim quod actus notionalis **connotat** originem unius divinae Personae ab alia, sequitur quod, quemadmodum non quaecumque Persona originatur ab alia, sed adest **ordo** secundum quem *Dei Filius* a **solo** *Deo Patre, Spiritus Sanctus* a *Deo Patre et* a *Dei Filio, Deus Pater* vero a *nullo* procedat: pari modo idem Actus Notionalis non potest attribui **indifferenter** cuilibet Divinae Personae, sed **solummodo** determinatis Personis divinis. Constat. — Consequenter in titulo praesentis articuli τὸ **attribuendi sint Personis** debet intelligi **disiunctive,** videlicet **uni** vel **alteri** Personae Trinitatis.

755. His praenotatis, statuitur

Conclusio I. *Actus notionales attribuendi sunt aliquibus Divinis Personis.*

Nota. Est doctrina Catholica *expresse* tradita tum in Conciliis, tum in S. Scriptura (Cfr. Sylvium et Ianssens, *Com.* in h. a.).

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Nota sunt haec testimonia: « Domi« nus dixit ad me: Filius meus est Tu. Ego hodie **genui** Te » (Psal. II, 7). Item: « Ego ex Deo **processi** » (Ioan. VIII, 42). Item: « Pater « meus quod **dedit** mihi, maius omnibus est » (Ibid. X, 29). Ac tandem de Spiritu Sancto dicitur: « Quaecumque **audiet,** loquetur... « quia de meo **accipiet** » (Ibid. XVI, 13-14). — Ubi adverte actus notionales **Genui,** *Processi, Dedit, Audiet,* et *Accipiet* tribui a S. Scriptura **aliquibus** *Divinis Personis.*

2.° *Ex Conc. Later. IV,* cap. *Damnamus,* ubi dicitur: « Est *Pa-*

« *ter* qui **generat,** et *Filius* qui **gignitur,** et *Spiritus Sanctus* qui « **procedit** etc. » (*Enchir.* n. 432). Quo loco adverte actum notionalem **Generare** attribui **soli** *Deo Patri,* atque τὸ **Gigni** attribui **soli** *Deo Filio,* ac demum τὸ **Procedere** attribui **soli** *Deo Spiritui Sancto.* — Non potest autem suspicari Concilium in illa definitione non fuisse proprietate verborum usum. — Ergo secundum verborum proprietatem *actus notionales* non omnibus et singulis Divinis Personis, sed **aliquibus determinatis** Personis sunt attribuendi.

3.° *Ratione theologica.* In divinis, sicut pluries notavimus, est **ordo** originis secundum quem *una* Persona procedit ab *alia.* Atqui hic ordo convenienter exprimitur per *actus notionales* (Cfr. n. 750, § *A*). Ergo conveniens fuit attribuere actus notionales aliquibus Divinis Personis, ad declarandum videlicet ordinem originis qui inter ipsas adest (Hic. o).

756. **Corollarium I.**m Evidenter non potest de aliquo veraciter praedicari, nisi hoc in illo praeexsistat. Si ergo cum omni verborum proprietate actus notionales affirmantur de Personis Divinis, evidenter sequitur in ipso Deo *exsistere realiter* aliquam formalitatem *correspondentem* istis actibus notionalibus.

757. **Corollarium II.**m Age vero realitas divina, his actibus notionalibus correspondens in Deo ipso, non potest esse aliquod attributum **absolutum** Deitatis.—Etenim omnis formalitas Dei *absoluta* communis est *singulis* Personis Trinitatis. At actus notionalis **unus idemque,** utputa *Generare,* non convenit *singulis* Personis Trinitatis. Ergo actus notionales non significant aliquam formalitatem Dei **absolutam.** — Quum ergo praeter *absolutum* et *relativum* nulla alia formalitas potest in Deo inveniri, sequitur quod *actus notionalis exprimat in Divina Persona,* de qua praedicatur, *formalitatem eius relativam* (Cfr. hic ad 2.m et S. August. Lib. XV *De Trinit.* cap. 3, n. 5).

758. Verum quia, sicut alibi (Cfr. n. 706) diximus, formalitas *relativa* in Deo exsistens exprimitur tam per *originem* quam per *relationem,* evidenter sequitur quod actus notionales sunt ipsaemet origines in Deo exsistentes. Qua veritate constituta, exurgit

Q. *Utrum* Actus Notionales **distinguantur** *ab ipsis* Relationibus *tam* **constituentibus** *quam* **non constituentibus** *Personam Divinam?*

A) Scotus (I. *Sent.* Dist VI), Henricus Gandavensis et alii te-

nent *Actus Notionales, active* aut *passive* expressos, **nullo modo,** nec virtualiter quidem, distingui a Personis divinis quae per tales actus denotantur procedere in divinis, distingui tamen **realiter** a Persona a qua procedunt. Ex. gr. *Gignere* et *Nasci* sunt, iuxta hos auctores, *ipsa Persona Filii Dei,* et distinguuntur **realiter** a Persona Dei Patris.

B) Hanc opinionem tamquam probabilem existimavit P. Suarez Lib. VI *De Trinit.,* cap. 2.

C) Molina vero, in aliud progrediens extremum, docet (*Com.* in art. ult. Q. praec. Disp. II, *membro tertio*) **Actus Notionales** nec *realiter* nec *virtualiter,* sed **sola** ratione ratiocinante distingui a **proprietatibus personalibus Dei.** Ex. gr. iuxta assertionem P. Molina **Generatio** a *Paternitate,* item **Nasci** a *Filiatione* distinguitur **sola** ratione ratiocinante.

D) S. Thomas denique (hic ad 2.m), quem universa sequitur Schola Thomistarum, mediam viam tenens docet prout sequitur

d) **Conclusio II.** *Actus Notionales* α) *sunt* **realiter identici** *cum Relationibus Personalibus Dei,* β) **differunt** *tamen* **virtualiter** *ab eis.*

Prob. **I.a pars** conclusionis. 1.° *Auctoritate Magistri Sententiarum,* qui Lib. I. Dist. XXVI, § II scribit: «**Generatio... Nativitas...** «(*et*) **Processio...** aliis nominibus dicuntur Paternitas, Filiatio (*et*) «Spiratio». — At *Generatio, Nativitas* et *Processio* evidenter sunt *Actus Notionales;* e contra Paternitas, Filiatio et Spiratio sunt *Relationes Dei Personales.* — Ergo *Actus Notionales,* nonnisi nomine tenus, differunt a *Relationibus Dei Personalibus* (Hic ad 2.m).

Confirmatur. Etenim «pro nominibus relationum promiscue usur- «pant Patres originum nomina, vel utrisque utuntur alternatim. Sic «Augustinus in Serm. 58 *De Verbis Domini: Nec alia causa est* (in- «quit) *quae divisionem faciat Personarum, nisi quod hic* **ingenitus** «*est, ille* **genitus**; *idest hic* **Pater,** *ille vero* **Filius,** etc. — Sic S. «Leo in Serm. *De Trasfigur. Domini,* cap. 6: *Dicente Patre* Hic est «Filius meus (inquit), *nonne evidenter auditum est* Hic est Filius «meus cui mecum esse sine tempore est? *Quia nec genitor genito* «*prior, nec genitus est genitore posterior.* — Sic Ecclesia ipsa in «Officio Sacramenti, quod S. Thomas iussu Summi Pontificis edidit, «(*canit*) *Genitori Genitoque laus,* etc.; et similia in Officio Trinitatis» (De Rubeis, O. P. *Annot.* in h. a.).

2.° *Ratione theologica.* « *Actio* secundum primam nominis impo-« sitionem importat *originem* motus: sicut enim *motus,* prout est in « mobili ab aliquo (*agente causatus*), dicitur **Passio,** ita *origo* ipsius « motus, secundum quod incipit ab alio et terminat in id quod move-« tur vocatur **Actio.** — Remoto igitur *motu,* **Actio** nihil aliud impor-« tat quam *ordinem originis* secundum quod a *causa* aliqua vel *prin-« cipio* **procedit** in id quod est a principio. Unde, cum in divinis « non sit motus (*proprie dictus: est enim Deus primum ens omnino « immobile*) *Actio* Personalis *producentis* Personam nihil est aliud « quam *habitudo* **principii** ad *Personam* quae est a principio. Quae « quidem habitudines sunt ipsae *relationes* vel *Notiones*» (Hic ad 2.m)

Prob. **II.ª pars** conclusionis. *Ratione theologica.* Equidem *Actus Notionalis,* utputa *Generatio,* exprimit habitudinem **unius** Personae ad **aliam** per modum operationis egredientis ab **una** et pertingentis ad **alteram.** E contra *Relatio Personalis* vel *Proprietas Personalis,* utputa *Paternitas,* exprimit habitudinem **unius** Personae ad **alteram** per modum formae hypostatice *constituentis* **unam** harum Personarum, vel per modum *puri respectus relativi* **unius** Personae ad **alteram** divinam Personam (Cfr. Q. praec. artt. 2 et 4). Et ideo *Actus Notionalis* et *Relatio Personalis* in Deo, quamvis realiter sint idem, differunt tamen quantum ad *modum significandi* seu differunt inter se *virtualiter* (Ibid. — I. *Sent.* Dist. XXVI, Q. I, art. 1 ad 5.m).

759. **Scholium.** *Actio* et *Passio* correlative dicuntur. Modo « *Actio* secundum quod importat originem motus, infert ex se *Pas-« sionem* (*i. e. motum prouti recipitur in mobili ab aliquo agente*). Sic « autem (*i. e. cum motu* **proprie** *dicto* — Cfr. *hic ad 2.m*) non po-« nitur *Actio* in Divinis Personis. Unde non ponuntur ibi *Passiones* « nisi grammatice loquendo quantum ad modum significandi: sicut « Patri attribuitur *Generare* et Filio *Generari*» (Hic ad 3.m).

Art. II. Utrum Notionales Actus sint voluntarii.

760. Constituta convenientia attributionis actuum notionalium ad Personas S.mae Trinitatis, considerare nunc oportet iuxta promissa (Cfr. n. 748, β) horum actuum principia.

761. Solet autem a philosophis cuiusque actus triplex distingui principium, nimirum:

α) principium **quod,** i. e. *Suppositum* vel *Persona ;*

β) principium **quo** *remotum,* videlicet *essentia* vel *natura* talis *Suppositi* aut *Personae ;* et

γ) principium **quo** *proximum,* videlicet *potentia operandi* talis *Suppositi* aut *Personae.*

Propterea Angelicus disquirens de *Principio* Actuum Notionalium, determinat

1.° de *eorum principio* **quod** (art. praes.) ;

2.° de *eorum principio* **quo remoto** (art. seq.) ;

3.° de eorum principio **quo proximo** (artt. 4 et 5 h. q.)

762. Porro quodnam sit *principium* **quod** uniuscuiusque Actus Notionalis, ex supradictis relinquitur sufficienter notum. Et sane, sicut in symbolo S. Athanasii dicitur : « Pater **a nullo** est *factus,* « nec *creatus,* nec *genitus* (*Cfr. Q. XXXIII, art. 4*) ; Filius a **Patre** « **solo** est: non *factus,* nec *creatus* sed *genitus* (*Cfr. Q. XXVII, art.* « *2*) ; Spiritus Sanctus **a Patre et Filio:** *non factus,* nec *creatus,* « nec *genitus* (*Cfr. Q. XXVII, art. 4*) sed **procedens** » (Cfr. Q. XXXVI, art. 2). — Eadem et in Conc. Later. IV, cap. *Damnamus,* leguntur : videlicet quod *Generare* **soli** Deo Patri convenit ; *Nasci* seu *Gigni* **soli** Filio in divinis ; *Spirare* autem pertinet **aeque** ad Deum Patrem et ad Deum Filium ; *Procedere* vero seu *esse Spiratum* pertinet ad **solum** Spiritum Sanctum. — Iamvero haec *Generare-Gigni,* et *Spirare-Procedere* sunt **solum** Actus Notionales (Cfr. n. 752). — Igitur in divinis

α) **solus** Pater est principium **quod** actus notionalis qui dicitur *Generatio :*

β) **solus** Filius est principium **quod** actus notionalis qui dicitur *Gigni* seu *Nasci :*

γ) Pater **simul et** Filius sunt unicum principium **quod** actus notionalis qui diciiur *Spirare Spiritum Sanctum :*

δ) **solus** Spiritus Sanctus demum est principium **quod** actus notionalis qui dicitnr *Processio.*

763. De huiusmodi principio **quod** actus notionalis, utpote de subiecto satis evidenti, non fit quaestio in hoc articulo, sed *solum* movetur quaestio quantum ad **modum** secundum quem unicuique Divinae Personae convenit esse principium **quod** proprii actus notionalis.

764. Atqui non maiori perfectione convenit Patri esse principium

quod Generationis, quam Deo Patri Deoque Filio convenit esse principium **quod** Spirationis Spiritus Sancti, atque huic Paraclito convenit esse principium **quod** Processionis: secus namque *maior perfectio* esset in *una* divina Persona quam in *aliis:* quod est impossibile (Cfr. Q. seq.).

Brevitati igitur studens Angelicus in hoc articulo nihil aliud declarat, nisi *specialem modum* secundum quem *Patri* convenit esse principium **quod** tam in **Generatione** Filii Dei quam in **Spiratione** Paracliti Spiritus (Cfr. n. 762, α, et γ), ut inde notus relinquatur *modus specialis* secundum quem *Dei Filio* convenit τὸ esse **Genitum** seu **Natum,** atque *Deo Paraclito* τὸ esse **Spiratum** (Cfr. ibid., β).

765. Prima igitur quaestio, ex cuius resolutione altera dependet, est huiusmodi:

Deus Pater emisitne actum Generationis Verbi ex necessitate suae naturae, an ex libero suae voluntatis arbitrio?

A) Eunomiani, soboles Arianorum, alteram quaesiti partem tuiti sunt, eo consilio ut Filium Dei creaturam esse concluderent. Arguebant enim contra Catholicos hoc modo: «Deus Pater aut *volens* aut «*nolens* genuit Filium. Si *nolens* genuit Filium, ergo *invitus* et *coa*«*ctus* id egit: absurdum. Si autem *volens* genuit suum Filium, se«quitur quod *libere* illum genuerit quemadmodum et creaturas *libere* «produxit: et sic Dei Filius *non est aliquid* maius creatura» (Cfr. Bannez, *Com.* in h. a.; et Capponi, *Append.* in h. a.).

B) Verum, Eunomianis omissis, SS. Patres *videntur* etiam inter se dissentire super hoc idem quaesitum. Etenim

α) Eunomianis favere videtur S. Hilarius, quum in Lib. *De Synodis* in defin. 25 *Conc. Syrmiensis* ait: «Non naturali necessitate «ductus Pater genuit Filium». — E contra

β) S. Hieronymus super Epist. *ad Ephes.* cap. 1 dicit: «Num«quam ut esset Filius, voluntas Paterna praecessit». — Et

γ) in Libro *Dialog.* QQ. LXV *ad Orosium,* q. 7 (inter *Opp. apocrypha* S. Augustini) Orosio quaerenti ab Augustino: «Num Pa«ter Filium genuerit *voluntate* vel *natura?*» legitur Augustinum respondisse quod *neque* voluntate *genuit Pater Filium neque* necessitate *naturae.* Et hoc idem affirmat S. Augustinus Lib. XV *De Civit. Dei,* cap. 20.

766. Ad haeresim Eunomianorum propulsandam simulque ad apparentis contradictionis inter dicta SS. Patrum remotionem praenota:

1.°) « *Voluntas* et *Natura* secundum hoc differunt in *causando ;* « quia Natura (*ex sese*) determinata est ad unum (*speciale obiectum*), « sed Voluntas non est determinata (*ad unum* **speciale** *obiectum sed* **ex sese** *habet quidem* **inclinationem** *ad bonum* **in communi,** *at* « *determinat seipsam*) ad unum (*particulare bonum*) prosequendum. « — Cuius ratio est, quia effectus assimilatur formae agentis per « quam agit. Manifestum est autem, quod unius rei (*naturalis*) non « est nisi una forma naturalis per quam res habet *esse :* unde *quale* « ipsum est, *tale* facit. Sed forma, per quam voluntas agit, non est « una tantum sed sunt plures secundum quod sunt plures rationes « intellectae (*i. e. ideae* exemplares *secundum quas agens intellectua-* « *le potest operari.* — *Cfr. Q. XV.*). Unde quod voluntate agitur, non « est **tale quale** *est* agens (*per voluntatem*), sed **quale** *vult* et illud « *intelligit esse* agens » (Hic, o). Hinc principia.

α) I.m « Eorum... voluntas (*prouti distinguitur a natura*) princi- « pium est, quae possunt *sic* vel *aliter* esse » (Hic, o).

β) II.m « Eorum autem, quae non possunt nisi *sic* esse, princi- « pium natura est » (Ibid.).

2.° Recolendum, quod **solus** Deus est **omnino** immutabilis, omnes autem creaturae sunt **quantum ad aliquid** mutabiles (Cfr. IX, art. 2). Unde

α) Omne illud « quod potest **sic** vel **aliter** esse, longe (*seu dif-* « *forme*) est a natura divina : sed hoc pertinet ad rationem creatu- « rae ; quia Deus est per se (*i. e. absolute*) **necesse esse,** creatura « autem est facta ex nihilo » (Hic, o), ideoque ens contingens.

3.° Nota quod, quia *voluntarium* denotat sive connotat voluntatem, sciendum est quod duplex a theologis distinguitur voluntarium, videlicet voluntarium voluntate *concomitante,* et voluntarium voluntate *antecedente.*

α) Voluntarium voluntate *concomitante* nominatur omne illud quod ab agente intellectuali *est* aut *fit* absque **renisu** propriae voluntatis vel cum **pura complacentia** eiusdem agentis. Unde possum dicere : *voluntarie vegeto,* inquantum in me vegetatio exercetur *absque renitentia* sed *cum complacentia* propriae voluntatis.

β) Voluntarium voluntate *antecedente* contingit quando voluntas est *causa* vel *principium* illius voliti. Hinc possum dicere : *voluntarie loquor* aut *intelligo,* inquantum voluntas mea est causa talis *loquutionis* aut *intellectionis.*

4.° Nota ulterius, quod voluntas potest aliquid *causare* aut operando tamquam potentia **naturalis,** aut operando tamquam potentia **libera.** Unde adest

α) Voluntarium voluntate *antecedente* quidem sed *operante* tamquam **natura:** et hoc voluntarium est id quod causatur a voluntate prouti est *facultas* determinata *ad unum,* videlicet ad bonum in communi. Huiusmodi in nobis est volitio beatitudinis. Adest praeterea

β) Voluntarium voluntate *antecedente* sed *operannte* tamquam potentia **libera:** et hoc voluntarium est illud quod causatur a voluntate inquantum est *facultas se determinans* ad *particulare* aliquod bonum prosequendum. Huiusmodi in nobis est volitio studii theologici, etc.

767. His praenotatis pro solutione quaesiti huius articuli, sint conclusiones.

Conclusio I. *Si loquamur de voluntario* **voluntate concomitante,** *dici potest quod Deus Pater* **voluntarie voluntate concomitante** *genuit Filium Suum, seu Verbum.*

Prob. 1.° *Ex Conc. Syrmiensi,* can. 23: « Si quis, *nolente Pa-*« *tre,* natum Filium dixerit, anathema sit. — Non enim *invitus* et *vim* « *passus* Pater **necessitate naturae,** *quasi nolens,* genuit Filium; « sed illico, ut voluit, etiam sine tempore et sine passione ex semet-« ipso genuit Eum » (Cfr. Carranza, *Sum. Concil.*). Si ergo Deus Pater *non invitus, neque coactus, neque nolens,* sed *volens* genuit Filium, evidenter Eum genuit **absque renisu** suae voluntatis quinimo **cum complacentia** Divinae suae voluntatis, seu, quod idem est, cum voluntario **voluntate concomitante.**

2.° *Ratione theologica.* Voluntarium **voluntate concomitante** est omne illud quod ab agente intellectuali *est* aut *fit absque* **renisu** sed potius *cum* **plena complacentia** suae voluntatis. — Atqui Deus Pater, sicut *cum* **plena complacentia** suae voluntatis **est** Deus, ita et *cum* **plena complacentia** suae voluntatis **intelligit** *se esse Deum* et *omnia alia esse ab Ipso.* Consequenter dici potest quod Deus Pater voluntarie **voluntate concomitante** *intelligat* et *comprehendat* se. — Atqui Deus Pater, intelligendo se, generat Dei Filium seu producit Dei Verbum. Ergo, si loquamur de voluntario **voluntate concomitante,** dici potest quod Deus Pater **voluntarie** genuit Dei Filium seu Verbum. Q. E. D. (Hic, o et ad 1.^{m}; item I. *Sent.* Dist. VI, Q. un., Artt. 2 et 3, et § *Exposit. textus*).

768. Sit nunc

Conclusio II. *Loquendo de voluntate Dei* **antecedente** *et prout est* **facultas libera,** *non potest dici quod Deus Pater* **voluntarie** *genuit Filium suum.*

Prob. 1.° *Ex Conciliis.* *A*) Syrmiense in can. 21 sic definivit: « Si quis **consilio Dei** (*i. e. libero actu suae voluntatis*) tamquam « unam creaturam factum asserit Filium Dei, anathema sit » (Cfr. Carranza *Sum. Concil.* et S. Hilarium in Lib. *De Synodis,* superius n. 765, *B* relatum).

B) Toletanum XI in Symbolo Fidei ait: « Filius Dei *natura* est « Filius non *adoptione;* quem Deus Pater nec *voluntate* nec *necessi-* « *tate* genuisse credendus est; quia nec *ulla* in Deo *necessitas* ca- « dit, nec voluntas *sapientiam* praevenit » (*Enchir.* n. 276).

2.° *Ratione theologica.* Sicut diximus (Cfr. n. 766, 1.°, α), voluntas, tamquam *potentia libera,* est principium eorum quae, *absolute loquendo,* possunt *sic* vel *aliter* esse. — Atqui Personae Divinae in Deo *sic* procedunt ut, absolute loquendo, non possunt *non procedere:* nam repugnat intranee ad actum purum, qualis est Deus, ponere quamlibet possibilitatem aliter essendi (Cfr. ibid. 2.°). — Ergo loquendo de voluntate Dei *antecedente* et inquantum est *facultas libera,* non potest dici quod *Deus Pater* voluntarie *genuit Filium suum* (Cfr. hic, o).

769. Theologi duplicem voluntatem in Deo *virtualiter* distinctam agnoscunt:

α) *unam* quam vocant *essentialem,* eamque dicunt **communem** tribus Divinis Personis; siquidem tum *Pater,* tum *Filius,* tum *Spiritus Sanctus* amant se invicem, et nos:

β) *alteram* voluntatem dicunt *notionalem* et est divina voluntas prout **connotat** relationem *Paternitatis* aut *Filiationis,* et hanc dicunt *propriam* Dei Patris aut Dei Filii.

Nota. Inter utramque voluntatem haec est differentia, quod voluntas *notionalis* est foecunda **ad intra** (siquidem a voluntate Patris et Filii *procedit* Spiritus Sanctus), dum voluntas *essentialis* nihil producit **ad intra,** secus a voluntate Spiritus Sancti quarta Persona in Deo procederet: absurdum! — Fit inde

Q. I. Qua specie *voluntatis concomitantis* Deus Pater generat Filium, voluntate inquam *notionali* an *essentiali?*

R. Omissis aliorum opinionibus, nobis probabilius videtur quod

α) illa voluntas sit voluntas essentialis quae est communis tribus Divinis Personis: « Omnes enim (*tres divinae Perssnae*) sibi « complacent in illa generatione. Et idcirco ista voluntas *proprie* « appellatur *essentialis*.

β) « Aliqui theologi graves dicunt illam non esse **pure** essentialem, sed **partim** esse personalem, et (**partim**) notionalem..... Haec « solutio est satis verosimilis: debet tamen ita intelligi, quod illa vo- « luntas est **partim** notionalis ex parte obiecti voliti; quia (*scilicet*) « est voluntas Generationis quae est actus notionalis (*Cfr. n. 752*). « Coeterum ipsa voluntas secundum semetipsam omnino est essen- « tialis, et ita *communis* tribus Personis, ut dixi » (Bannez. *Com.* in h. a. § *Dub. primo*).

770. Hinc solvitur

Q. II. *Voluntans Divina,* **concomitans** *Generationem Verbi, estne* **prior,** *iuxta nostrum modum concipiendi,* **quam** *ipsa Generatio.*

A) Scotus (I. *Sent.* Dist. VI, Q. I), Henricus Gandavensis, Caietanus, Ferre, Card. Satolli, et D. Ianssens (*Com.* in h. a.) tenent partem affirmativam.

B) E contra Capreolus (I. *Sent.* Dist. VI, Q. I, art. 1, *concl. sexta*), quem sequuntur Ferrariensis, Suarez, Vasquez, et Bannez (*Com.* in h. a. § *Dub. primo*) sentit oppositum. Et horum sententia nobis videtur magis probabilis. Unde sit.

b) **Conclusio III.** *Voluntas in Deo* **concomitans** *Generationem Verbi, non est, iuxta nostrum modum intelligendi,* **prior** *ipsa Generatione, sed hanc vere* **comitatur.**

Prob. 1.° *Auctoritate S. Thomae,* qui in Q. II *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 3 ad 2.m loquens de Generatione Filii Dei, inquit: « Generatio... Filii neque est creatura neque ad creaturam significa- « tur terminari. Unde respectu eius non est volnntas *praecedens* nec « *tempore* neque *intellectu* sed solum *voluntas* **concomitans** ». Nihil clarius pro nostra sententia (Cfr. S. Cyrill. Alex., Dialog. II. *De Trinit.*).

2.° *Ratione theologica.* « Si illa voluntas **antecedit** Generatio- « nem respicit Generationem (*iuxta nostrum modum concipiendi*) ut « **futuram** et **posteriorem.** Hoc autem non potest admitti. Ergo. — « Maior est evidens. — Probatur minor. Nam tunc illa voluntas vo- « se habet ut *desiderium* et *velleitas* respectu Generationis, sicut

« desiderium respectu *pluviae futurae ;* et hoc est impossibile, quia « talis voluntas est imperfecta : vel se habet ut voluntas *efficax* « **principians** ipsam Generationem ; hoc autem non admittit D. Tho- « mas in *prima* et *secunda* conclusione huius articuli (*Cfr. n. seq.*) « Ergo ». Hactenus Bannez, *Com.* in h. a. loc. cit.

771. **Scholium I.** Quoniam *nasci* est correlativum ad *Generare,* propterea in divinis dici potest Filium Dei esse **genitum** voluntate *essentiali,* aut voluntate *notionali,* Dei Patris, non autem quod Filius Dei sit genitus voluntate *libera* Dei Patris, sed voluntate **concomitante** eiusdem Dei Patris. Hoc sequitur ex supra positis conclusionibus (Cfr. art. seq.).

772. **Scholium II.** α) Ex superius (Cfr. n. 768, 2.°) adducta ratione deducitur contra Richardum Victorinum (Lib. II. *De Trinit.*), Henricum Gandavensem, Scotum (I. *Sent.* Dist. X, Q. I ; et *Quodlibeto* XVI, art. 2), Rada (Controv. XIII *De Trinit.*) et quosdam alios Scoti discipulos, quod dici nequeat *Patrem et Filium per actum* **liberum voluntatis** *spirare Spiritum Sanctum.* Si enim Spiritus Sanctus per *actum* divinae voluntatis, ut **potentiae liberae,** procederet a Deo Patre et a Deo Filio, tunc daretur intelligi Eum *sic* procedere a Patre et Filio, ut *absolute loquendo* potuisset non procedere : quod est impossibile.

β) Debet tamen dici *Patrem* et *Filium* **naturaliter** sive **necessario** (i. e. per actum voluntatis tamquam *potentiae naturalis*) spirare *Spiritum Sanctum.* Etenim « voluntas, inquantum est natura quae- « dam, aliquid *naturaliter* vult ; sicut voluntas hominis naturaliter « tendit ad beatitudinem. Et similiter Deus naturaliter vult et *amat* « seipsum... Spiritus autem Sanctus procedit ut *Amor,* inquantum « Deus *amat* seipsum. Unde *naturaliter* procedit, quamvis per *mo-* « *dum voluntatis* procedat » (Hic ad 3.m).

γ) Vicissim, sicut dictum est de **nasci** relate ad Dei Filium, asserendum est *Spiritum Sanctum* **procedere** sive **esse spiratum** a voluntate *essentiali* Dei, aut a voluntate *notionali* Patris et Filii, non vero a *libera* Dei voluntate (Cfr. hic, α).

δ) Sed ad omnem iniuriam a Scoto repellendam placet hic cum nostro P. Bannez (*Com.* in h. a. § *Secundo Dubit.*) notare quod « Scotus citra dubium non intendit negare processionem Spiritus « Sancti esse *necessariam,* nam hoc negare esset haereticum. Sed « putat Scotus, quod stat bene *processionem* Spiritus Sancti esse

« *necessariam* et quod **simul** sit *libera*. Quocirca quantum ad hoc « verbalis forsam est differentia inter D. Thomam et Scotum. Sed « Scotus *improprie* et *abusive* loquitur, operationem *necessariam* « appellans *liberam* ».

ε) « Advertendum est (*namque*) quod quandoque viri sapientes « confundunt *liberum* et *voluntarium;* ita quod *omne voluntarium* « appellant *liberum*. In quo sensu intelligendus est D. Thomas, cum « in Q. X. *De Pot.* (*inter QQ. Dispp.*) art. 2 ad 5.m dicit quod *Pro-* « *cessio Spiritus Sancti est libera* id est *voluntaria*. Sed, tamen, hic « modus loquendi citra dubium est *improprius* et *non satis usitatus*. « Improprie enim omne volitum **liberum** appellatur. Unde multo do- « ctius D. Thomas in solutione ad tertium huius articuli negat Spiri- « tum Sanctum procedere **libere,** concedens illum procedere volun- « tarie » (Bannez, loc. cit.).

ζ) Similiter S. Bonaventura, qui aliquibus forte dissentire posset videri ab Angelico Doctore, cum eo consentit. Etenim in I. *Sent.* Dist. X, Q. I, art. 1, o scribit: «In divinis est ponere tertiam Perso- « nam procedentem per modum **liberalitatis,** quae (*Persona — Cfr.* « *Q. XXXVIII, art. 2*) est *Donum*. Et ratio huius est perfectio *dile- ctionis,* perfectio *emanationis,* et perfectio *voluntatis,* qua exsistente « liberalissima, non potest non procedere Personam; sicut, natura « exsistente foecundissima, non potest non procedere Personam. Et « haec est ratio propria huius emanationis » (Cfr. ibid. ad 3.m).

Art. III. Utrum actus notionales sint de aliquo.

773. Cl. P. Ianssens, commentans hunc articulum scribit: « Ne- « xus cum praecedenti articulo multipliciter ostenditur. *a*) De princi- « pio *causali* (.?!) dictum est, nunc de materiali etc. ». Hanc sententiam P. Ianssens videntur fuisse olim sequuti a Durandus et Henricus Gandavensis, sicut notat Capreolus in I *Sent.* Dist. V, Q. unica (Cfr. Caiet. *Com.* in h. a.). — Sed

α) Horum interpretatio non mihi videtur recta, nec conformis menti S. Thomae. Hic siquidem monet « quod, cum *Filius* dicitur « *natus* **de** *Patre,* haec praepositio **de** significat principium generans « consubstantiale, non autem principium materiale. Quod enim pro-

« ducitur **de** materia, fit per transmutationem illius, **de** quo produci- « tur, in aliquam formam. Divina autem essentia non est transmuta- « bilis, neque alterius formae susceptiva » (Hic ad 1.m). Non potest ergo habere rationem causae materialis.

774. Pro connexione igitur huius ad praecedentem articulum melius dicitur, quod, sicut in qualibet natura *Persona* vel *Suppositum* eius dicitur **principium quod** operationum procedentium a tali Sup- « posito vel Persona, ita *essentia* seu *natura* illius Suppositi vel Personae est **principium quo radicale** seu **remotum** operationum quae a tali Supposito vel Persona procedunt. Unde agnito *principio quod* actuum Dei notionalium, de eorum **principio quo radicali** seu **remoto** inquisitio instituitur (Cfr. n. 761 ; item Sylvius, *Com.* in h. a. § *In respons. ad 2.*m).

775. Cum ergo in titulo articuli legitur τὸ *actus notionales,* hi sumuntur *active* inquantum significantur nominibus *Generare* vel *Generatio,* et *Communicatio* vel *Spiratio* (Cfr. n. 752).

776. Et rursum in eodem titulo τὸ *aliquo* sumitur indefinite prouti denotat substantiam aut *divinam* aut *creatam :* ita ut sensus articuli sit iste : Utrum **actus** Generationis et **actus** Spirationis, qui in Deo sunt, sint originati seu principiati **de** divina substantia, aut **de** substantia aliqua finita, aut **de** nihilo ? — Aliis verbis quaeritur :

Utrum Deus Pater genuerit Filium suum **de** *divina substantia, aut* **de** *substantia aliqua finita, aut* **de** *nihilo ?* Et similiter

Utrum Deus Pater ac Deus Filius spiraverint Paraclitum Spiritum **de** *substantia divina, aut* **de** *substantia aliqua finita, uut* **de** *nihilo ?*

777. Quo loco memorare iuvat varios errores et haereses ad praesentem materiam pertinentes.

A) Petrus Abaelardus, quum capere non posset qualiter Spiritus Sanctus dici non possit Filius Dei Patris et Divini Verbi in hypothesi quod *Ipse procederet* sive *esset* **de** *substantia Dei Patris et Dei Filii,* dum Dei Verbum est verus Filius Dei Patris ex eo quod **de** *substantia Dei Patris procedit,* eo progressus est ut affirmaverit quod « Spiritus Sanctus non sit de substantia Patris aut Filii » (*Enchir.* n. 369) ; sed Eum finxerit procedere a Patre et Filio ad instar *Amoris* quo Deus creaturas diligit (Cfr. S. Bernardum, Epist. CXC *cont. error. Abaelardi,* cap. 1).

B) Eunomiani, et inde Calvinus cum Socinianis, quum impugnaverint divinitatem Filii Dei, hunc confessi sunt non esse *Deum* **de**

Deo neque **de** *Patris substantia,* sed **ex** *nihilo* factum tamquam unam ex creaturis.

C) Macedonius quoque affirmavit Spiritum Sanctum non esse Patri Filioque *consubstantialem,* sed *minorem* Patre et Filio, ac propterea utriusque creaturam.

Nota. Hi omnes haeretice sentientes Filium et Spiritum Sanctum non esse consubstantiales Deo Patri sed quasdam Eius creaturas, ponunt consequenter actus notionales in Deo non esse de divina substantia, sed de nihilo (Cfr. Capponi, *Append.* in h. a.).

D) Nec praetereunda est fallacia Pantheistarum ponentium procesionem omnem a Deo contingere per scissionem **de** divina substantia ; quo modo ex aranea fluunt filamenta quibus texit muscipuas suas.

E) E regione opposita stat veritas Fidei Catholicae.

778. Ad cuius ostensionem animadverte

1.° distinctionem inter praepositiones *EX* et *DE*. Etenim

A) praepositio *EX* denotat *ordinem principii* relate ad *suum principiatum.* Qui quidem ordo quandoque est

a) *temporis* **tantum,** ut quum dicitur : **Ex** mane *fit* meridies. Quandoque est ordo proprius

b) *causae* seu *principii agentis,* sicut quando dico : Cultellus fit **ex** artifice : quandoque demum est ordo proprius

c) *causae materialis,* sicut quando dico : Cultellus fit **ex** ferro.

B) Praepositio *DE* autem *non solum* importat **ordinem** principii ad principiatum, *sed etiam* **consubstantialitatem** principiati cum suo principio : ac propterea quidquid dicitur esse *DE* aliquo potest dici esse *EX* illo; sed *non convertitur.* Possumus revera dicere quod *domus est* **ex** *aedificatore,* sed non possumus dicere quod *domus est* **de** *aedificatore,* quia *domus* et *aedificator* non sunt invicem *consubstantiales.* « Possumus autem dicere, quod *aliquid sit* **de** *aliquo* « quocumque modo illud significetur ut *principium consubstantiale,* « sive illud sit

α) « principium *activum,* sicut *Filius dicitur esse* **de** *Patre ;* sive « sit

β) « principium *materiale,* sicut *Cultellus dicitur esse* **de** *ferro ;* sive sit

γ) « principium *formale* (*totam essentiam* **principiati** *constituens* « *sicut contingit*) in his dumtaxat in quibus ipsae formae sint subsi-

« stentes, et non advenientes alteri. Possumus enim dicere, quod « *Angelus aliquis est* **de** *natura intellectuali* » (Hic ad 2.m — Cfr. hic. o ; et I. *Sent.* Dist. V, Q. II, art. 1, o et ad 1.m).

2.° notandum est, quod *Generatio* et *Factio* invèniuntur tam in *creaturis* quam in *divinis ;* differenter tamen. Etenim

A) in creaturis *Factio* est *semper* **ex** aliqua *praeiacente* materia et *exteriori* ad ipsum agens. Ita domus dicitur *facta* **ex** lapidibus *praeexsistentibus* **extra** substantiam artificis. — *Generatio* autem in eisdem creaturis est *semper* **ex** materia praeiacente et quae sit **pars** quaedam *substantiae* ipsius creaturae generantis : patet.

B) In divinis autem *Factio* non est *semper* **ex** aliqua *praeiacente* materia, sed quandoque est **ex nihilo** sicut accidit in creatione. — *Generatio* vero in divinis contingit inquantum *Deus Pater* **totam substantiam suam individualem** communicat *Filio suo.* Exinde

C) **Principium.** *Procedens in divinis per* **Generationem** *et non per* **Factionem** *est semper* **de** *substantia eius a quo procedit.*

779. His praenotatis, statuitur

Conclusio. *Filius Dei* α) *non est genitus* **de** *nihilo,* β) *neque* **de** *substantia* **aliena** *a Deo;* γ) *sed* **de** *substantia Dei Patris* δ) *omnino indivisa procedit.*

Et similiter

Spiritus Sanctus α) *non est factus* **de** *nihilo,* β) *neque* **de** *substantia* **aliena** *a Deo ;* γ) *sed* **de** *substantia Patris et Filii* δ') *omnino indivisa procedit.*

Nota. Utraque propositio pertinet ad Fidei dogma.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Equidem Deus Pater de Filio suo ait : « **Ex** utero (*idest de mea substantia, sicut exponunt Ss. Patres*) « ante Luciferum genui Te » (Ps. CIX, 3 — Cf. S. Matth. XXII, 42-44). Christus autem de Spiritu Sancto inquit : « Ille (*Spiritus San-* « *ctus*) me clarificabit, quia **de** meo accipiet etc. » (Ioan XVI, 14). Ergo vere Filius Dei est **de** substantia Dei Patris, et Spiritus Sanctus est **de** substantia tum Filii Dei tum Dei Patris a quo procedit ipse Filius.

2.° *Ex Ss. Patribus. A*) S. Cyrillus Alexandrinus (Lib. *Thesaur.* Assert. 34, § *Quod Spiritus S. sit* **ex** οὐσία i. e. essentia *Patris et Filii*) dicit : « Cum itaque Verbum sit lux vera (Ioan. I, 9), illuminet « vero Spiritus Sanctus (II Cor. IV, 6), necessarium plane est Spiritum esse **de** essentia (οὐσία) Verbi etc. ».

B) S. Hilarius (Lib. *De Trinit.*) scribit: « Unigenitus Deus, cum « natus sit, Patrem testatur auctorem: cum **ex** manente natus est, « non est natus **ex** nihilo »

C) S. Augustinus (Lib. II *cont. Maximin.*, cap. 14) dicit: « Nullo « enim modo verum Dei Filium cogitatis, si eum natum esse **de** sub- « stantia Patris negatis »

D) S. Fulgentius (Lib. *De Fide ad Petrum,* cap. 10) ait: « Pater « Deus... de sua natura, sine initio genuit Filium, Deum sibi « aequalem ».

E) S. Bernardus (Ep. CXC *contra errores Abaelardi,* cap. 1) dicit: « Si Filius **de** substantia Patris est, Spiritus Sanctus non est, « differant necesse est a se invicem, non solum quia Spiritus San- « ctus genitus non est quod Filius est, sed etiam quod Filius **de** substantia Patris est quod Spiritus Sanctus non est. Quam quidem posteriorem differentiam Catholica hucusque nescivit Ecclesia...». Et paulo post: « Et ne de re tanta solis videar humanis inniti ratione- « bus, legat (*Abaelardus*) epistolam Hieronymi *ad Avitum,* et certe « videbit inter coeteras quas redarguit Origenis blasphemias, etiam « hoc Eum detestantem, quod dixerit *Spiritum Sanctum* **de** *substan-* « *tia Patris non esse.* Beatus Athanasius in Lib. *De unita Trinitate* « ita loquitur: *Solum Deum, ubi memoratus sum, nou* **solam** *Perso-* « *nam Patris indicavi, quia Filium et Spiritum Sanctum* **de** *hac ipsa* « **sola** *substantia Patris* esse non abnegavi. Hoc Athanasius ».

3.° *Ex Conciliis. A*) Nicaenum I in *symbolo Fidei* definivit: « Credimus... in unum Dominum nostrum Iesum Christum Filium « Dei, natum **ex** Patre unigenitum hoc est **de** substantia Patris... « natum non factum, unius substantiae cum Patre... Eos autem qui « dicunt: *erat quando non erat et antequam nasceretur non erat et* « *quod* **de** *non extantibus factus est vel* **ex** *substantia aut essentia* « *dicentes* (*deest* creatum esse vel) *convertibilem et demutabilem Deum* « (Filium Dei) hos anathematizat Catholica Ecclesia» (*Enchir.* n. 54).

B) In synodo Romanal V, celebrata an. 380, S. Damasus I., R. P., Fidei Catholicae profesionem (quam postmodum ad Paulinum Antiochenum Episcopum misit. — Cfr. Carranza, *Sum. Concil.*) edidit sub forma anathematismorum contra discipulos Arii, Macedonii, et Sabellii. Ex illis anathematismis sequentes exscribo.

α) XI « Si quis non dixerit Filium natum DE Patre, idest **de** di- « vina substantia Ipsius, anathema sit ».

β) XVI « Si quis non dixerit Spiritum Sanctum DE Patre esse « vere ac proprie, sicut Filius **de** divina substantia et Deum verum, « anathema sit » (*Enchir.* nn. 69 et 74).

C) Concilium Toletanum I, auctoritate S. Leonis M., Rom. Pontif., confirmatum, in *Assertione Fidei* contra Priscillianistas : « Credimus, *ait,* ... Filium Dei **de** Patris esse natura » (Cfr. Carranza, *Sum. Concil.*).

D) Toletanum XI, celebratum an. 675, in Symbolo Fidei definivit ita : « Filium... **de** substantia Patris sine initio ante saecula na- « tum, nec tamen factum esse fatemur... Nec enim de nihilo, neque « **de** aliqua alia substantia, sed **de** Patris utero, idest **de** substantia « Eiusdem Filius genitus vel natus esse credendus est etc. » (*Enchir.,* n. 276).

E) Concilium Senonense an. 1140 damnavit citatam (Cfr. n. 777, *A*) propositionem Abaelardi ; quamque damnationem anno sequenti confirmavit Innocentius PP. II, sicut ex eius rescripto ad Concilium (Cfr. *Enchir.* n. 386) habetur.

Eadem habentur in Concil. Later. IV, capp. *Firmiter* et *Damnamus,* quorum verba referemus § seq.

4.° *Ratione S. Thomae* prob. **I.ª pars,** videlicet *nec Filius Dei, neque Spiritus Sanctus est factus ex nihilo.* Equidem quod fit ex nihilo, est creatura quaedam. Atqui Dei Filius seu Verbum est verus Deus, et similiter Spiritus Sanctus est verus Deus (Cfr. nn. 43-45). Ergo nec Dei Filius seu Verbum, neque Spiritus Sanctus est factus **ex** nihilo (Cfr. hic, o).

Prob. **II.ª pars** conclusionis, nempe *nec Dei Filius, neque Spiritus Sanctus sunt* **de** *substantia aliena a Deo.* — Et de Filio Dei res est evidens. Etenim artificiata, quae fiunt ex substantia aliena a substantia artificis, non possunt dici *veri* et *proprie dicti* filii eius, sed solummodo *in sensu metaphorico :* patet. Si ergo Dei Filius procederet a Deo Patre tamquam factus ex **aliena** natura, non posset dici **verus** *filius Dei.* Quod est contra testimonium S. Ioannis dicentis : « ut simus in **vero** (ἀληθινῷ) Filio eius. Hic est **verus** Deus » (I. Ioan. V, 20). Et ideo Dei Filius non est **de** substantia *aliena* a **vero** Deo (Cfr. hic, o)

— De Spiritu Sancto autem idem evincitur. Quod enim procedit **de** substantia *extranea* divinitati, non est *essentialiter* verus Deus. Constat. — Supra autem (Cfr. 43-45) ostendimus Spiritum Sanctum

esse **essentialiter** *verum* Deum. — Ergo Spiritus Sanctus non est **de** substantia aliena a Deo (Ibid).

Prob. **III.ª pars** conclusionis, videlicet *Dei Filius procedit* **de** *substantia Dei Patris*. Nam illud quod per veram generationem procedit **de** aliquo, procedit ab eo tamquam **de** substantia proprii Patris; sicut et in humanis cernimus. — Atqui Dei Filius in divinis procedit non per factionem aliquam ex nihilo, neque ex aliena materia sicut paulo ante ostendimus, sed procedit a Deo Patre per *veram* et *proprie dictam* Generationem sicut Q. XXVII art. 2 demonstravimus. — Ergo Dei Filius in divinis procedit tamquam genitus **de** substantia Dei Patris (Cfr. hic, o).

— *De Spiritu Sancto* autem dicimus quod *procedit* **de** *substantia Dei Patris ac Dei Filii*. Revera omne quod procedit per processionem Deo immanentem, est identicum realiter cum divina substantia (Cfr. Q. XXXIX, art. 1, o). Unde Spiritus Sanctus, qui in Deo procedit per modum *mutui Amoris* inter Deum Patrem ac Deum Filium, (quae processio est *immanens* in ipso amante), habet eamdem substantiam cum Deo Patre et Deo Filio. Et ideo Spiritus Sanctus verissime procedit **de** *substantia Dei Patris ac Dei Filii* (Cfr. hic, o).

Prob. **IV.ª pars** conclusionis, videlicet *Dei Filius procedit* **de** *substantia Dei Patris* **omnino indivisa.** Revera in omni generatione viventium substantia Filii non est creata ex nihilo, sed est de substantia proprii patris. Unde hoc etiam in divinis debet habere locum, si ibi adest vera generatio Filii a Deo Patre. At non potest dici quod per generationem Deus Pater **partem** suae substantiae dederit Filio suo, et **partem aliam** sibi retinuerit: quia substantia divina est omnino simplex. — Nec potest dici quod per Generationem Deus Pater **totam** substantiam suam sic dederit Filio suo, ut Ipsemet manserit post donationem orbatus substantia divina; quia tunc Deus Pater post generationem proprii Filii desineret esse Deus: quod est absurdum. — Ergo dicendum est quod Deus Pater per Generationem sic communicaverit **totam** suam substantiam Filio suo, ut in eadem divina post Generationem Ipsemet subsistat. — Et per hunc modum verificatur quod Dei Filius est genitus **de** substantia Dei Patris **omnino indivisa** (Hic, o).

— Et similiter *Spiritus Sanctus procedit* **de** *substantia Dei Patris ac Dei Filii* **omnino indivisa.** — Etenim in omni processione, *Deo immanente,* terminus qui procedit 1.° non est creatura quaedam ex

nihilo producta, quia realitas physica et essentialiter finita non potest esse **intra** Deum; 2.° nec etiam potest esse **pars** quaedam *substantiae* Patris et Filii, quia substantia Dei Patris ac Dei Filii est realitas omnino simplex; 3.° demum nec etiam potest dici, quod Deus Pater ac Deus Filius dederint *propriam* substantiam Spiritui Sancto ab ipsis procedenti, ita ut post hanc donationem **desierint** esse *substantialiter* Deus: quia hoc est evidenter absurdum! — Reinquitur igitur, quod Spiritus Sanctus sic procedat **de** substantia Dei Patris et Dei Filii, ut maneat cum istis **omnino indivisus** quoad substantiam. Et hoc modo verificatur, quod in divinis Pater, Filius et Spiritus Sanctus sint **omnino indivisi** qnoad substantiam (Cfr. hic, o; et Q. praec. art. 2; et *Enchir.* n. 431).

780. **Scholia.** 1.° Quum tribus modis exponi possit propositio ista: *Filius est genitus* **de** *essentia Patris*, propter triplicem sensum (Cfr. n. 778, 1.° *B*) quem habere potest praepositio *DE,* propterea nota quod,

A) si τὸ **de** sumatur tamquam indicans **post se** principium *efficiens,* tunc propositio illa

α) accepta in sensu *proprio,* est falsa, quoniam redderet hunc sensum: *Essentia Patris* **generat** *Filium;* qui sensus secundum proprietatem non videtur verus iuxta superius in Q. XXXIX, art. 5 relata ex Conc. Lateran. IV in Cap. *Damnamus* (*Enchir.,* 431); dum

β) accepta in sensu *improprio,* videlicet accipiendo *essentiam* Dei Patris pro *Persona* Eius, tunc propositio *Filius est* **genitus de** *Essentia Dei Patris* haberet hunc sensum, nempe, *Filius est* **genitus de Persona** *Dei Patris:* qui sensus verissimus est (Cfr. hic ad 2.m et 3.m).

B) Si autem τὸ **de** sumatur tamquam indicans **post se** principium *formale* (id est essentiam aliquam naturalem) **ab alio** derivatum, tunc propositio illa est vera, quia facit hunc sensum, videlicet «quod Filius est genitus de essentia (*i. e. substantia*) Patris, in«quantum essentia (*i. e. substantia*) Patris, Filio per generationem «communicata, in Eo subsistit» (Hic ad 2.m — Cfr. S. August. Lib. II. *cont. Maximin.* cap. 7).

2.° Principium importat distinctionem a suo principiato. Unde praepositio **de,** quum importet rationem principii (Cfr. n. 778, 1.°, *B*), non potest afficere, loquendo de divinis, nisi illud quod aliquo modo distinctionem connotat, videlicet, relationem. Unde «cum dici-

« tur *Filius est* **genitus de** *essentia Patris* (*haec propositio est sub* « *aliquo sensu vera quia in ea*) additur aliquid respectu cuius potest « salvari distinctio. Sed, cum dicitur, quod *Tres Personae sunt* **de** « **Essentia** *Divina,* non ponitur aliquid respectu cuius possit impor- « tari distinctio per praepositionem (**de**) significata » (Hic ad 3.m). Et ideo recte Augustinus in Lib. VII. *De Trinit.* cap. 6 dicit, quod *Tres Personae* **non sunt ex** *eadem Essentia,* quia scilicet non adest realis distinctio inter Essentiam divinam et Personas divinas (Cfr. Q. XXXIX, art. 1, o).

Art. IV. Utrum in divinis sit Potentia respectu Actuum Notionalium.

781. Nexus huius et sequentis articuli ad praecedentes est facilis. Agitur namque de **principio quo proximo** *actuum notionalium* qui sunt *Generatio* et *Spiratio*. De quo principio duo declaranda suscipimus, videlicet

1.° *An Deo conveniat habere* **potentiam** *quantum ad actus notionales* (art. praes.).

2.° Quidnam potentia ista significet seu designet in ipso Deo (art. seq.).

782. Pro solutione primi quaesiti adverte circa titulum articuli, quod quum actus notionales (i. e. *Generatio* et *Spiratio*) inferant terminum (videlicet *Filium* et *Spiritum Sanctum*) intra Deum, propterea τὸ *in divinis* valet idem ac *intra Deum*.

783. In eodem titulo adverte ulterius τὸ *est* intelligendum esse de *exsistere formaliter* (Cfr. Q. XXVII, art. 1, o) et non tantum de exsistere virtualiter.

784. Potentia vero, sicut colligitur ex V. *Metaphys.* cap. 12 et ex IX. *Metaphys.* cap. 1, dupliciter sumitur :

α) **primo** quidem pro *potentia logica,* quae consistit in mutua *non-repugnantia terminorum*. Et de hac potentia nulla est quaestio in praesenti articulo, quoniam non quaerimus *An sit contradictio in terminis ponere in divinis Actus Notionales ?* Hoc namque resolutum fuit art. 1 h. q. (Cfr. n. 755).

β) **Secundo** nomen *potentiae* solet accipi pro *principio reali operationis* seu pro *principio reali* **quo** *agens operatur*. Et sub hoc sen-

su nomen potentiae sumitur in hoc articulo (Cfr. Caiet. *Com.* in h. a.).

785. Adverte demum, quod operatio infert *semper* aliquem effectum seu terminum ab agente productum. Unde τὸ *esse principium* **operationis** potest intelligi duobus modis:

α) **primo** quidem, accipiendo *operationem* cum praecisione *a termino* quem producit;

β) **secundo,** accipiendo *operationem* cum inclusione *termini* qui per operationem illam ab agente producitur (Cfr. hic ad 3.m et Caiet. *loc. cit.*).

786. Et est diferentia inter has duas acceptiones vocis *operationis.* Quum enim reale principium distinguatur **semper** *realiter* a suo principiato (Cfr. Vol. I, n. 293, f), propterea, facta hypothesi quod *A* sit principium **reale** operationis *B* et quod operatio *B* sit principium **reale** effectus *C,*

α) loquutio ista: **A** est *principium reale* operationis **B,** si operatio *B* intelligatur cum praecisione a suo effectu *C,* supponit distinctionem realem τοῦ *A* ab operatione *B* accepta praecisive ab effectu *C* quem producit.

β) E contra quum dico: **A** est principium reale operationis **B** ut inferentis terminum **C,** ita ut τὸ **B** accipiatur cum inclusione termini **C,** tunc ad hoc ut locutio ista sit vera, **sufficit** terminum *C,* inlatum ab operatione *B,* distingui realiter a τῷ *A* quamvis *A* a sua operatione *B* nonnisi *virtualiter* distinguatur.

787. Sed actus notionales inferunt *terminum* **realiter** distinctum ab *agente.* Etenim *Generatio Divina* seu intelligere divinum infert *Filium Dei,* qui personaliter distinguitur a *Deo Patre;* et similiter *Spiratio Activa* sive actus divini Amoris infert *Paraclitum,* qui personaliter a *Deo Patre et Deo Filio* distinguitur. Unde, omnia colligendo, sensus quaesiti in h. a. est:

Utrum Personis Divinis conveniat formaliter ratio **principii activi** Generationis *et* Spirationis, *considerando* Generationem **et** Spirationem **tum** includendo *proprios terminos* Filium et Spiritum Sanctum, **tunc** praescindendo *ab eisdem terminis?*

788. Statuto puncto quaestionis, memorare licet *A*) « haereses « Agarenorum et Sabellii dicentium: Deus non potest habere Filium « *quia uxorem non habet.*

B) « Item Spiritus Sancti omnem tollebat intellectum ipse Sa-

« bellius. — Illi enim negant *potentiam* Patris ad *generandum* Filium; « et Sabellius tollit *omnem potentiam* spirandi Spiritum Sanctum : ut « patet » (Capponi, *Appendix* in h. a.).

C) Refert etiam noster P. Grandi (*Com.* in art. seq. *post sextam conclusionem*) Aureolum et Gregorium Ariminensem (I. *Sent.* Dist. VIII, Q. I) denegasse Deo potentiam generativam : sed *forte* hi loquuntur de potentia generativa, *praecisive* sumpta ab actu generationis (Cfr. n. 685, α).

Nos autem pro veritatis manifestatione ponimus conclusiones.

789. **Conclusio I.** *Necesse est ponere in Divinis Personis* **veram** *atque* **realem** *potentiam activam relate ad* **actus notionales.**

Prob. 1.° *Ex auctoritate. A*) S. Athanasius (Dialog. I. *De S. Trinitate,* cap. 5) commentans illud : « Ex utero ante Luciferum ge- « nui te » (Ps. CIX, 3) ait : « *Uterum* audiens, *generandi vim* in- « telligo ».

B) S. Augustinus quoque (Lib. III *cont. Maximin.,* cap. 1, 7, et 12) dicit: «Si Deus Pater *non potuit generare* Filium sibi aequalem, « ubi est omnipotentia Dei Patris? » quasi dicat : Deus non erit om- « nipotens, si potentia generativa Ei denegetur. — Atqui necesse est confiteri secundum Fidem Catholicam Deum Patrem esse omnipotentem. — Ergo realiter adest in Deo Patre *potentia* respectu *Generationis* Filii (Cfr. hic *Sed Cont.*). — Pari modo convincitur quod in Deo Patre ac in Deo Filio adsit *potentia* respectu *Processionis* Spiritus Sancti.

2.° *Rationibus S. Thomae. A*) Equidem potentia *activa* nihil est aliud quam principium *reale* alicuius actus seu actionis. Unde cuicumque convenit *actus,* ipsi convenit habere *reale principium* talis *actus* seu *potentiam operativam* (Cfr. n. 784, β). — Atqui in Divinis Personis ponuntur aliqui *actus notionales* (Cfr. art. 1 h. q.). — Ergo necesse est ponere in eisdem Divinis Personis *potentiam activam* respectu illorum actuum (Hic, o).

B) Sicut *potentia operativa* significat principium **quo producendi** *per operationem* proprium terminum ; ita *potentia generativa* designat principium **quo** producendi per *generationem* Filium. — Atqui in divinis (videlicet Deo Patre) adest evidenter principium **quo** producendi per Generationem Filium suum. — Ergo in Deo Patre adest vera potentia generativa Filii sui: et similiter, eadem ratione colligitur, in eisdem Divinis Personis, videlicet Deo Patre ac Deo Filio,

invenitur realiter *potentia Spirativa* Spiritus Sancti. — Maior est evidens ex terminis. Minor suadetur per analogiam. Sicut enim ex eo quod Deus est creans, intelligitur in Eodem inveniri *principium* **quo** *creandi,* videlicet, potentia creativa; ita ex eo quod Deus Pater *vere* genuit Deum Filium, adest *vere* in eodem *potentia Generandi* Filium suum. Et similiter ex eo quod Deus Pater et Deus Filius vere spirant Spiritum Sanctum, adest vere in eisdem Divinis Personis *potentia Spirativa* Spiritus Sancti.

Et sic, omnia in unum colligendo, verificatur, quod in Divinis Personis adest **vere** atque **realiter** *potentia activa* relate ad **actus notionales** quales sunt *Generatio* Filii et *Spiratio* Spiritus Sancti (Cfr. hic, o ; et nn. 747 et 750). — Exinde

790. **Conclusio II.** *Potentia realis Activa quae specialiter adscribitur Divinis Personis quantum ad* **Actns Notionales** α) *non existit in eisdem Divinis Personis* **dissociata** *a proprio actu et a proprio termino,* β) *sed cum* **inclusione** *proprii actus et proprii termini.*

Nota. Est propositio theologice certa. — Memento tamen (Cfr. nn. 747 et 750), quod *Actus Notionalis* est operatio divina significans ordinem originis *unius* Divinae Personae ab *alia* Divina Persona (aut a *duabus aliis* Divinis Personis) a qua (vel a quibus) procedit : quales actus sunt *Generatio* Verbi et *Spiratio Activa* Paracliti. Unde *potentia* realis *activa,* quae adscribitur Personis Divinis quantum ad *actus notionales,* est Potentia generandi Dei Filium quae adscribitur Deo Patri, et Potentia spirandi Spiritum Sanctum quae competit Deo Patri ac Dei Filio. Constat. — Quo notato, conclusionis utraque pars simul

Prob. *Ratione theologica.* Potentia realis Activa, quae specialiter adscribitur Divinis Personis quantum ad **Actus Notionales,** debet a nobis intelligi qualis *vere* in Deo existit. Patet.

Atqui Potentia realis Activa quae specialiter adscribitur Divinis Personis quantum ad **Actus Notionales** (videlicet Potentia **Generativa** quae adscribitur Deo Patri relate ad Dei Filium ; et Potentia **Spirationis Activae** quae adscribitur Deo Patri simulque Deo Filio relate ad Spiritum Sanctum) non exsistit in Deo **dissociata** seu **cum praecisione** a proprio actu et a propio termino, sed adest potius **semper** cum **inclusione** propriorum actuum ac terminorum. — Revera *Potentia Generativa* in Deo Patre numquam *fuit,* aut *est,* aut *erit* **dissociata** a suo termino, id est, Dei Filio; idemque debet dici

de *Potentia Spirativa Spiritus Sancti* quae adest in Deo Patre simulque in Deo Filio.

Ergo Potentia realis Activa, quae specialiter adscribitur Divinis Personis quantum ad **Actus Notionales,** non exsistit in Divinis Personis **dissociata** a proprio actu et a proprio termino sed semper cum inclusione **proprii actus** et **proprii termini.** Q. E. D. (Cfr. hic ad 3.m et Q. II. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 1, o).

791. **Obiic. 1.°** *Ratio, ob quam in Deo non invenitur realiter* **potentia** *intellectiva, est* **quia** *in Deo* **potentia** *intellectiva est ipsum Eius* **intelligere.** *Atqui universaliter potentia* **operativa** *Dei est realiter Eius* **operatio** (Cfr. Q. XXV art. 1 ad 1.m). *Ergo non datur in Deo realiter potentia* **operativa,** *qualis est* **Potentia Generativa** *vel* **Spirativa,** etc.

R. Dist. mai. *Ratio* adaequata *ob quam* etc. Nego. *Ratio* inadaequata *ob quam* etc. Concedo. — Concedo min. — Nego consequens et dico quod *potentia* designat non solum *principium* **actus** sed etiam *principium* **termini producti** *per talem actum* sive *actionem. Principium* autem importat distinctionem a *principiato.* Et ideo ad hoc ut in Deo salvari possit potentia *vera* ac *realis,* **sufficit** quod per operationem divinam inferatur **terminus** aliquis productus, qui vel *personaliter* vel *essentialiter* distinguatur a Deo agente. Si antem per operationem divinam non significetur procedere aliquid, distinctum *essentialiter* vel *personaliter* a Deo agente, relate ad talem operationem non ponitur aliqua *realis potentia operativa* in ipso Deo. — Iamvero per hoc quod absolute nomino *intelligere divinum* et *velle divinum,* prout communia sunt toti Trinitati, non indicatur terminus aliquis **personaliter** aut **essentialiter** a Deo distinctus; e contra, per hoc quod nomino *actionem creativam,* designo **creaturam** tamquam *terminum,* quae creatura **essentialiter** distinguitur a Deo creante: item ex eo quod nomino *generationem divinam,* designo Dei Filium tamquam terminum *personaliter* distinctum a Generante. — Et ideo respectu **intellectionis** et **volitionis** *essentialis* (Cfr. nn. 551 et 562, 4.°) non datur in Deo *potentia* aliqua *realis operativa;* attamen relate ad *actionem creativam* datur in Deo *realis potentia creandi;* relate ad *Generationem Verbi* datur in Deo *realis potentia Generandi;* et relate ad *Spirationem Spiritus Sancti* datur in Deo *realis potentia Spirativa* (Cfr. hic ad 3.m)

792. **Obiic. 2.°** *Cuilibet potentiae activae correspondet aliquod*

obiectum tamquam **possibile esse** *per talem potentiam. Si ergo* **intra Deum** *invenitur vera atque realis potentia activa, necesse est ponere aliquam* **Divinam Personam** *tamquam* **possibilem esse** *per talem actionem. Atqui* **Divinae Personae** *sunt de numero* **necessariorum** *et non de numero* **possibilium.** *Ergo non potest poni vera atque realis potentia activa in Deo.*

R. Dist. primum antec. *Cuilibet potentiae activae... possibile esse* etc. *prout* possibile esse *excludit* necesse esse: *Nego; prout* possibile esse *includit* **simul** necesse esse *aut* necessario esse: *Concedo.* — Dist. primum conseq. *Si ergo intra Deum... necesse est ponere aliquam Divinam Personam tamquam* possibilem esse etc.; *si hoc* possibile esse *intelligatur uti excludens* necessario esse: *Nego; si intelligatur uti includens* necessario esse: *Concedo.* — Contradistinguo min. ad sensum *primi consequentis.* Nego *ultimum consequens,* et dico quod τὸ *possibile esse*

α) **quandoque** accipitur synonime ad τὸ *esse contingenter,* et hoc modo est **proprietas** solius *entis finiti* et nullo modo convenit Deo.

β) **Alio modo** τὸ *possibile esse* significat illud quod habet **in se** *vim essendi ab alio:* et hoc modo convenit **omni enti** actu exsistenti *quod procedit ab alio.*

Atqui non solum *creaturae* actu exsistentes habent in se vim exsistendi *derivatam a Deo,* sed etiam *Persona Filii Dei* et *Persona Spiritus Sancti* habent a Deo Patre *communicatam* divinam substantiam vi cuius subsistunt *realiter* et *personaliter* distinctae a Deo Patre. Et ideo Personis Divinis quales sunt Dei Filius ac Deus Spiritus Sanctus, quamvis **necessario** exsistant et ab aeterno, vere convenit τὸ **possibile esse,** ex eo, scilicet, quod ambo procedunt ab alia Divina Persona.

Et hoc modo patet qualiter eaedem Divinae Personae, secundum quod procedunt ab aliis, sic sunt **obiectum** potentiae activae quam in divinis ponimus (Cfr. hic ad 1.^{m} et 2.^{m}).

793. **Corollarium.** Ergo « sicut secundum *actus notionales* non « procedit aliqua Persona ut *facta* (*Cfr. n. 778, 2.°*), ita neque *po-* « *tentia* ad actus notionales dicitur in divinis per respectum ad ali- « quam *personam factam,* sed solum per respectum ad *procedentem* « *personam* » (Hic ad 1.^{m}). Unde de Filio Dei in symbolo Nicaeno dicitur: Γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρί (*Enchir.* n. 54).

Art. V. Utrum Potentia Generandi significet relationem et non essentiam.

794. Constituta reali exsistentia potentiae *Generandi* et potentiae *Spirandi* in Divinis Personis, remanet determinandum quidnam ea sit. En obiectum praes. art.

795. Prosequemur autem investigationem **solummodo** circa Dei potentiam Generativam; quoniam, sicut pluries memoravimus, ea quae dicuntur de *Potentia Dei Generativa* aptari debent ad *Dei Potentiam Spirativam,* quum utraque aequaliter perfecta in Deo exsistat. Constat.

796. Porro, sicut art. praec. ostendimus, potentia operativa, in Deo exsistens, non distinguitur *realiter* a sua operatione considerata **seorsim** a termino quem producit (aliter aliqua realis compositio inveniretur in Eo: quod est impossibile. — Q. III, art. 7, o); sed distinguitur solum **virtnaliter** ab ea, inquantum *potentia* operativa intelligitur tamquam *principium* **a quo** fluit actio productiva termini. Unde in Deo Patre potentia Generativa non distinguitur *realiter,* sed solum *virtualiter,* a Generatione considerata **praecisive** a Dei Filio, qui per eam Generationem procedit in divinis (Cfr. hic ad 2.m et n. 717).

797. Ex eodem principio omnimodae Dei simplicitatis deducitur evidenter, quod in divinis potentia Generativa est *realiter* ipsa Persona Dei Patris, cui talis potentia in divinis solummodo convenit (Cfr. loc. cit.).

798. Iamvero in Persona Dei Patris duo **virtualiter,** sicut diximus Q. XXXIX, art. 1, o, distinguimus, videlicet Essentiam divinam et Relationem Paternitatis. Quum ergo potentia Generativa sit *realiter* identica cum Persona Dei Patris, sequitur eam identificari realiter tam cum Dei Essentia quam cum Paternitate Divina. Qua conclusione posita, promanat sequens

Q. Potentia Generativa, in Deo Patre exsistens, significat in recto seu principaliter Essentiam Divinam, an vero Relationem Paternitatis Divinae; aut, e contra, significat aequaliter Essentiam divinam et Relationem Paternitatis?

Hic est sensus praesentis articuli.

α) « Tantum hoc advertat novitius, inquit Caietanus (*Com.* in h.

a.), quod potentia sumitur hic non pro *respectu principii* sed pro *re* « cui convenit ille respectus. Utrumque namque clauditur in ratione « *potentiae ;* sed de illa *re* dubitatur hic *an sit* **essentia** vel **pater-** « **nitas** etc. » (Cfr. hic ad 1.m).

799. Ad cuius quaestionis resolutionem praenota :

1.° quod *relatio realis,* in Deo exsistens, si spectatur **nude** ut *relatio* est (sive prouti exprimit **ad** ut **ad,** id est respectum *unius* divinae Personae *ad* **alteram**) non est divina Persona sed **consequitur** eam (Cfr. nn. 715 et 716). Ipsa vero *Relatio,* si spectetur uti *forma hypostatica,* videlicet quatenus exprimit τὸ **ad** uti connotans τὸ **in** *eiusdem Relationis,* est in Deo *realiter* ipsa *Persona divina* (Cfr. ibid.).

2.° quod omne agens per suam actionem tendit ad *assimilandum sibi* subiectum in quo agit ; inquantum illi subiecto *communicat* formam *per quam* agens constituitur **actu agens.** Ita ignis facit ferrum **sibi** simile, illi communicando *calorem* **quo** scilicet ignis calefacit : et similiter in artificialibus architectus facit domum *sibi* **aliqualiter** similem, communicando domui per quamdam assimilationem **formam idealem** domus qua ipse constituitur **domificator** in actu.

800. Age vero in Patre humano duo intelliguntur, nempe *humana natura* et *forma personalitatis,* secundum quam scilicet formam dicimus Patrem Andreae distingui a Patre Philippi. Unde in humano individuo, quod dicitur Socrates, individua natura humana se habet tamquam *materia ;* Socrateitas autem tamquam *forma* reddens eam individuam naturam humanam tamquam inassumptibilem ab alia persona.

α) Sed manifeste, quando Socrates generat Filium suum, hunc non facit *sibi similem* in Socrateitate, secus **unus** Socrates generaret **alium** Socratem : quod apparet falsum 1.° quidem per **experientiam,** qua videmus ex Patre *stulto* saepe gigni Filium *sapientem ;* 2.° etiam idem apparet falsum ex **ratione,** quoniam forma individui est *inmultiplicabilis numerice,* et Socraeitas est evidenter forma individui. — Relinquitur igitur, quod in Socrate **Socrateitas** (et generatim in Patre forma **Paternitatis**) non est *principium quo* Socrates (vel Pater terrenus) generat Filium sibi similem. Consequenter

A) Principium, quo Pater terrenus generat et facit Filium sibi similem, est humana talis Patris natura. — Et revera Filius nascitur

quantum ad naturam specificam similis Patri suo, et quantum ad istam assimilationem attenditur ratio Generationis propria viventium (Cfr. Q. XXVII, art. 2, o).

β) Attamen quisque facile percipit, quod si humana natura non inveniretur affecta aliqua forma *Personalitatis,* utputa Adameitate, vel Abeleitate, aut Socrateitate, etc., non posset nec *agere* nec *facere* alium *sibi* similem. Et ideo necesse est affirmare, quod

B) *Forma* Persônalitatis *est* **conditio necessario requisita** *ad hoc ut* natura humana, *affecta tali* Personalitate, *sit* **principium quo generandi** *Filium.*

801. In summa: *Principium* **quo generationis,** propriae viventium, *est individua natura viva exsistens in Patre et considerata, non quidem* **nude,** *sed prouti affecta a* **forma Personalitatis** (*si vivens generans sit* naturae intellectualis), *vel a* **forma Suppositalitatis** (*si vivens generans* careat intellectu). Ex. gr. in Socrate principium **quo** generationis est humana eius natura considerata, *non quidem* **nude,** sed prouti **induta seu affecta** a Socrateitate; et ita porro de aliis.

802. His fundamentis praeiactis, animadverto quod circa propositam (Cfr. n. 798) quaestionem variae inter theologos exstant sententiae.

A) Quidam enim cum S. Bonaventura (I. Sent. Dist. VII, art. 1, q. 1) et Durando (Ibid. q. 2) docent *Potentiam Generativam* in divinis designare *puram relationem* **Paternitatis,** prouti haec relatio distinguitur **virtualiter** ab essentia divina. Contra hos statuitur

α) **Conclusio I.** *In Deo Patre principium* **quo** *Generationis, seu Potentia Generativa, non est* **Relatio Paternitatis** *prouti* **virtualiter** *distinguitur a Natura Divina.*

Prob. *Ratione theologica.* Equidem sic se habet *Relatio Paternitatis* ad *Deum Patrem,* sicut *Socrateitas* se habet ad patrem humanum qui dicitur *Socrates.* — Atqui in *Socrate* **potentia generativa** non est *Socrateitas* **pura** seu **nude** considerata, secundum quod scilicet Socrateitas distinguitur ab ipsa natura humana quae est in Socrate: secus, prouti diximus n. praec., *unus* Socrates generaret *alium* Socratem. — Ergo et a pari, quia loquimur de Divinis per analogiam ad creaturas, in Deo Patre principium *quo* generationis non est Relatio Paternitatis prouti virtualiter distinguitur a Natura Divina (Hic, o. Cfr. P. II. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2, o).

803. **Obiic.** *Potentia Generativa significat* **principium,** *sicut ex*

eius definitione (Cfr. n. 784, β) *patet. Atqui* **principium** *in tractatu S.mae Trinitatis significat* **Relationem** (Cfr. 373, *A* et n. 526). *Ergo Potentia Generativa in divinis significat* **Relationem** *Paternitatis.*

R. Dist. mai. Potentia... principium **quod,** sicut etc.: *Nego;* principium **quo** etc.: *Concedo.* — Dist. min. Atqui principium, videlicet **habitudo** *principii* **ad** *principiatum,* in tractatu etc.: *Concedo;* principium **quod** *aut* **quo** in tractatu etc.: *Nego.* — Nego consequens et dico, quod, quando nominatur **principium,** tria possunt intelligi: primo quidem *principium* **quod** *agens,* et hoc est *Persona* vel *Suppositum* non autem **pura** *Relatio.* — Deinde sub nomine **principium** potest etiam intelligi *principium* **quo proximum** seu *virtutem agendi,* et huiusmodi virtus agendi non est *pura Relatio* sed aliqua **forma absoluta:** et inde est quod Philosophi *potentiam operativam* collocant sub genere **qualitatis,** quamvis potentia operativa includat **relationem transcendentalem** ad operationem. — Denique sub nomine **principii** intelligi potest **habitudo** *principii* ad *principiatum,* et haec est **pura relatio.** — Attamen *Potentia generativa,* secundum quod de ea nunc loquimur, non significat in divinis *id* **quod** *Generat;* neque **habitudinem** *Generantis* ad *Genitum;* sed *id* **quo** *Generans generat* sibi simile, et hoc postremum est *ipsa* **natura** *Generantis.* « Cum enim omne agens, inquantum huiusmodi, agat simile « sibi, illud est principium **(quo)** generationis in generante secundum « quod Genitus Generanti similatur. Homo enim virtute humanae na- « turae generat Filium, qui sibi in natura humana *similis* invenitur. « Deo autem Patri conformis est Deus Genitus in natura divina. « Unde natura divina est (*in Deo Patre*) Generationis principium, ut « cuius virtute generat Pater ». Hactenus S. Thomas Q. II *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2, o. Cfr. hic ad 1.m

804. Praecedenti opinione igitur seposita, fuerunt

B) Alii qui dixerunt *potentiam generativam* in Deo esse ipsam *divinam essentiam* seu *naturam* acceptam **formaliter** et ut est in se, sive prout exprimit aliquid **pure absolutum.** Et haec opinio solet adscribi Magistro Sententiarum (Cfr. I. *Sent.* Dist. VII, § *Item quaeritur*) et Gabrieli Biel (Ibid.). — Sed contra eos sit

b) **Conclusio II.** *In Deo* **Potentia Generativa** *nequit significare* **divinam essentiam** *secundum se acceptam, sive* **prouti est aliquid absolutum.**

Prob. *Ratione theologica.* Essentia Divina, secundum quod ex-

primit aliquid **pure absolutum,** est realitas una numero **communis** Patri, Filio et Spiritui Sancto. — Atqui in divinis *potentia generativa,* sicut et generatio, est **solius** Dei Patris **propria.** — Ergo in Deo potentia generativa non potest significare **Dei essentiam** prouti est **aliquid absolutum** (Cfr. Q. II. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2, o; item hic arg.m 3.m et ad 3.m).

805. **Corollarium I.m** Relinquitur ergo quod *Potentia Generativa* in Deo **utramque simul** significet, videlicet *Essentiam divinam* et *Relationem Paternitatis.* — Etenim quum haec duo tantum sint in Deo Patre, videlicet *Essentia Divina* et *Relatio Paternitatis,* et quum *Potentia Generativa* sit **realiter** *Deus Pater,* ideo necesse est quod *Potentia Generativa* in Deo Patre, si non significat nec **solam** Divinam Essentiam nec **solam** Relationem Paternitatis, **utramque simul** significet (Cfr. Q. et art. cit. *De Pot.,* o).

806. Praecedenti veritate constituta,

C) nonnulli theologi eam sic explicant, ut asserant hanc potentiam generativam importare **ex aequo** tum *essentiam divinam,* tum *relationem Paternitatis* tamquam **formam hypostaticam** *Dei Patris.* — Sed contra horum positionem statuitur

c) **Conclusio III.** *Potentia Generativa, propria Dei Patris, non exprimit* **aeque principaliter** *in Deo Patre* **essentiam divinam** *et* **relationem Paternitatis** *tamquam* **formam hypostaticam** *Dei Patris.*

Prob. *Ratione theologica.* Potentia Generativa denotat principium quoddam activum seu *energiam generantis:* unde exprimit aliquid pertinens principaliter ad lineam *operandi,* non autem ad lineam *essendi.* — Iamvero *natura* seu *essentia,* tam Dei quam cuiusvis alterius entis, **satis** intelligitur pertinere ad lineam tam *essendi* quam *operandi:* etenim *essentia* seu *natura* dicitur *primum principium* **motus** *in eo quod* **movetur** per se *et* non per accidens, *videlicet ab intrinseco et non* **solum** *ab exstrinseco et violenter.* E contra *Relatio Paternitatis,* accepta uti *forma hypostatica* Dei Patris, non exprimit *formalitatem* pertinentem ad lineam **operandi,** sed *formalitatem* terminantem ipsam *Personam Dei Patris* ac pertinentem ad **solam** lineam **essendi;** sicut *Socrateitas* in *Socrate* est *pura* perfectio in linea **essendi** et non in linea **operandi.** — Ergo potentia generativa Dei Patris non significat *aeque principaliter* essentiam Divinam et relationem Paternitatis tamquam hypostaticam Dei Patris. Q. E. D.

807. **Corollorium II.m** Oportet ergo quod in Deo Patre potentia generativa significet *principaliter* vel essentiam divinam in **recto** et Paternitatem **in obliquo,** seu secundario ; vel e contra Paternitatem **in recto** et essentiam Divinam **in obliquo** seu secundario. Id sequitur ex praedictis.

808. Quo tamen posito,

D) Henricus Gandavensis in *Quodlibetis* in eam propendit sententiam ut affirmet potentiam generativam in Divinis designare **principalius** Relationem seu proprietatem Paternitatis, et **secundario** Essentiam Divinam. Sed contra hanc opinionem sit

d) **Conclusio IV.** *In individuo quod dicitur* **Deus Pater,** *Potentia Generativa* **non** *exprimit* **neque** *significat* **magis principaliter** *Relationem Paternitatis et* **minus principaliter** *Essentiam seu Naturam Divinam, sed* **potius** *e contra.*

Prob. *Ratione theologica.* Loquimur de divinis analogice ad creaturas intellectuales, quales sunt *Petrus, Paulus,* etc. Constat.

Atqui in individuo, quod dicitur Petrus, Potentia Generativa non exprimit nec significat

magis principaliter conditionem *naturae* **individuae** *Petri,* et

minus principaliter conditionem *naturae* **specificae** *eiusdem Petri ;*

sed **potius** est **e contra.** — Etenim (quum Generans per Potentiam Generativam facit *per se* aliud sibi simile) videmus sensibiliter, quod si Petrus fuerit **individualiter** Sapiens aut Stultus, non generat semper Filium **aequaliter** sapientem aut stultum, sed generat semper Filium **aequaliter** Hominem.

Ergo et similiter in *individuo* quod dicitur **Deus Pater,** Potentia eius Generativa **non** exprimit **nec** significat

magis principaliter conditionem *naturae* **individuae** eiusdem **Dei Patris** (quae conditio est ipsa *Paternitas Divina* **informans** et **conditionans** *naturam divinam* prouti in **solo** Deo Patre invenitur) et

minus principaliter conditionem *naturae* quasi **specificae** eiusdem **Dei Patris** (quae conditio est *natura divina* Dei Patris) ;

sed **potius** est **e contra.**— Hucusque illatio patet: nunc subsumo.

Atqui in Deo Patre conditio *naturae* **individuae** *eius* est evidenter **Relatio Paternitatis divinae,** quia haec *illi uni, soli* et *semper* convenit,

dum in eodem Deo Patre conditio *naturae* **quasi specificae** *eius* est **Essentia** seu **Natura Divina**; quia haec est aliquid *commune* tribus divinis Personis. Patet.

Ergo in individuo, quod dicitur *Deus Pater,* Potentia Generativa **non** exprimit **neque** significat magis principaliter Relationem Paternitatis et minus principaliter Essentiam seu Naturam Divinam; sed potius est e contra. Q. E. D.

Ad rem S. Thomas. « In qualibet generatione principium genera-« tionis *principaliter* non est aliqua *forma individualis,* sed forma « quae pertinet ad *naturam speciei.* Item non oportet quod *genitum* « similetur generanti quantum ad *conditiones individuales* sed quan-« tum ad *naturam speciei.* — Paternitas autem non est in Patre per « modum *formae speciei,* sicut humanitas in homine (sic enim in Eo « est divina natura) sed est in Eo, ut ita dicam, sicut *principium in-« dividuale,* est enim *proprietas personalis.*

« Et ideo non oportet quod sit Generationis principaliter... aliter « sequeretur quod Pater per generationem non solum Deitatem sed « etiam Paternitatem communicaret (*Filio*): quod est inconveniens » (Q. II *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 2 ad 5.^{m} — Cfr. hic, o).

809. Reiectis aliorum opinionibus, remanet sententia S. Thomae cum sua schola, videlicet

Conclusio V. *In Deo* **potentia Generativa** *significat* α) **principaliter** *divinam Essentiam,* β) **secundario** *autem et* **connotative** *Relationem Paternitatis.*

Prob. **I.^{a} pars.** 1.° *Ex Ss. Patribus.* Equidem *A*) S. Damascenus (Lib. I *De Fide Orthod.,* cap. 8) ait: « *Generatio* quidem in hoc consistit, ut **ex** gignentis substantia *proles* eiusdem cum gignente « substantiae producatur ».

B) S. Anselmus (*Monolog.* cap. 54) inquit: « Non **ex** Relationi-« bus suis quae plures sunt (*alia* enim est Patris, *alia* Filii) sed **ex** « ipsa sua essentia, quae pluralitatem non admittit, emittunt Pater « et Filius **Sanctum** pariter **Bonum** », idest Spiritum Sanctum.

2.° *Ratione theologica.* Potentia Generativa significat **principaliter** formalitatem **qua** Pater generat Filium, et **in qua** Filius Patri assimilatnr. — Atqui, loquendo de divinis, Filius assimilatur Patri in divina natura *quam recipit* a Patre, non autem in Paternitate *quam* a Patre *non recipit.* — Ergo, loquendo de divinis, Potentia Generativa significat **principaliter** Essentiam seu Naturam Divinam (Hic, o).

Prob. **II.ª pars.** Ratione S. Thomae. « Actio enim, quae fit vir-« tute naturae communis, per aliquod (*suppositum*) sub natura com-« muni contentum, aliquem modum accipit ex propriis illius (*suppo-« siti*) principiis ; sicut actio, quae debetur naturae animalis, fit in « homine secundum quod competit principiis speciei humanae : unde « et homo perfectius habet actum virtutis imaginativae quam alia « animalia, secundum quod competit eius rationalitati. Similiter etiam « actio hominis invenitur in *hoc* et in *illo* homine, secundum quod « competit principiis individualibus huius vel illius; ex quibus contin-« git, quod unus homo clarius alio intelligit.

« Et ideo oportet quod, si natura communis sit principium ali-« cuius operationis quae solum Patri convenit, oportet quod sit prin-« cipium secundum quod competit proprietati personali Patris. Et « propter hoc in ratione potentiae (*generativae*) includitur **quodam-« modo** (*i. e. secundario et connotative*) Paternitas etiam quantum « ad id quod est generationis principium » (Q. et art. cit. *De Pot.*, o). Aliis verbis divina « essentia secundum quod est ipsa Paternitas, « est principium huius actus qui est generare, non sicut (*quod*) « agens, sed sicut quo agitur : unde principium generationis est es-« sentiale sub ratione relationis. Unde est quasi medium inter essen-« tiale et personale : ex parte enim illa qua potentia, quae est me-« dia inter essentiam et operationem, radicatur in essentia, est ab-« solutum; ex parte autem, qua coniungitur operationi, est relativum» (I. *Sent.* Dist. VII, Q. I, art. 2, o), quoniam operatio est actio di-cens ordinem ad suum terminum.

810. **Scholium I.**m Exinde apparet, qualiter natura divina in Deo Patre sit foecunda Filii, dum in Deo Filio non sit foecunda al-terius Filii. Etenim « natura communis in unoquoque operatur secun-« dum conditionem ipsius : unde anima sensibilis habet in diversis « animalibus diversas operationes, et etiam (*has*) in diversis organis « sentiendi. Et hoc ideo est, quia natura communis determinatur et « contrahitur in unoquoque secundum proprietates inventas in illo. « Divina autem natura (*quoniam non est aliquid* **potentialiter** *passi-« vum,* **proprie**) non contrahitur neque determinatur per proprietates « suppositorum : tamen natura divina in Patre est proprietas Pater-« nitatis, et in Filio est proprietas Filii... Et ideo in Patre est prin-« cipium operationis secundum proprietatem Patris, et in Filio se-« cundum proprietatem Filii. Unde eadem operatio est et naturae

« communis, et propriae formae ipsius Patris » (I. *Sent.*, loc. cit. ad 3.m); videlicet « ratione relationis implicitae potentia generandi non « est communis (*pluribus divinis Personis*) sed propria » (Q. et art. cit. *De Pot.*, ad 4.m) unius Dei Patris.

811. **Corollarium III.m** Unde in Deo Patre haec tria, videlicet *Essentia, Potentia Generativa* et *Generatio* differunt quantum ad modum significandi; quoniam Essentia divina, ut sic, non denotat *principium proximum* sed **radicale** alicuius operationis divinae; Potentia generativa denotat essentiam divinam connotantem Paternitatem ac uti principium proximum a quo fluit productio sive emanatio Filii Dei; Generatio vero, *active* accepta, est Paternitas prouti dicit habitudinem ad Filium seu quatenus exprimit principium *a quo* Filius (Cfr. art. 1 h. q. ad 2.m).

812. **Scholium II.m** Diximus potentiam Generativam in Deo esse identicam realiter cum Generatione (Cfr. n. 796). « Sed est ad- « vertendum quod, quamvis potentia Generativa formaliter et princi- « paliter importat relationem (*Paternitatis*) eo quod significatur per « modum actionis: ratio vero formalis (*i. e. essentia*) actionis (*secun- « dum quod ponitur* **actio** *in divinis*) consistit in habitudine et rela- « tione; ita quod secluso motu ab actione, nihil consideratur in illa « nisi habitudo quaedam et ordo, ut supra (*art. 1 h. q. ad 2.m*) dice- « bat S. Thomas. Absolutum vero identice et quasi materialiter im- « portatur per Generationem » (Bannez, *Com.* in h. a.).

Art. VI. Utrum Actus Notionalis ad plures Personas terminari possit.

813. Actus Notionalis in tractatu S.mae Trinitatis significat operationem divinam exprimentem seu designantem ordinem originis unius divinae Personae ab alia a qua procedit (Cfr. nn. 750, *A* et seqq.). Qui actus notionales sunt **tantum** *duo,* videlicet *Generare* vel Generari et *Spirare* seu Spirari (Cfr. 711-712). Unde determinata exsistentia et multiplici principio horum actuum (Cfr. n. 747), considerare nunc oportet terminum uniusque talium actuum (Cfr. n. 748, γ).

814. Ad cuius rei notitiam recolendum est, quod philosophi so-

lent in qualibet productione duos terminos, videlicet terminum **qui** ac terminum **quo,** distinguere. Me explico.

α) Terminus productionis **ut quod** est ipsa *tota res* quae producitur : e contra

β) Terminus productionis **ut quo** est *elementum* illud quod per productionem a producente communicatur ipsi effectui.

Ex. gr. in generatione Petri *persona eius* est terminus productionis eius **ut quod;** dum *natura humana* Petri est terminus productionis **ut quo** (Cfr. Goudin, *Philosophiae* etc., Phys. P. III., Disp. unica, Q. I, art. 2; et Signoriello *Lexic. Perioat.* v. **Quo-Quod,** § 2.°).

815. Atqui in productione *univoca* id quod communicatur termino productionis sive emanationis, est forma seu *natura qua* agens agit. Ergo, quia processiones divinae, seu actus notionales, sunt non solum in linea *productionis univocae* sed etiam in linea productionis per *identitatem naturae,* propterea

α) Terminus **quo** horum actuum est *natura divina,* quae ab *una* Persona divina communicatur *alteri* divinae Personae.

β) Terminus vero **qui** sunt *divinae Personae* Filii ac Spiritus Sancti, quae per illos actus *originem trahunt.*

816. Ut autem ex titulo articuli apparet, fit hic quaestio non de termino **Quo** actuum notionalium, sed de termino **Qui** seu de *Personis* quae per illos actus procedunt.

817. Et adverte diligenter circa eumdem titulum, quod non quaeritur hic *An Personae divinae possint esse plures quam tres?* Hoc namque discussum fuit supra Q. XXX, art. 2. Sed quod vertitur sub dubio est huiusmodi :

An in divinis possint inveniri **plures** *Filii* **solo numero** *distincti, vel* **plures** *Spiritus Sancti* **solo numero** *distincti?* (Cfr. Caiet. *Com.* in h. o).

818. « Dupliciter autem, prosequitur Caietanus loc. cit., imagina« ri possumus talem pluralitatem.

« **Primo,** ut sint plures Filii, quorum neuter sit Pater aut Spiri« tus (*Sanctus*).

« **Secundo,** ut sint plures Filii (*ita*) ut etiam Spiritus Sanctus sit « Filius **alia** Filiatione.

« Et similiter potest distingui de duobus Spiritibus-Sanctis, scilicet « aut ut neuter sit Filius, aut ut etiam Filius sit Spiritus Sanctus

« **alia** numero Spiratione Passiva. Utroque enim modo essent plures « Filii et plures Spiritus Sancti : et uno modo, essent plures Perso- « nae, quam tres ; alio vero modo, non. Propter quod, si subtiliter « consideretur quaestio ista, stat cum trinitate Personarum etc. ».

819. Pro solutione praesentis quaestionis praenota

1.° quod *Singularitas* rei, videlicet ratio individualis **propria** alicuius rei, est **omnino unica** et **immultiplicabilis** in plura numero: utputa Socrateitas, quae adest in Socrate, non potest multiplicari numerice. Equidem ponamus talem singularitatem posse multiplicari numerice, et tunc illud iam esset *aliquid* pluribus *commune* seu desineret esse *singulare* (Cfr. Vol. I, n. 556, 4.°, *A*) : quod est contradictorium. — Iamvero contemplando Deum Patrem, Paternitas eius est **tota ratio** singularitatis seu individualitatis Ipsius, quia quantum ad *essentiam* et *attributa eius absoluta* Deus Pater non distinguitur realiter a duabus aliis divinis Personis. — Et ideo

α) *Paternitas,* exsistens in Deo Patre, est **omnino unica** et **numerice** *immultiplicabilis*. — Parique iure

β) *Filiatio,* exsistens in Deo Filio, est **omnino unica** et **numerice** *immultiplicabilis :* atque

γ) *Processio,* exsistens in Spiritu Sancto, est **omnino unica et numerice** *immultiplicabilis* (Cfr. hic, o).

2.° nota ex Aristotele (Lib. III. *Phys.*, text. 32, sive cap. 4) quod **in perpetuis,** praecipue divinis, quum nihil in *fieri* possit inveniri, idem sunt *posse* et *esse;* et similiter *non posse* aequiparatur ad *non esse*. Unde **sufficit** ostendere quod in divinis *non sit* nisi **unus numero** *Filius,* et **unus numero** *Deus Pater,* et **unus numero** *Spiritus Sanctus,* ut probatum simul maneat *non posse* in Deo esse **plures numero** Filios, nec **plures numero** *Patres,* nec **plures numero** *Spiritus Sanctos*.

3.° Praeterea, sicut ex eo quod Deus est omnino immutabilis (Q. IX, art. 1, o), sequitur quod omnis perfectio, Deo possibilis, actualiter sit in Ipso; ita quoque ex eo quod singulae Personae Trinitatis sint perfectissimae et omnino immutabiles in propria Personalitate, sequitur, quod *tota* Deo possibilis Paternitas est Paternitas exsistens realiter in Deo Patre : et similiter *tota* Deo possibilis Filiatio est Filiatio exsistens realiter in Dei Filio; et *tota* Deo possibilis Processio est Processio exsistens realiter in Spiritu Sancto.

4.° Quod, si in Dei Filio adsit actualiter **tota ratio** Filiationis

seu **totum** id quod Dei Filius **potest habere** a Deo Patre per Generationem, sequitur evidenter, quod *communicatio* per vim Generativam, secundum quam communicationem Dei Filius processit a Deo Patre, fuit **perfectissima.** Et similiter **perfectissima** censenda est *communicatio* per energiam Spirativam secundum quam intime in Deo processit Spiritus Sanctus.

820. Noster P. Capponi (*Append.* in h. a.) refert ex *Directorio Inquisitionis,* P. II, q. 9 tamquam adversam doctrinae praesentis articuli « haeresim Raymundi Lulli dicentis, quod Deus Pater est mul- « tiplicabilis, et Deus Filius consimiliter ». Ut ut sit de veritate huius asserti, Angelicus sentit ut sequitur

Conclusio. *In divinis non potest esse nisi* **unus numero** *Dei Filius, item* **unus numero** *Spiritus Sanctus, sicut est* **unus numero** *Deus Pater.*

Nota. Conclusio ad Fidem pertinet (Cfr. hic *Sed Cont.*).

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura* ubi expresse nominantur **unus numero** Dei Filius, item **unus numero** Spiritus Sanctus, sicut et **unus numero** Deus Pater. Etenim Matth. XXVIII, 19 legimus Christum ad Apostolos dixisse: «Euntes... docete omnes gentes baptizantes eos « in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Et similiter I. Ioan. V, 7 legitur « **Tres** sunt, qui testimonium dant in coelo, *Pater, Ver-* « *bum* et *Spiritus Sanctus;* et **hi tres unum** sunt » in essentia scilicet. — Ex his auctoritatibus fit argumentum. In divinis idem est *esse* et *possibile esse* (Cfr. n. praec., § 2.°). Atqui in divinis non est nisi **unus** tantum **numero** Dei Filius, item **unus numero** Spiritus Sanctus, sicut et **unus numero** Deus Pater; sicut ex auctoritatibus inductis constat. Ergo in divinis non potest esse nisi **unus numero** Dei Filius, **unus numero** Spiritus Sanctus, sicut et **unus numero** est Deus Pater.

2.° *Ex Traditione* idem deducitur. *A*) Equidem symbolum, quod vulgo S. Athanasio tribuitur, confitetur dicendo: « **Unus** Pater, *non* « *tres* Patres; **unus** Filius, *non tres* Filii; **unus** Spiritus Sanctus, « *non tres* Spiritus Sancti » (*Enchir.,* n. 39).

B) Item Concil. Lateranense IV, cap. *Damnamus,* dogmatice definivit, quod in Deo « *solummodo* **Trinitas** est, non **Quaternitas** » (*Enchir.* n. 432).

3.° *Rationibus S. Thomae.* α) Sicut dictum est (Cfr. n. praec, § 2.°), « in divinis non differt *esse* et *posse.* Si igitur in divinis *pos-*

« *sent esse* plures Filii, *esent* plures Filii ; et ita *essent plures* Per- « sonae quam *tres* in divinis. Quod est haereticum» (Hic *Sed Cont.*). — Ergo in divinis non potest esse nisi **unus numero** Dei Filius, et eadem ratione non potest in divinis esse nisi **unus numero** Spiritus Sanctus, et **unus numero** Deus Pater.

β) Et de eadem conclusione quadruplex alia ratio assignari potest.

A) « **Prima** quidem ex parte relationum, quibus solum Personae « (*in Deo — Cfr. Q. XL, artt. 2 et 3*) distinguuntur. Cum enim Per- « sonae divinae sint ipsae Relationes subsistentes (*Cfr. Q. XXIX,* « *art. 4*), non possunt esse plures (*numero*) Patres, vel plures (*nu-* « *mero*) Filii in divinis, nisi essent (*in Deo*) plures (*numero*) Paterni- « tates et plures (*numero*) Filiationes. — Quod quidem esse non pos- « set nisi (*illae plures Paternitates aut illae plures Filiationes distin-* « *guerentur invicem*) secundum materialem rerum distinctionem. For- « mae enim unius speciei non multiplicantur (*numero*) nisi secundum « (*earum*) materiam : quae in divinis non est (*Cfr. Q. III, artt. 1 et* « *2*). — Unde in divinis non potest esse nisi una tantum Filiatio sub- « sistens; sicut et albedo (*si esset per se subsistens*) non posset esse « nisi una » (Hic, o) numero.

B) **Secunda** ratio proponitur ita. In divinis Persona Filii Dei est ea quae intra Deum procedit per modum *Verbi;* et similiter Persona Spiritus Sancti est illa quae intra Deum procedit per modum *Amoris.* Unde in divinis, seu intime intra Deum, totuplex numero potest esse *Persona Filii Dei,* quotuplex numero in Deo potest inveniri *Verbum Mentale ;* et similiter in divinis, seu intime intra Deum, totuplex numero potest inveniri *Persona Spiritus Sancti,* quotuplex numero in Deo potest inveniri *Amor Dei.*

Atqui intime intra Deum non potest inveniri nisi **unum numero** Verbum Mentale, quia Deus omnia cognoscit unico simplici actu sui intellectus. Et similiter intime intra Deum non potest inveniri nisi **unus numero** Spiritus Sanctus, quia Deus omnia vult et amat uno et simplici actu suae voluntatis.

Ergo intime intra Deum non potest esse nisi **una numero** Persona procedens per modum **Verbi,** et **una numero** Persona procedens per modum **Amoris.**

Sed Persona quae in divinis procedit per modum **Verbi,** nominatur *Dei Filius :* et Persona, quae in divinis procedit per modum **Amoris,** nominatur *Spiritus Sanctus.*

Ergo intra Deum non potest esse, nisi **unus numero** Dei Filius et **unus numero** Spiritus Sanctus. Q. E. D. (Cfr. hic, o).

C) « **Tertia** vero (*ratio*) sumitur ex modo precedendi (*Personarum Verbi et Spiritus Sancti*) : quia Personae ipsae procedunt **naturaliter** (*intra Deum*), ut dictum est art. 2 h, q. ad 3.m et 4.m — « **Natura** autem (*qua talis*) determinatur ad **unum** » (Hic, o) terminum. — Et ideo Persona, intra Deum procedens **naturaliter** per modum *Filii Dei* seu Verbi Dei, non potest esse nisi **una numero** : et similiter Persona, intra Deum procedens **uaturaliter** per modum *Spiritus Sancti*, non potest esse nisi **una numero.** Q. E. D. (Cfr. hic, o).

D) **Quarta** ratio. Illud, quod continet totam perfectionem alicuius naturae, non potest esse nisi **unicum numero** seu immultiplicabile ; sicut dictum est Q. XI, art. 3 quum de Dei unitate ageretur. — Atqui in divinis Filius Dei continet *totam perfectionem* divinae Filiationis, si namque eam non contineret, non esset **perfectus** *Dei Filius,* neque verus Deus. — Et similiter Spiritus Sanctus continet *totam perfectionem* Spirationis divinae, quia si eam non contineret, non esset amplius **perfectus** *Spiritus Sanctus* neque verus Deus, sicut de Filio Dei dictum est. — Ergo in divinis non potest esse nisi **unus numero** Dei Filius et **unus numero** Spiritus Sanctus, et eadem ratione non est nisi **unus numero** Deus Pater. Q. E. D. (Cfr. hic, o).

— Legesis Caietanum et Nazarium, *Com.* in h. a. ; item Ferrariensem, Lib. IV *Cont. Gent.* cap. 13 ; nec non Capreolum, Lib. I *Sent.* Dist. VII, Q, II, art. 2 contra obiect. Scoti et Aureoli.

821. **Obiic. 1.°** *Dei Filius* (*et idem dic de Spiritu Sancto*) *aut* **habet** *potentiam generandi quae est in Deo Patre, aut* **non.** *Si primum, tunc* **poterit** *generare* **alium** *Filium ac propterea* **possunt esse** *plures* **numero** *Filii in divinis. Si alterum vero assumitur, tunc Dei Filius non erit* ὁμοούσιος *Deo Patri, siquidem, prout art. praec. vidimus, in Deo Patre* **potentia generandi** *est* **eius essentia.**

R. Transeat antecedens. — Dist. **primum** *consequens,* videlicet : Si Dei Filius habet **eodem modo** potentiam generandi quae est in Deo Patre, tunc poterit etc. *Concedo.* Si Dei Filius habet **diverso modo** potentiam generandi quae est in Deo Patre, tunc poterit etc. : *Nego.* — Dist. **alterum** *consequens,* videlicet : Si Dei Filius **nullo modo** habet potentiam generandi quae est in Deo Patre, tunc non

erit etc. : *Concedo*. Si Dei Filius **non eodem modo** haberet potentiam generandi quae est in Deo Patre, tunc non erit etc. . *Nego*.

A) Respondeo dicendum hanc difficultatem diverso modo a theologis resolvi. Etenim

α) « quidam (*simpliciter*) dixerunt quod (*Dei*) Filius potest gene« rare alium Filium, sed ista potentia numquam reducetur in actum... « Sed hoc nihil est. Quia in perpetuis secundum Philosophum (III. « *Phys.*, cap. 4) non differt *esse* et *posse*, et multo minus in Divi« nis. Unde quidquid *non est* in Deo, *non potest esse* ibi; alias Deus « esset mutabilis

β) « Unde dicendum simpliciter quod (*Dei*) Filius non potest ge« nerare (*alium*) Filium. — Et ratio huius est quia ille Filius in nullo « distingueretur ab alio (*Filio*). Cum enim Personae Divinae non di« stinguantur secundum divisionem materiae, quia non sunt materia« les, non remanet ibi alia distinctio nisi per relationes originis. Im« possibile est autem quod *una* relatio originis, sicut *Filiatio*, multi« plicetur secundum *numerum*, quia talis multiplicatio esset *materia« lis*. Unde in Deo non potest esse **nisi** *una Filiatio* et una Filiatio« ne non constituitur **nisi** *unus Filius*. Et ita in divinis non possnnt « esse **plures** *Filii* nec **plures** *Patres* (*et similiter nec plures Spiri« tus Sancti*). Et hoc pertinet ad perfectionem Filii, quia nihil de Fi« liatione est extra Ipsum in divinis : unde est *perfectus Filius* » (I. *Sent.* Dist. VII, Q. II, art. 2, q. I, o).

B) Ad illud vero quod ad *potentiam generandi* spectat « respon« deo dicendum, quod *potentia generandi* dicitur tripliciter secundum « quod *generandi* est gerundium α) verbi *impersonalis*, vel β) verbi « *personalis* **activi**, vel γ) verbi *personalis* **passivi.**

α) « Si sit gerundium verbi *impersonalis*, tunc potentia generan« di est potentia *qua ab aliquo* generatur. Et ita *est in Filio* poten« tia generandi, idest *qua a Patre generatur.*

β) « Si sit gerundium verbi *personalis* **activi,** tunc potentia ge« nerandi dicitur potentia *ut generet*. Et sic non est in Filio » (*sicut « paulo ante* § *A vidimus et* § *seq. dicemus*).

γ) « Si sit gerundium verbi *personalis* **passivi,** tunc potentia « generandi dicitur potentia *ut generetur*. Et ita est in Filio, quia « eadem potentia qnae in Patre est *ut generet*, est in Filio *ut gene« retur.*

« Et ista distinctio fundatur super id quod dictum est in corp.

art... praec., quod potentia generandi est essentia divina **a qua** « prout in Patre est Paternitas, est **Generatio Activa,** et prout in Filio est Filiatio, est **Generatio Passiva** » (I. *Sent.* Dist. et Q. cit. art. 1, o — Cfr. hic ad 1m).

C) Nec inde aliqua inaequalitas provenit inter Patrem atque Dei Filium. Etenim « potentia generandi ex parte qua **coniungitur actui** « (*Generationis*), includit in se Paternitatem, et secundum hoc non « convenit (*neque convenire potest Dei*) Filio. Sed ex parte illa qua « **radicatur in essentia,** non includit (*actum Generationis, nec per* « *consequens Paternitatem*); et ita convenit Filio (*Dei potentia gene-* « *randi*) secundum quod **generandi** est **gerundium** verbi *imperso-* « *nalis,* ut sit sensus: *Potentia Generandi est in Filio,* idest *essentia* « *divina per quam* (*radicaliter*) *fit* a Patre *generatio* » (I. *Sent.* Dist. VII, Q. II, art. I ad 1.m). Cfr. Q. seq. art. 4 ad 2.m; et art. 6 ad 3.m).

822. **Obiic. 2.°** *Potentia Generativa virtuosior est in* **Deo Patre,** *quam in* **Patre terreno.** *Sed* **Pater terrenus** *potest* **plures Filios** *generare. Ergo* **a fortiori Deus Pater** *potest* **plures Filios** *generare: et sic possunt* **plures Filii** *esse in divinis.*

R. Conc. mai. et min. Nego consequens *cum sua paritate;* et dico hanc obiectionem procedere ex fallacia *non causae* pro *causa.* Sicut enim visum est in conclusione, « potest... ratio specialis as- « signari, quare (*Deus*) Pater **tantum unum** Filium gignere possit. « Natura enim ad unum determinatur: unde cum (*Deus*) Pater natura « generet Filium (*Cfr. art. 2 h. q.*), non potest esse nisi **unus** Filius « a Patre Genitus. — Nec potest dici quod sint plures *numero* (*Dei* « *Filii*) in **eadem specie** exsistentes, sicut apud nos accidit, cum ibi « non sit materia quae est principium distinctionis secundum nume- « rum in eadem specie » (Q. II. *De Pot.* inter *QQ. Dispp.* art. 4, o). Videlicet « immaterialitas et perfectio divina requirit, ut non possint « esse *plures Filii* in divinis; sicut dictum est in corp. art. Unde « quod non sint plures Filii, non est ex impotentia (*Dei*) Patris ad « generandum » (Hic ad 3.m) plures Filios, sed ex *completa* et *im- multiplicabili* Filiatione quam Dei Filius habet (Cfr. n. 819, 1.° β).

823. **Scholium.** Admonet Angelicus (I. *Sent.,* Dist. XVI, Q. I, art. 2, o), quod « in missione invisibili Spiritus Sancti ex plenitudine « divini Amoris redundat Gratia in mentem, et per illum effectum « gratiae accipitur cognitio illius Personae divinae experimentalis ab

« eo cui fit missio... ». Unde et tu, lector, si aves plenius Dei unius-trini mysteria penetrare, dilige Patrem et Filium et Spiritum Sanctum, quoniam « qui manet in charitate, in Deo manet et Deus in « eo » (I. Ioan. IV, 16). Et « ubi Deus magister est, cito discitur « quod docetur » (S. Leo M. Serm. I. *De Pentec.*). Sublimius autem in contemplando ascendes, si humili devotione sequutus fueris Christum qui de seipso ait : « Ego sum lux mundi : qui sequitur me non « ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae » (Ioan. VIII, 12). Stude igitur vitam tuam vitae Illius conformare, « quoniam ex Ipso, et « per Ipsum, et in Ipso sunt omnia, Ipsi gloria in saecula. Amen » (Rom. XI, 36).

— Tempus nobis defuit singulos seorsim interpretandi et exponendi articulos Q. XLII et Q. XLIII huius tractatus de SS. Trinitate : unde cogimur aliquid ex illis compendiose exponere ad iuvenum instructionem, lectorem benevole remittendo ad ea quae docte Caietanus, Ferrariensis, Nazarius, Suarez, Sylvius et alii multi in praedictas quaestiones conscripsere.

QUAESTIO XLII

DE AEQUALITATE, ET SIMILITUDINE DIVINARUM PERSONARUM AD INVICEM

824. Sicut art. praec. monuimus, non singillatim et distincte articulos huius quaestionis prosequemur, sed quaedam tantum ex his quae in quaestione discutiuntur, notabimus. Unde, primo sit :

Q. *An tres Divinae Personae sint invicem coaequales?*

Omnes haeretici qui retinent *vel* Dei Filium *vel* Spiritum Sanctum *vel* utramque S.mae Trinitatis Personam esse *creaturas quasdam,* docent consequenter, quod *perfecta aequalitas* non exsistat neque exsistere possit inter tres divinas Personas.

825. Ad remotionem huius haereseos sequentia praenotamus.

A) **Primo.** Quantitas sumitur quandoque *proprie* et quandoque *improprie* (Cfr. art 1 h. q., o et in resp. ad obiect.).

α) Quantitas *proprie* dicta, quae solet etiam vocari quantitas *molis* seu *dimensionis,* est *geometrica* corporis physici *extensio.*

β) Quantitas *improprie* dicta, seu quantitas *virtutis* vel *perfectionis,* est **gradus perfectionis** *exsistens in re aliqua,* seu synthesis perfectionum partialium exsistentium in aliquo subiecto. Hoc modo utimur nomine *quantitatis,* quando dicimus: **Magna** est huius viri *Scientia* vel *Fortitudo,* etc.

Atqui *extensio geometrica* in **solis** corporibus physicis invenitur, dum gradus perfectionis invenitur etiam in rebus spiritualibus. Et ideo

γ) Quantitas *proprie* dicta non invenitur nisi in corporibus physicis, dum quantitas *virtutis* seu *perfectionis* invenitur etiam in rebus spiritualibus, secundum quod scilicet istae res habent diversos gradus perfectionis.

B) **Secundo** praenotamus, quod *Aequalitas* est *convenientia plurium rerum in* **eadem** *quantitatis mensura:* quando enim mensura quantitatis *unius* rei est **identica** cum mensura quantitatis *alterius* rei, tunc illae *duae* res dicuntur *aequales.* — Sed ostendimus quod quantitas potest esse aut *molis* aut *perfectionis.* — Unde et similiter **Aequalitas** distinguitur in aequalitatem *molis* et aequalitatem *virtutis* seu *perfectionis.*

α) Aequalitas *molis* sive *geometrica* potest definiri: « *convenien-* « *tia plurium* **extensionum geometricarum** *in eadem mensura* ». Ita, ex. gr., duo radii *unius* circuli dicuntur **geometrice** inter se *aequales.*

Ex qua definitione apparet evidenter, quod *aequalitas* ista *geometrica* nequeat convenire *nisi* rebus habentibus *extensionem geometricam.*

β) Aequalitas *virtutis* seu *perfectionis* definiri potest: « *conve-* « *nientia plurium rerum in* **eodem gradu** *perfectionis* seu *nobilita-* « *tis* ». — Ita, ex. gr., si duo homines possiderent *Scintiam* in *eodem gradu perfectionis,* haberent *aequalitatem* **perfectionis** quantum ad *Scientiam.*

Exinde ex hac definitione apparet, quod *aequalitas* ista *perfectionis* possit habere locum *etiam* in rebus *pure spiritualibus.* — His praenotatis.

826. **Conclusio I.** *Tres Divinae Personae non sunt invicem aequales per* **aequalitatem geometricam.**

Nota. Ista veritas ab omnibus, praeterquam a materialistis, retinetur.

Prob. *Ratione theologica.* Nam aequalitas *geometrica* non potest habere locum nisi inter res ornatas *extensione geometrica* (Cfr. n. praec., § *B*, α).

Atqui divinae Personae, utpote essentialiter Deus, non habent neque habere possunt *extensionem geometricam* (Q. III, artt. 1-2).

Ergo divinae Personae non sunt, nec possunt esse, invicem **aequales** per *aequalitatem geometricam* (Cfr. art. 1 h. q., o et ad 1.m).

827. **Conclusio II.** *Tres Divinae Personae habent invicem* **aequalitatem perfectionis.**

Nota. Est assertio dogmatica.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Etenim plures Personae habent inter se aequalitatem perfectionis; si, exceptis proprietatibus *stricte* personalibus, quaeque propterea sunt *intransitivae,* **una** talium personarum possidet **totum** quod **altera** possidet. Patet.

Atqui secundum S. Scripturam, exceptis relationibus *stricte* personalibus mutuo oppositis quaeque sunt *intransitivae,* α) Dei Filius possidet **totum quod** habet Deus Pater, β) et similiter Deus Spiritus Sanctus possidet **totum quod** habet Deus Pater ac Deus Filius. Probabo.

Ergo tres Divinae Personae habent invicem aequalitatem perfectionis. — Illatio constat.

I.ª pars min. Dei Filius possidet **totum quod** habet Deus Pater. Prob. Revera Christus, tamquam Dei Filius loquens, ait: «**Om-**«**nia,** quaecumque habet (*Deus*) **Pater, Mea** sunt» (Ioan. XVI, 15). Et rursum Ipsemet, Deum Patrem rogans, dicit: «Et **Mea omnia,** «**Tua** sunt: et **Tua, Mea** sunt» (Ibid. XVII, 10). — Ergo Dei Filius habet **totum id quod** possidet Deus Pater.

II.ª pars min. Deus Spiritus Sanctus possidet **totum id quod** habet Deus Pater ac Deus Filius. Prob. Etenim «quorum est eadem «operatio, oportet esse eamdem naturam. Est autem eadem opera-«tio Filii et Spiritus Sancti. Quod enim Christus (*i. e Dei Filius*) in «Sanctis loquatur, Apostolus ostendit dicens: *An experimentum quae-«ritis eius qui in me loquitur Christus?* (II. Cor. XIII, 3). Hoc etiam «opus Spiritus Sancti esse manifeste apparet; dicitur enim: *Non «vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in «vobis* (Matth. X, 20). — Est ergo eadem natura Filii et Spiritus «Sancti; et per consequens Patris, quum ostensum sit Patren et

« Filium unam naturam habere » (Lib. IV *Cont. Gent.*, cap. 17). Quia ergo *eadem* est *natura* Patris, Filii et Spiritus Sancti, Deus Spiritus Sanctus possidet **totum quod** habet Deus Pater et Deus Filius. Q. E. D. (Cfr. nn. 43-47).

2.° *Ex auctoritate Ecclesiae Catholicae* idem habetur. Etenim omnia quae Sancti Patres in Spiritu Sancto congregati credunt et profitentur, sunt veritates Catholicae Fidei: constat. — Atqui tam in Symbolo pseudo Athanasii quam in Concil. Later. IV, cap. *Firmiter* et in Concil. Florentino *Decreto pro Iacobitis*, Patres credunt et profitentur « *Tres Personas S.mae Trinitatis esse invicem coaequales* » (*Enchir.* nn. 428 et 703). — Ergo veritas Catholicae Fidei est tres Divinas Personas esse invicem coaequales (Cfr. nn. 43 et 47).

Modo ista aequalitas inter divinas Personas non potest esse aequalitas geometrica (Cfr. n. praec.).

Necesse ergo est confiteri quod tres divinae Personae habeant invicem *aequalitatem perfectionis*.

3.° *Ratione theologica*. Personae, quae habent naturam eodem gradu perfectionis ornatam, sunt invicem aequales secundum aequalitatem perfectionis. Patet. — Atqui tres Divinae Personae habent **eamdem** prorsus **unam** *essentiam* seu *naturam divinam:* quia, exceptis relationibus *mutuo* oppositis, **omnia** sunt **communia** tribus Divinis Personis (*Enchir.* n. 703). — Ergo tres Divinae Personae habent invicem *aequalitatem perfectionis* (Cfr. hic. art. 1 h. q., o).

828. **Obiic.** *Dei Filio* **deest** *perfectio Divinae Paternitatis, et similiter Spiritui Sancto* **deest** *tum perfectio Divinae Paternitatis, tum perfectio Divinae Filiationis. Ergo tres Divinae non sunt* **coaequales** *in quantitate* **virtutis** *seu* **perfectionis.**

R. Nego *antecedens* et eius suppositum. Nego *consequens,* et dico quod nulli rei potest dici, quod **desit** id quod tali rei **repugnat.** Non enim dicere possumus, quod Petro **desit** Asinitas, quia haec Petro repugnat.

Atqui *Dei Filio* repugnat habere *Divinam Paternitatem,* quia in Deo nonnisi **unica numero** Paternitas et similiter **unica numero** Filiatio Divina inveniri possunt; eaeque relationes, utpote **relative oppositae,** non possunt **coexsistere** in **una numero** Persona.

Et ideo non potest dici, quod Dei Filio **desit** Paternitas Divina. — Et simili modo ostenditur quod non possit veraciter dici, quod

Spiritui Sancto **desit** perfectio Divinae Paternitatis et perfectio Divinae Filiationis.

Consequenter retinendum est tamquam omnino verum, quod **tres** Divinae Personae sunt invicem **coaequales** in quantitate *perfectionis absolutae.*

829. **Corollarium.** Hinc quia *perfectio absoluta* est tum *essentia,* tum *aeternitas,* tum *omnipotentia*, tum *scientia* etc., propterea tres divinae Personae sunt invicem *aequaliter* **consubstantiales, infinitae, coaeternae, coomnipotentes, omnisciae** etc. Patet.

830. **Scholium.** Ex eo quod **unica numero** *natura divina* cum omnibus suis *attributis absolutis* sit **aequaliter simul** in Deo Patre, in Deo Filio ac in Deo Spiritu Sancto, apparet evidenter, quod exceptis tribus Relationibus Personalibus, *Paternitate* scilicet, *Filiatione* et *Processione* (quaeque Relationes sunt **intransitivae** propter *oppositionem relativam* quam ad invicem habent) **totum id quod** *una* trium Personarum habet invenitur *quoque* in *unaqualibet* aliarum duarum Divinarum Personarum. — Et propter hoc solet dici a theologis quod in divinis vigeat **circuminsessio** seu *mutua coexsistentia unius divinae Personae in duabus aliis.* Hanc divinarum Personarum **circuminsessionem** expressit Christus, *tum* quando loquens ad Philippum Apostolum, ait: « Non creditis quia **Ego** in **Patre,** et **Pater** in « **Me** est? » (Ioan. XIV, 10); *tum* quando ait: « **Omnia** quaecumque « habet **Pater, Mea** sunt » (Ibid. XVI, 15); *tum* denique quando ait ad Deum Patrem: « Et **mea omnia, Tua** sunt; et **Tua, Mea** sunt » (Ibid. XVII, 10). De hac veritate lege attente doctrinam quam Angelicus exponit in art. 5 h. q. — *Circuminsessio* a Graecis nominatur Περιχώρησις (Cfr. S. Ioan. Damasc. *De Fide Orthod.* Lib. III, cap. 5).

QUAESTIO XLIII

DE MISSIONE DIVINARUM PERSONARUM

831. Hanc quoque quaestionem per summa capita attingemus, sicut circa praecedentem actum est, eo quod defuit tempus singulos articulos interpretandi. Unde statim proponitur.

Q. Quid sub nomine *Missionis* intelligitur in philosophia?

Ad cuius quaestionis resolutionem nota, quod « **Missio,** univer-« saliter accepta, potest definiri : « **Motio** alicuius rei quae, proce-« dens ab alio, **incipit exsistere** novo modo in creatura in qua « prius non erat ». Ita ex. gr. *motio sagittae in parietem et per quam motionem sagitta, ab arcu sagittarii procedens,* **incipit exsistere** *in pariete in qua* **antea non erat,** est *missio sagittae in parietem.*

832. **Corollarium I.m** Ex praecedenti notione infertur, quod *res aliqua* ut possit *ab alio mitti,* debet **simultanee** has conditiones habere, videlicet : 1.° quod res illa *distinguatur realiter* a mittente ; nemo quippe mittit seipsum ; 2.° quod ea res *aliquo modo* procedat a mittente ; et 3.° quod talis res possit habere **novum modum essendi** in termino in quem mitteretur. Necessitas harum conditionum constat ex definitione superius posita.

833. Missio unius rei ab alio, si consideretur ex parte *motionis* per quam fit, potest contingere :

primo quidem per motionem *violentam ;* quo modo sagitta a sagittante mittitur in parietem ;

secundo per motionem *imperii,* quo scilicet modo servus a domino mittitur ad negotia peragenda :

tertio modo per modum *consilii,* quo modo filius a matre mittitur ad scholam :

quarto demum modo per **liberam electionem** *personae missae* et cum **consensu** *personae mittentis,* **dummodo** persona, quae dicitur missa, **procedat** a mittente. Ita filius familias diceretur *mitti a sua matre* ad scholam, si ipse **sciens** quod mater sibi complacebit videndo eum ad scholam euntem, **libera sua voluntate** ad scholam vadat.

Atqui **una** divina Persona, quamvis procedat ab **altera,** ab hac altera non potest mitti

nec per *violentiam,*

neque per *imperium,*

neque per *consilium ;*

quia isti modi missionis sunt incomposibiles cum dignitate divinitatis **propriae** Personae Divinae, quae dicitur *missa.* Patet.

Attamen Persona Divina, ab alia procedens, potest per *liberam* suae voluntatis *electionem* **exequi** missionem aliquam *placitam* duabus aliis Divinis Personis. — Et ideo

834. « Missio Divinae Personae est **libera** processio unius Di-

« vinae Personae ab alia cum habitudine ad creaturam tamquam ter-« minum, in quo incipit esse novo quodam modo secundum quem « antea non erat » (Cfr. art. 1 h. q.).

835. **Corollarium II.m** « Missio igitur (*alicui*) Divinae Personae « convenire potest, secundum quod importat ex una parte *processio-« nem originis* a (*Persona Divina*) mittente, et secundum quod im-« portat ex alia parte *novum modum exsistendi* in alio » (Cfr. art. 1. h. q. o), videlicet in creatura ad quam Persona Divina fuit missa. — His praenotatis, statuitur

836. **Conclusio.** *Aliquibus Divinis Personis convenit* τὸ **mitti** *seu* **missio** *ad creaturas.*

Nota. Est doctrina Catholica.

Prob. 1.° *Ex S. Scriptura.* Convenit Deo opus, quod ab ipso Deo factum est. — Atqui ab ipso Deo facta est missio aliquarum Divinarum Personarum ad creaturas. — Ergo missio aliquarum Divinarum Personarum ad creaturas convenit eisdem Divinis Personis. — Veritas *propos. minoris* ostenditur ex sequentibus. Ioannes enim in Evangelio scribit : « **Misit** Deus **Filium Suum** in mundum » (Ioan. III, 17). Et Christus de seipso ait : « **Misit Me** vivens *Pater* » (Ibid. VI, 58), ac iterum « Solus non sum, sed **Ego** et qui **misit Me Pater** » (Ibid. VIII, 16). Ac iterum de Spiritu Sancto ibidem cap. XV, v. 26 Christus ait : « Quum autem venerit **Paracletus,** quem **Ego** « **mittam** vobis a Patre etc. » Ergo ab ipso Deo facta est missio quarumdam Divinarum Personarum.

2.° *Ratione theologica.* Missio Divinae Personae ad creaturas duo principaliter importat, videlicet: 1.° processionem **originis** illius Personae **ab alia,** et 2.° **novum modum exsistendi** talis Personae **in aliqua creatura** (Cfr. n. praec.).

Atqui **prima** conditio convenit evidenter *aliquibus* Divinis Personis, videlicet *Filio Dei* qui a Patre **procedit,** et *Spiritui Sancto* qui a Patre et Filio **procedit.** — Item **altera** conditio convenit eisdem Divinis Personis. Nam, licet divinae Personae exsistant **ubique** per *essentiam,* per *potentiam,* et per *praesentiam,* possunt tamen acquirere **novum** *modum exsistendi* in **aliqua** creatura : ita ex. gr. Dei Filius per incarnationem acquirit seu accipit **modum exsistendi hypostatice** in humana natura assumpta ; et similiter Spiritus Sanctus per specialem effusionem suorum Donorum in creatura rationali acquirit specialem **modum exsistendi in tali creatura.**

Ergo verissime aliquibus Divinis Personis convenit τὸ mitti seu missio ad creaturas. Q. E. D. (Cfr. art. 1. h. q.).

837. **Scholium.** In conclusione praecedenti dictum est, quod *Missio* ad creaturas convenit *aliquibus Divinis Personis* non autem **omnibus** tribus. Etenim quamvis *Missio* ad creaturas possit convenire tum Dei Filio tum Spiritui Sancto, non potest tamen proprie convenire Deo Patri. Revera *Missio* ad creaturas convenit proprie soli Divinae Personae quae ab alia per processionem originis procedit (Cfr. n. 835). Huiusmodi autem evidenter non est Deus Pater, qui a nullo procedit. Constat.

838. **Corollarium III.**m Dictum est quod Persona Divina dicitur mitti in aliquam creaturam, ex eo quod *incipit novo modo exsistere* in tali creatura. — Atqui hic *novus modus essendi,* secundum quem una Persona Divina potest incipere exsistere in aliqua creatura, non est aliud quam modus exsistendi per *Gratiae supernaturalis effusionem* in tali creatura: nam Deus tamquam autor naturae exsistit *modo generali* in omnibus et singulis creaturis. — Et ideo missio Divinae Personae ad creaturam aliquam contingit per hoc quod illa Divina Persona *modo speciali* effundat aliquod *speciale donum Gratiae supernaturalis* in tali creatura. Patet.

839. **Corollarium IV.**m Unumquodque **agens** *ubi* operatur, *ibidem* exsistit. Et ideo Persona Divina quoties in creatura aliqua intellectuali effundit speciale suae Gratiae donum, in eadem personaliter exsistit, non tamen semper hypostatice, nisi speciale illud Gratiae donum, in creatura effusum, sit hypostasis divina.

Et hic finem facimus toti Trinitatis tractatui, bene ominando ut et in me et in omnibus vobis tota Trinitas inhabitet tamquam in templo suae gloriae. Quod ut consequamur, via tuta est dilectio Christi; iuxta illud: « Qui diligit Me, diligetur a Patre Meo: et Ego diligam Eum, et manifestabo ei Meipsum » (Ioan. XIV, 21). Diligamus ergo omnes Christum Crucifixum, et Ipse erit noster ductor et doctor. Amen.

FINIS

NOTA EDITORIS. Procul dubio « defuit tempus » clarissimo Auctori ut singilatim hos ultimos articulos exponeret. Nam non multo post haec ferventissima verba quibus hunc tractatum claudit, diem supremum obiit, atque hanc temporalem vitam aerumnis plenam cum immortali eaque beatissima, uti opinamur, feliciter commutavit. Vivat semperquè gaudeat in sinu Sanctissimae Trinitatis!

Grates referimus R. Doctori Blasio Goñi, in Seminario Pampilonensi (Hispan.) Theologiae Professori, qui in textu originali perslustrando et in foliis impressis castigandis opem non minimam nobis tulit amanter.

INDEX SYNOPTICUS

RERUM QUAE HOC VOLUMINE EXPONUNTUR

(Numeri arabici sunt marginales)

A — Distinctio inter A et PER, n. 518; 519

Ábaelardus Petrus videtur Anomaeis favere, 14, *A*, ε; 16, *A* δ.

— Abaelardi error circa Trinitatis cognitionem, 336, *B.*

— negavit Spiritum Sanctum esse de substantia Patris, 777, *A.*

Ablativus — Nomen casus ablativi importat vel habitudinem causae *efficientis,* aut *finalis,* aut *formalis,* vel denominationem *subiecti* a sua *operatione* aut *termino operationis,* 562, 5.°

Absolutus — Quinam est terminus absolutus, 229, 1.°

Abstractio — Quid est abstractio, 721.

— Abstractio potest exerceri super quodvis ens *realiter* aut *virtualiter* multiplex, 721, α.

— Abstractio alia dicitur *realis,* alia *logica,* 722

— Abstractio *logica* alia est *totalis,* alia *formalis,* 723

— Differentia inter abstractionem *totalem* et *formalem,* 724

— Abstractio logica, tam *formalis* quam *totalis,* potest a nostro intellectu exerceri circa divinas Personas, 726

— Quorumdam Doctorum opiniones circa quaestionem «An in Deo remaneant plures numero hypostases, si per operationem nostri intellectus abstrahamus relationes a Personis divinis?» exponuntur et rejiciuntur, 728 et 729.

— Loquendo de abstractione *totali,* abstractis relationibus *Personalibus* a divinis Personis, *nullae* in Deo remanent hypostases, 730.

— Loquendo de abstractione *formali,* si a divinis Personis

abstrahamus relationes *non personales,* in Deo remanent adhuc *aliquae* hypostases, 731.

— Loquendo de abstractione *formali,* si a divinis Personis abstrahamus relationes *personales,* in Deo *nullae* remanent hypostases, 732.

— Vide : *Deus, Nomen, Terminus,* etc.

Acatholica — Propositio acatholica quaenam dicitur, 369, *b.*

Accidens — In qualibet categoria accidentis potest considerari α) notio eius quasi *generica,* β) et notio eius quasi *specifica,* 166

— Conditio ut realitas accidentalis sit numero pluralis, 620, 2.° et 621, β.

Actio — Quid sit *Actio,* 690.

— Terminus QUI, et terminus QUO actionis, quid sit, 814

Actus — Actus *notionalis* non est notio aliqua divina, 359.

— Quid est *actus notionalis,* 738, α; et 750, *A* e t*B,* β'.—Vide *Origo.*

— Reiicitur opinio dicentium : « Relationes reales in Deo esse, iuxta nostrum modum concipiendi, *posteriores* actibus notionalibus », 739.

— Relatio Paternitatis, considerata sub ratione AD *ut* AD, est, iuxta nostrum modum concipiendi, *posterior* quam hic actus notionalis « *Generatio* », 743

— Relatio Paternitatis, considerata sub ratione AD *ut connotat* IN, est, iuxta nostrum modum concipiendi, *prior* quam hic actus notionalis « *Generatio* », 744.

— Omnis actus notionalis potest exprimi *active* vel *passive,* 751.

— In Deo actus notionales sunt *Generare-Generari,* et *Spirare-Procedere,* 752

— In Deo actus notionales *manifestant* distinctionem inter divinas Personas, 753.

— Actus notionales attribuendi sunt aliquibus divinis Personis, 755

— Actus notionalis exprimit quamdam formalitatem relativam existentem in Persona divina, de qua dicitur, 756 et 757.

— Actus notionales sunt *identici realiter* cum relationibus *personalibus, differunt* tamen *virtualiter* ab eis, 758, *d*

— Actuum notionalium principium **quod** sunt divinae Personae, 762.

— Quaenam Persona est principium **quod** uniuscuiusque actus notionalis, 762, α — δ

— Terminus QUI et terminus QUO actuum notionalium qui sint, 815.

Ad — Notio Ad quid sit, vide *Relatio*

— *Ad aliquid* significat idem ac *Relatio* 141, β, 142, et 157.

— In relationibus notio AD potest considerari *vel* prout *connotat* τὸ IN eiusdem relationis, *vel reduplicative* prouti est AD, 714.

Adiaphora — Quaenam propositio nominatur adiaphora in Fide Christiana, 369, *C, c.*

Adiectivus — Adiectiva qualiter differunt a substantivis, 229, 3.° et 533.

— Differentia inter substantivum et adiectivum, 620, 1.°, α.

— Adiectivum *concretum* dicitur *pluraliter,* si vel *sola supposita* multiplicentur, 622, α.

— Vide : *Nomen.*

Aequalitas — quid et quotuplex sit, 825, *B.*

Alienum — Alienum dicitur quod est extraneum a natura alicuius, 301, *A,* Tertio.

— In divinis debemus evitare nomen « *alienum* » 301, *A.*

Aliquid — Τὸ « *Aliquid* » potestere *pluraliter,* an *singulariter,* tantum, dici de *tribus Personis,* 631.

Alius — Quid importet τὸ « *alius* », 295.

— Filius est *alius* a Patre, non autem *aliud,* 299, Reg. 1.ª; Cfr. 302, 1.° et 303.

Alogi — Haeresis *Alogorum,* 440.

Alter — Quid importet τὸ « *alter* », 296.

Amor — Quid sit, 88, 1.° β.

— In divinis dicitur tripliciter: quandoque nempe *essentialiter,* quandoque vero *notionaliter,* quandoque demum *personaliter,* 551 et 553.

— In divinis τὸ *Amor* ESSENTIALITER dictum, convenit tribus divinis Personis ; NOTIONALITER acceptum convenit *solum* Patri et Filio ; acceptum PERSONALITER, convenit *solummodo* Spiritui Sancto, 554.

— An Spiritus Sanctus sit *Amor Patris* **in** *Filium,* et vicissim *Filii* **in** *Patrem,* 555

— An Spiritus S. sit *unio* vel *nexus* Patris et Filii, 557, et 558.

— Amor habet rationem *primi*, per quod omnia dona gratuito donantur, 585, 4.°
— Vide : *Processio.*

Angelus — Vide : *Essentia.*

Anomaei — Anomaeorum haeresis fuit derivatio Arianismi, 14, *A*, β et seqq.
— Anomaeorum insania de cognitione Trinitatis, 336, *A.*

Antitrinitarii — Quinam sunt, 12.

Appropriatio — In divinis quid significat, 666; 667.
— Exponuntur variae formulae per quas Catholici Doctores solent nomina Dei *essentialia appropriare* divinis *Personis*, 671-680.
— Radix aperitur, ex qua processlt appropriatio nominum Dei essentialium facta ab Ecclesiae Doctoribus, 679.

Appropriatum — Distinctio inter nomen Dei proprium et appropriatum, 666, 1.° α, β.
— Vide *Nomen*

Ariminensis — Refutatur Graeg.s Ariminensis affirmans *Proprietates Personales* non esse **in** divinis Personis, 691-693.

Arius — Docuit tritheismum secundum inaequalitatem, 14, *A.*
— Error Arii ad quatuor suprema capita reducitur, 301, *A.*
— Arianorum doctrina de *Verbo Dei*, et eiusdem refutatio, 432; 440, α.
— Arii positio de distinctione essentiae a divinis Personis, 595, *A.*
— Vide : *Generatio, Ingenitum, Persona, Processio*, etc.

Bonaventura — Opiniones S. Bonaventurae — Vide : *Origo, Processio*, etc.

Bonum — Bonum debetne *singulariter*, an *pluraliter* dici de divinis Personis, 629 et 630, β.

Capreolus — Capreoli opinio circa cognoscibilitatem Mysterii Trinitatis, 344, *A.*

Catholica — Propositio Fidei Catholicae quaenam dicitur, 369, *B.*

Christus — Qua ratione dicitur a S. Paulo *Primogenitus Dei Filius*, 111.

Cogitatio — Differentia *verbi mentalis* a cogitatione, 437.
— Dei Filius nequit dici *Dei Cogitatio*, 437.

Cognitio — Res aliqua potest cognosci, vel quantum ad *exsistentiam*, vel quantum ad *essentiam* · et vel *certo*, vel *probabiliter*, 324.

Communitas — Quid est, 268.

— Communitas alia est *rei*, alia *rationis*, 268, α. β.

— Communitas rationis alia fundatur in *negatione* vel *relatione logica*, alia fundatur in *re*, 269 α. β.

— Communitas rationis, fundata in *re*, est duplex ; vel per modum *universalis logici* vel per modum *individui vagi*. 270.

Confusio — Nomina, importantia confusionem, non sunt ponenda in divinis, 301, *B.* Tertio.

Constitutivum — Divinarum Personarum : vide *Persona*.

Christiana — Religio quo sensu est media inter perfidiam Iudaeorum et superstitionem etnicam, 2.

Circuminsessio — Quid sit et an sit inter divinas Personas, 830.

Creatura — Quot modis dici potest *Dei Filia*, 404.

Credo — Christianae Religionis quid sit, 1.

Datum — Dupliciter differt a *Dono*, 571.

De — Particula «*De*» importat non solum *ordinem* principii ad principiatum, sed etiam *consubstantialitatem* principiati cum principio, 778, 1.° *B.*

— Vide particulam «EX».

Deistae — Vide *Unitarii*.

Deitas — Est principium *radicale* seu *remotum* processionum realium Deo immanentium, 62.

— « *Deitas* est *Trinitas* », quo sensu dici potest, 288.

— Dici potest : « *Deitas* est *Trina* », 291, β.

— Quo sensu *Deitas* dici potest *ingenita*, 410 — 414.

Delectatio — Vide *Gaudium*.

Demonstratio — Alia *directa*, alia *indirecta*, 325, α et β.

— Alia procedit *a priori*, alia *a posteriori*, 325, γ et δ.

Denominatio — Principium denominans aliquid, vel est eius *forma*, vel se habet *ad modum formae*, 562, 2.°.

— Hoc secundum, quandoque est *actio*, quandoque vero se habet ut *terminus actionis*, 562, 3.°.

Desiderium — Quid sit, 89.

Deus — Inter divinas Personas non repugnat esse *relatio aliqua realis*, 145, 2.°.

— Inter Deum et creaturas nequit esse *relatio utrinque realis*, 145, 3.°.

— Inter Deum et creaturas potest esse *relatio aliqua mixta,* 145, 3.° et 4.°.
— Inter Deum et creaturas potest *nova relatio* innasci, 145, 4.°.
— Necesse est ponere *intra* Deum *relationes quasdam,* 152 et 229, 5.°.
— Relationes aliquae *reales* exsistunt *formaliter in Deo,* 155, 157-159.
— In Deo invenitur realitas *absoluta* et realitas *relativa,* quae tamen nullam compositionem *realem* in Eo faciunt, 155, 2.° et 171, 3.°.
— In Deo sunt tres *subsistentiae relativae* seu personales, 247, *b.*
— Deus, consideratus in linea entitatis *absolutae,* habet **aliquo modo** *subsistentiam* aliquam *absolutam,* 248-250.
— In Deo subsistentia *absolutà* distinguitur *virtualiter* a subsistentia *relativa,* 251, *b.*
— « *In Deo est Trinitas* », quo sensu dici potest, 289.
— Dici nequit : « *Deus est triplex* vel *multiplex* », 292-293.
— Si Deus non esset trinus in Personis, esset *solus,* 307.
— Qualiter, loquendo de Deo, excludere debemus *singularitatem,* 301, *B.* Primo
— Loquendo de Deo, debemus vitare nomen « *unicus* », 301, *B.* Secundo
— Cur *Deus* non possit dici *quinus* propter quinque notiones ; nec *quatrinus* ob quatuor proprietates Personales, 361.
— Nequit dici « *Tres divinas Personas esse tres Deos* », 623.
— Tò *Deus* **potest** supponere pro *quavis* Persona Trinitatis, 639, *a* et 640.
— Tò Deus **potest** supponere *vel* α) pro *essentia divina, vel* β) pro *una* Persona divina, aut γ) pro *duabus* aut δ) pro *tribus* divinis Personis, 640. — Cfr. 661.
— Regulae ad discernendam suppositionem nominis « *Deus* » in theologia, 641.
— An haec sit vera : « Deus generat *alium* Deum », 643; Cfr. 648.
— An haec sit vera : « Deus generat *alium se* Deum », 644 — Cfr. 648.
— Tò *Deus,* ut sic, non est capax alicuius abstractionis *realis* ex parte nostri intellectus, 725.

— Quo sensu haec est vera: «Deus, *quia* generat, est Pater», 745; Cfr. 746.

Dicere — Differentia inter *intelligere* et *dicere*, seu loqui, *mentaliter*, 67.

— In divinis τὸ «*dicere*» convenit *soli* Deo Patri; sed «*dici*» convenit singulis divinis Personis, 438.

Differentia — In divinis *nulla* est *differentia*, 301, *A*.

— In divinis debemus evitare nomina exprimentia *differentiam*, 301, *A*. Primo

Diligere — Potest sumi in divinis, vel *essentialiter*, vel *notionaliter*, vel *personaliter*, 562, 4.°.

— Haec: «Pater et Filius diligunt se Spiritu S.» est falsa, si τὸ «*diligere*» sumatur *essentialiter*; est autem vera, si τὸ «*diligere*» sumatur *notionaliter*, 563-564.

— An possit dici: «Pater (vel Filius) diligit se Spiritu Sancto»

— An haec sit vera: «Spiritus S.s diligit *se* Spiritu Sancto»? 567.

— An haec sit vera: «Pater et Filius diligunt *nos* Spiritu Sancto»? 568.

Diodati — Ioan. Diodati erronea praxis in Versione S. Scripturae, 445.

Discretio — *Discretio*, sive distinctio, *rei* et non *rationis* **tantum**, adest in divinis, 301, *B*.

Dissimilitudo — In divinis debemus evitare nomina *dissimilitudinem* importantia, 301, *A*.

Distinctio — Realis potest esse vel *numerica*, vel *pure numerica*, vel *specifica*, vel *generica*, vel *diversa*, 104.

— Qualiter intelligenda est distinctio *generica* et *specifica* in divinis, 108.

— Notio *distinctionis* et multiplex species distinctionis, 164, 2.°.

— Distinctio *actualis-formalis ex natura rei*, a Scoto immaginata, reiicitur, 165.

Diversitas — In divinis nulla est diversitas, 301, *A*.

— In divinis non debemus uti nominibus significantibus *diversitatem*, 301, *A*.

Divisio — Eius notio, 257.

— Alia est *materialis*, alia *formalis*, 257, α et β.

— In divinis nulla est divisio aut separatio, 301, *A*.

— In divinis debemus evitare nomina *divisionem* vel separationem importantia, 301, *A.*

Dogma — S.mae Trinitatis est veritas omnino singularis, 5.

— Est vertex omnium mysteriorum Fidei, 6.

Dogmatica — Quaenam dicitur propositio dogmatica, 369, *A.*

Donum — Differentia inter *Donum* et *Datum,* 571.

— Definitio *Doni,* 572.

— Conditiones ut res aliqua sit *donum,* 573.

— Quid est *Donum Dei,* 574.

— Quaenam *Persona* est capax accipiendi *Dei Donum,* 575 et 576.

— Quaenam *res* possit habere *rationem Doni Dei* relate ad *creaturas intellectuales,* 578.

— Non recte dicitur: «Spiritus S.s *ab aeterno* est donatus», 577.

— *Dei Donum* dicitur *essentialiter, notionaliter* et *personaliter,* 579.

— In collatione *Doni Dei* tria elementa inveniuntur, 580.

— Quaenam Persona divina est *donatrix* seu *collatrix munerum,* quando creatura intellectualis accipit aliquod Dei Donum, 580.

— In divinis «*Donum*», secundum quod *personaliter* sumitur, est nomen *proprium* Spiritus Sancti, 583-585.

Dualismus — Quid et quotuplex sit, 15.

Duotheitae — Quinam sint, 12, γ; 15.

Durandus — Durandi positio circa numerum processionum realium Deo immanentium, 129, *D.*

— Opinio ipsius circa *subsistentias* Dei *relativas,* 251, *A.*

— Eius opinio circa *cognoscibilitatem* Mysterii Trinitatis, 344, *B.*

— Opinio eiusdem circa usum nominis *Amor* in divinis, 553.

— Vide: *Persona, Processio, Relatio,* etc.

Ens — Tò «*ens*» debetne *singulariter,* an potest *pluraliter* dici de divinis Personis?, 628.

Erasmus — Eius error de Processione Spiritus Sancti refellitur, 100.

Esse — Tò «*esse ab alio*» nequit esse *notio* aliqua *divina,* 358, α.

Essentia — *Essentia* et *natura* differunt **solum** *ratione ratiocinata,* 218, α.

— *Essentia* et *individualitas* eius distinguuntur *realiter* in substantiis corporalibus *actu* exsistentibus, 218, β et *A.*

— *Essentia* et eius *individualitas* differunt **solum** *virtualiter* in Angelis seu substantiis omnino immaterialibus, 218, γ et *B.*

— Essentia divina *in recto* et *in singulari,* potest affirmari tum

de *una*, tum de *duabus*, tum *de tribus divinis Personis*, 605.
— In divinis dici nequit: «*Essentia* generat *Essentiam* », 649.
— An dici possit: «Essentia Dei est ingenita», 654.
— Potestne dici in divinis: «Essentia est *res generans*, vel *Deus generans*», 655.
— Vide: *Deitas; Trinitas*, etc.

Eunomiani — Eunomiani dixerunt «Deum Patrem *libero arbitrio* genuisse Filium», 765, *A*.

Ex — Particula «EX» in nomine quod afficit, denotat habitudinem causae *materialis* vel causae *efficientis*, non autem causae *formalis* vel *finalis*, 611 et 677, *d*,
— Particula «EX» importat *ordinem* principii ad principiatum; qui *ordo* est vel *temporis*, vel causae *efficientis*, vel causae *materialis*, 778, 1.° *A*.
— An recte dicatur: «Tres Personae sunt *ex* essentia divina», 780, 2.°.

Factio — qualiter in *creaturis*, et qualiter in *divinis* contingit, 778, 2.°

Fides — Ad Fidem quaedam *directe*, alia *indirecte* pertinent, 368.
— Tripliciter aliqua ad Fidem *indirecte* pertinere possunt, 368, α, β, γ.
— Propositio *proxima Fidei* quaenam dicitur, 369, *B*.
— Qui dicitur: *error in Fide*, 370, ε.

Filiatio — in divinis est simul *Relatio* Personalis et Proprietas Personalis, 246, α-δ.
— *Personaliter* dicta, **principaliter** ac *fontaliter* invenitur in *secunda* Persona Trinitatis; **derivative** autem in creatura intellectuali, 422, γ.
— *Personaliter* dicta, est *prioritate naturae* **prior quam** Filiatio divina accepta **essentialiter**, 422, δ.
— Filiatio, in Dei Filio exsistens, est *omnino* unica *numero* et *immultiplicabilis*, 819, 1.°, β.
— Tota, Deo possibilis, Filiatio est Filiatio exsistens in Deo Filio, 819, 4.°.
— Vide: *Paternitas, Spiratio, Processio, Relatio*, etc.

Filioque — Haec particula jure meritoque fuit adiecta *Symbolo Fidei*, 516, α.

Filius — Dei Filius potestne dici *causa* Spiritus S.cti? 386, *C*.
— Dei Filius potesne dici *auctor* Spiritus S.cti? 387.

— Dei Filius potestne dici *principiatus* vel *causatus* a Deo Patre? 388.

— Secunda Persona Trinitatis variis nominibus designatur, 419 et 420.

— Nomina, quibus secunda Persona Trinitatis designatur, explicant varios aspectus nativitatis eius, 421-424.

— Filius, *essentialiter* dictus, denotat creaturam, praesertim intellectualem; *personaliter* vero acceptus, secundam Personam Trinitatis, 422, α, β.

— Filius, *personaliter* dictus, est nomen *stricte proprium* secundae Personae Trinitatis, 422, β.

— Dei Filius cuius rei est *imago?*, 481.

— Totus Dei Filius est *imago* totius Dei Patris, 482, 1.°.

— Alia ratione *Homo* et alia *Dei Filius* dicitur *Imago Dei,* 482, 2.°

— In divinis *Filius* potest donari a Patre, non autem *proprie* a Spiritu Sancto, 581, 2.°.

— An dici possit: «Dei Filius est *ex* vel *de* substantia Dei Patris», 653.

— Ss. Doctores videntur dissentire in quaestione: «Num Deus Pater *voluntarie* Filium genuerit», 765, *B.*—Vide: *Voluntarium; Voluntas.*

— Dei Filius est genitus a Deo Patre voluntate *essentiali,* aut *notionali,* non autem voluntate *libera,* Dei Patris, etc., 771.

— Dei Filius non est factus de *nihilo,* neque de substantia **aliena** a Deo Patre, sed genitus de substantia Dei Patris omnino indivisa, 779.

— Haec propositio: «Dei Filius est genitus DE essentia Patris» qualiter sit vera, 780, 1.°.

— In divinis non potest esse nisi *unicus* **numero** Filius, 820; Cfr. 821-822.

— Vide *Pater, Spiritus S.s Verbum, Imago,* etc.

Flos — Quo sensu debet intelligi quod Filius et Spiritus Sanctus sunt *duo flores* divinitatis, 504, 2.°, α.

Gaudium — Quid sit, 89.

Generatio — Quandoque sumitur in sensu *latissimo,* quandoque *proprie,* 74; Cfr. 408.

— In generatione *proprie* dicta viventis sunt tria, videlicet: terminus *qui* oritur, idest Filius; item terminus *a quo* Filius oritur,

sive Pater; et *operatio* qua Filius oritur, videlicet Genitura, 74, *B.*

— Ad Generationem *proprie* dictam *sex* conditiones *cumulative* requiruntur, 75.

— Generatio *proprie* dicta viventis duobus modis contingit, 76.

— *Definitio* Generationis *proprie* dictae, quam nonnulli philosophi exhibent, *refellitur,* 77.

— Nulla processionum realium, Deo formaliter immanentium, habere potest rationem Generationis *communiter* dictae, 79.

— Generatio *proprie* dicta viventis potest quidem convenire alicui intellectui actualiter intelligenti, non autem alicui voluntati actualiter amanti vel odienti rem aliquam, 123.

— In Deo *sola* processio ex parte divini intellectus est Generatio *proprie* dicta viventis, 124.

— Qualiter Generatio in creaturis et qualiter in divinis contingit, 778, 2.°.

— Vide: *Actus Notionales, Paternitas, Spiratio,* etc.

Genitor — Differentia, quoad significationem, inter « *Patrem* » et « *Genitorem* » aut « *Generantem* », 397.

Genus — Apud Latinos genus neutrum est informe, seu indeterminatum; genus masculinum autem et foemininum est formatum, 299.

Gnostici — Eorum fabula de aeonibus, 129, *A.*

— Vide: *Processio, Persona, Trinitas,* etc.

Graeci — Ipsorum error de Processione Spiritus Sancti; vide *Spiritus Sanctus.*

— Eorum obiectiones contra processionem Spiritus Sancti, 504.

Günther — Tritheismo favere videtur, 14, *C.*

— Opinio Rev. Günther de discrimine Generationis et Processionis in Deo, 112.

— Error Günther circa Trinitatis cognitionem, 336, *G.*

— Vide: *Persona, Trinitas,* etc.

Haeresis — Propositio, *haeresi* **obiective proxima,** quaenam dicitur, 369, *b.*

— Quaenam est haeresis *materialis* et quaenam *formalis*, 370 γ' et δ'.

— Quaenam est propositio *sapiens haeresim,* 370, ε.

— Quinam homo dici debet sapiens haeresim, 370, ε.

Haereticus — Quaenam est propositio *haeretica*, 369, α.
— Quinam haereticus *formalis*, et quinam *materialis*, 370, γ, δ.
Hegel — Quomodo dogma Trinitatis exposuit, 13, *B*, ζ; 336, *F*.
Hermes — Videtur discipulus esse Hegelii, 13, *B*, θ.
Hincmarus — Eius error de *Trina Deitate*, 283.
Homo — Cur homo dicitur *imago Dei*, et *ad imaginem Dei factus*, 466, δ; 482, 2.°.
Hypostasis — Notio, 210-212; 719, *A*.
— Vide : *Persona*; *Subsistentia; Relatio;* etc.
Idea — Inter varias *Ideas*, quas concipimus in divino intellectu, **sola** *rationis distinctio* viget, 197.
— Qua ratione Dei Filius vocetur *Idea*, 420, δ.
— Dei Verbum qua ratione differat ab *idea creaturae* in Deo *exsistente*, 458.
Idem — In divinis quo sensu Pater est *idem* cum Filio, 299, *Reg.ª 1.ª*.
Identitas — Notio *identitatis*, et partitio ipsius in *realem* et *rationis*, 164, 1.°.
Imago — Dei Filius appellatur *Imago* ab agiographis, 420, γ; 460.
— *Definitio imaginis*, 464.
— Imago distinguitur **realiter** ab *exemplari*, 465.
— *Imago* alia dicitur *propria*, alia *impropria*, alia *analogica*, 466.
— *Imago*, triplex: *naturalis, intentionalis* et *artificialis*, 467.
— Imago perfecta quaenam est, 466-468.
— In divinis non invenitur *imago analogica*, nec *artificialis*, 469, α et β.
— In divinis adest *imago* **proprie** et **improprie** dicta, necnon *naturalis* et *intentionalis*, 469, γ-ζ.
—In divinis imago, **proprie** *dicta*, est semper nomen *personale*, 470.
— In divinis *imago* **improprie** dicta, est nomen essentiale, 471.
— *Imago* secundum quod **personaliter** dicitur in divinis, convenit *soli* Filio Dei, 474-480.
— *Cuius rei* imago sit Dei Filius, 481-482.
Improcessibilis — Cur Deus Pater non dicatur improcessibilis, 418.
Improcessibilitas — Vide : *Notio*.
In — Haec particula, in termino quem afficit, denotat habitudinem *continentis*, vel habitudinem causae *finalis*, 677, *d;* 678. — Cfr. 22.
— Notio «IN» relationis quid sit, 142; Cfr. *Relatio*.

Inaequalitas — Nulla adest inter divinas Personas, 301, *A*, Quarto.
Individualitas — Qualiter se habet ad *essentiam*, 218, β, γ.
— Qualiter se habet ad *Personam* vel *Suppositum*, 219.
Individuum — Vide : *Natura ; Singulare ; Persona* etc.
Ingenerabilitas — nequit esse *notio* aliqua *divina*, 358.
Ingenitum — Dicitur *large, stricte*, aut *strictissime*, 408, *A-B*.
— Potest sumi *negative* aut *privative*, 408, *C*.
— **Strictissime** dictum, sive *negative*, sive *privative* accipiatur, nullam imperfectionem secum habet, 408, *Nota*.
— Qualiter Ariani intellexerunt *solum Deum Patrem esse ingenitum*, 409, *B*.
— Qualiter Sabellius affirmavit *Dei Filium non esse ingenitum*, 409, *A*.
— Qualiter τὸ *ingenitum* praedicetur de *divina essentia*, 411 et 415.
— Qualiter τὸ «*ingenitum*» dici potest de *Filio* et *Spiritu Sancto*, 411 et 413.
— *Ingenitum* **strictissime** acceptum, tam *negative* quam *privative*, solet alio vocabulo nominari *Innascibilitas*, et *soli Deo Patri* convenit, 416.
— Ingenitum distinguitur *virtualiter* a Paternitate, 416.
— *Ingenitum* et *Paternitas* sunt *duae notiones* Dei Patris, 416-417.
Innascibilitas — Nonnisi **per reductionem,** potest dici *Relatio*, 360, *A* — Cfr. 385 et 416.
— **Virtualiter** distinguitur a Paternitate, 416.
— Considerata uti virtualiter distincta a *Paternitate*, nequit **constituere** *Personam Dei Patris*, 733.
— Opinio Vasquesii et Alarcon circa *Innascibilitatem*, 733.
Intellectio — Quid sit, 88, 1.°, α.
— Terminus intellectionis dicitur Verbum mentale, 88, 2.°, α.
— Est prior, *prioritate ordinis*, quam *Amor*, 91.
— Eadem operatio divini intellectus, cur exercita a *Deo Patre* emittit *Verbum Dei*, dum exercita a *Dei Filio* vel a Deo *Spiritu Sancto* nullum producit *Dei Verbum?*, 67.
— An fieri possit, ut intellectus *Filii Dei* emittat *aliud* numero *Dei Verbum*, 68.
— An possibile sit quod intellectus *Spiritus Sancti* intelligendo emittat *aliud* numero *Dei Verbum*, vel quod Ipse spiret *alium* numero *Spiritum Sanctum*, 68, α.

Intellectus — divinus importat solam relationem rationis ad rem, seu veritatem, ab ipso intellectam, 195-196.
— Elementa quae inveniuntur in *intellectu* actu *intelligente*, 433.
— Quaenam *operatio* intellectus dependet ab *operatione* voluntatis, 504, 4.°, *b*.
Ioachim — Abbas Ioachim inscite tritheismo favit, 14, *B*, γ.
— Opinio Ab. Ioachim circa Relationes Divinas, 170.
— Error Ab. Ioachim dicentis hanc esse veram: «*Essentia* generat *essentiam*», 649.
Iudaei — Iudaeorum error de Trinitate, 236.
Kant — Emmanuel quomodo dogma Trinitatis exposuit, 13, *B*, ε.
Liber — Tò *Liber vitae* appropriatur uni Dei Filio **melius quam** Spiritui Sancto, 680, *B*, *b*
Locke — Definitio *Personae*, tradita a Locke reiicitur, 204, *B*, *b*.
Lombardus — Opinio Petri Lombardi de *Persona Divina*, 230, *C*.
— Petrus Lombardus sensit *terminos numerales* non ponere aliquid *positivum* in divinis, 256, *A* ;
Lullius — Raymundi Lullii error quoad *Trinitatis cognitionem*, 336, *E*.
— Raym. Lullius negavit hanc: «*Deus* vel *Deitas est Trinitas* seu *Tres Personae*», 661, β et γ.
— Assertio Lullii dicentis: «Deus Pater est *multiplicabilis*, et Deus Filius *consimiliter*», 820, *A*.
Mastrofini — Opinio Ab. Mastrofini de Trinitatis cognitione; 336, *I*.
Meum — Vide *Possessivum*.
Missio — Universaliter accepta, quid sit, 831.
— Conditiones ut res aliqua possit mitti ab alia, 832.
— Quot modis una res potest ab alia mitti, 833.
— Quid sit missio Divinae Personae, 834 et 835.
— Quibus divinis Personis convenire potest mitti ad creaturas, 836-838.
Modernistarum — Error circa originem Mysterii S.mae Trinitatis in Religione Christiana, 2.
Multiplicitas — In Divinis nulla est, 301, *A*.
— In divinis evitare debemus nomina quae important multiplicitatem, 301, *A*.
Multitudo — Est idem ac Pluralitas, 258.
— Definitio *Multitudinis*, 259.

— *Multitudo transcendentalis* potest convenire rebus materia expertibus, 259.

— *Multitudo geometrica* convenit *solis* rebus *extensione* praeditis, 259.

— **Omnis** *multitudo* ponit *duas negationes* in his de quibus dicitur, 260.

— *Mulitudo geometrica* quid ponit in obiectis de quibus dicitur? 261, 2.°.

Mysterium — S.mae Trinitatis cur expressis verbis non fuerit in V. L. expressum, 13, *A*, ὃ.

Natura — *Specifica* quomodo se habet ad **individuum** et ad **suppositum,** vel **Personam,** 606, 3.°-4.°.

— Vide : *Deitas ; Essentia, Persona,* etc.

Nomen — Quodcumque *Dei* potest exprimere vel α) Dei realitatem *absolutam,* vel β) Eius realitatem *relativam,* vel γ) **utramque** realitatem **simul,** etc. 229, 5.°.

— Nomen *commune* quid et quotuplex sit, 271.

— Circa *Nomen, Pronomen* et *Adiectivum* sunt tria consideranda, 298.

— In divinis convenienter per nomen *neutrum* designamus Dei essentiam ; per nomen *masculinum* autem vel *foemininum* Personam, 299, **Reg. I.ª**.

— In divinis nomina *communia,* et **a fortiori** *transcendentalia,* adhibentur convenienter ad significandam essentiam Divinam, 300, **Reg. II.ª**.

— In divinis nomina *particularia,* et *singularia* adhibentur convenienter ad significandum Personas divinas, 300, **Reg. II.ª**.

— Conditiones necessariae ut nomen sit *stricte* personale, 394.

— Definitio nominis **stricte** *personalis*, 394, *A ;* 426.

— Nomen Dei triplex, i. e. *proprium, essentiale* et *appropriatum,* 491.

— Dei nomina *absoluta, notionalia* et *personalia,* 602, α, β, γ.

— Dei nomina essentialia, accepta in *abstracto,* nequeunt sub forma numeri *pluralis* dici de duabus vel tribus divinis Personis, 618 ; Cfr. 619.

— Nomina Dei *essentialia* possunt exprimi *substantive* et *adiective,* 620, 1.°.

— Differentia inter *substantivum* et *adiectivum,* 620, 1.°, α.

— Nomina *concreta* et *substantiva* non dicuntur pluraliter, nisi *simul* multiplicentur **forma** (seu essentia) a nomine designata, et eius *suppositum*, 622, α.

— In divinis nomina, *essentialia*, *concrete* et *substantive* expressa, nequeunt dici *pluraliter* de tribus divinis Personis, 623 ; 625.

— In divinis nomina *essentialia*, *concrete* et *adiective* expressa, debent singulariter dici quando de *una* Persona affirmantur, et pluraliter quando de *pluribus* Personis dicuntur, 624 - 625.

— Nomen quodvis Dei *essentiale*, **concrete** acceptum, potest supponere pro *unaquaque* Persona Trinitatis, 639, *b* ; 640.

— *Rigorose loquendo*, nomina Dei essentialia abstracta nequeunt supponere pro Persona, 649-651, 660.

— Nomina Dei *concreta*, exprimentia attributum *essentiale*, possunt affirmari in recto de divina essentia, *abstracte* sumpta, 652.

— Nomina Dei *personalia*, accepta in *abstracto*, possunt, *rigorose loquendo*, affirmari de nominibus Dei essentialibus tam **abstractis** quam **concretis**, 660, β.

— Dei nomina *personalia* aut *notionalia*, *concrete* expressa, possunt *rigorose loquendo*, affirmari de nominibus Dei essentialibus tam *abstractis*, quam *concretis*, 661, γ, 663.

— In divinis nomina **quaedam** *essentialia* appropriantur convenienter divinis Personis, 668.

— Nomina Dei *essentialia* possunt **appropriari** ad manifestandas divinas Personas, α) per viam *similitudinis*, β) et per viam *dissimilitudinis*, 669.

— Differunt, quantum ad *significationem*, Dei nomina essentialia, **abstracte** expressa, ac nomina Dei *essentialia* expressa **concrete**, 657.

— Nomen Dei *personale* potest exprimi *substantive* vel *adiective*, 658.

— Vide : *Possessivum ; Unitas ;* etc.

Non-ens — An Dei Verbum dicat respectum ad *non-entia*, 459.

Non-spirabilitas — non est notio aliqua divina, 358.

Notio — Definitio notionis divinae, 349, 2.°, *A ;* 350 ; 351, *A ;* 353, 1.°.

— Criterium ad dignoscendum quaenam sit vera notio divina, 351.

— Necesse est ponere in divinis Personis quasdam notiones, 352, *b*.

— De notionibus divinis non possunt affirmari termini qui *actionem* significant, 353, 2.°.

— De notionibus divinis possunt affirmari termini seu attributa divina, quae **actionem** non significant, 353, β.

— Notiones divinae sunt *quinque* **tantum,** videlicet: *Innascibilitas*, *Paternitas*, *Filiatio*, *Communis Spiratio*, et *Processio*, 355 et 356.

— Quaenam notiones divinae constituunt Personas, 360, *C.*

— Doctrina de divinis notionibus *implicite* continetur in Canonica *Scriptura*, 371.

— Doctrina de divinis notionibus pertinet *indirecte* ad Fidem, 371-372.

— An sit haereticus, qui doctrinam de divinis notionibus impugnat, 372.

— Quaenam notiones tribuantur *Patri*, aut *Filio*, aut *Spiritui Sancto*, habes ad voces *Pater*, *Filius*, et *Spiritus Sanctus*.

Numerus — Qualiter *numerus* inveniatur in divinis, 241; 245.

— *Termini numerales*, quando de *Deo* praedicantur, denotant aliquid positum in notione Dei, 252.

— Terminus numeralis potest esse vel *determinatus* vel *indeterminatus*, 254.

— *Termini numerales* in divinis significant *totam entitatem* eorum de quibus dicuntur, **addendo tantum** *negationem*, 262.

Operari — Immediatione **suppositi** et immediatione **virtutis,** 525.

Operatio — Esse *principium operationis* duobus modis exponi potest, 785.

— Haec propositio: «A est reale principium operationis *B*» potest, esse vera aut falsa 786.

Opinari — Contrarie de notionibus quid importet, 366.

Opinio — Quid est 365.

— Doctorum opiniones de usu nominis «*Verbum*» in divinis, 435.

Oppositio — *Relativa* relationum, et oppositio *disparata* relationum, 509, *E.*

Origo — Quid sit, 74, *A*, α.

— *Origo* et *relatio* sunt ea quae in divinis non distinguuntur **re** sed penes modum significandi, 706, α, β.

— Origo potest sumi *active* et *passive*, 707, *c*, 1.° et 2.° item 709.

— *Origo* est *aliquo modo principium* formaliter *distinguens Personas divinas*, 709.
— Origo, **passive** accepta, est, *iuxta nostrum modum concipiendi*, **prior quam** *proprietas* tum *personalis*, tum *non personalis*, quae exsistit in divina Persona quae *vi talis originis* in Deo procedit, 741.
— Haec *origo activa* «Spirare» est, *iuxta nostrum modum concipiendi,* **prior quam** proprietas quae dicitur *Communis Spiratio,* 742.
— Duplex *ordo originis* Deo attribui potest, 750, *B.*
— Vide : *Actus notionalis.*

Pars — Vide : *Totum.*

Passio — Quid sit, 758, 2.°.
— Non ponitur in divinis Passio, nisi *improprie,* 759.

Pater — Notiones, *voce positiva* expressae et quae Deo Patri competunt, sunt *Principium* et *Pater,* 376 — Cfr. *Principium.*
— In divinis *Pater* potestne dici *causa* Filii vel Spiritus Sancti?, 386.
— In divinis *Pater* potestne dici *auctor* Filii vel Spiritus Sancti?, 387.
— In divinis *Pater* dicitur *essentialiter* vel *personaliter,* 389.
— Tò Pater *essentialiter* acceptum, convenit *singulis divinis Personis,* 390.
— In divinis *Pater* est nomen **stricte proprium** primae Personae Trinitatis, 396.
— In divinis τὸ *Pater,* **magis quam** nomina «*Genitor*» aut «*Generans*», est *proprium* nomen primae Persanae Trinitatis, 397.
— Loquendo de **prioritate temporis,** *nomen* **Pater** imponitur a nobis *prius* Patri terreno et *postea* Patri coelesti, 398.
— Res, per nomen Patris designata, convenit *principalius perfectiusque* Patri coelesti quam Patri terreno, 398.
— Loquendo de *prioritate durationis,* per prius dicitur in Deo **Paternitas** respectu *Filii,* quam respectu *creaturae,* 400.
— Loquendo de *prioritate naturae,* nomina «*Pater*» et «*Filius*» dicuntur per prius de *divinis Personis* quam de Deo relate ad *creaturas,* 403.
— In divinis quo sensu «*Pater* donatur a Filio, aut a Spiritu Sancto?, 581, 1.°.

— Principium **quo** Generationis propriae viventium est **natura** exsistens in Patre, et considerata non quidem **nude** sed prouti affecta a *forma Personalitatis,* 801 — Cfr. n. 800.
— In divínis non potest esse nisi *unicus numero* Pater, etc. 820 — Cfr. 821 et 822.
— Vide : *Filius; Generatio; Relatio; Personalis,* etc.

Paternitas — In divinis est **simul** *Relatio Personalis* et *Proprietas Personalis,* 246.
— *Paternitas-Filiatio,* quae intra Deum viget, habet *naturae prioritatem* super *Paternitatem-Filiationem* quae viget inter *Deum* et *creaturas,* 403.
— Paternitas Dei Patris est *omnino unica* et immultiplicabilis *numero,* 819, 1.°, α.
— *Tota* **Deo possibilis** *Paternitas* est ea quae in Deo Patre exsistit, 819, 4.°.
— Vide : *Filiatio; Generatio; Actus notionalis, Relatio,* etc.

Per — Distinctio inter «*PER*» et «*A*», 518 et 519.
— Particula «*Per*» in termino, quem afficit, designat vel causam *finalem operationis*, vel causam *formalem qua agens operatur*, vel causam *motivam agentis* ad *operandum*, vel quod *vis agendi* sit *derivata* in eo termino *ab alio*, 522, *C;* 677, *d.*

Perpetuum — In perpetuis idem sunt α) τὸ *posse* et τὸ *esse;* β) item τὸ *non posse* ac τὸ *non esse,* 819, 2.°.

Persona — Divina est *principium quod* processionum realium Deo immanentium, 61.
— Significatio etymologica nominis «*Persona*» 203; 210.
— Definitio *Personae* a L. Valla tradita, reiicitur, 204, *A.*
— Definitio Lockiana de *Persona* impugnatur, 204, *B.*
— Definitio a Günther tradita de *Persona* est falsa, 204, *C.*
— Definitio Rosminiana de *Persona* expungitur, 204, *D.*
— Explicatur et defenditur definitio Personae a *Boëthio assignata*, 205-207.
— Persona includit triplicem *perfectionem*, 205, 3.°.
— Importat triplicem *incommunicabilitatem,* 208, 1.°,
— Significat id quod est perfectissimum in tota natura, 208, 2.°.
— Dissidium Graecorum et Latinorum quantum ad «*Personam*» et «*Hypostasim*», 210-211.
— *Persona* (vel suppositum) in *omni* substantia creata, *actu exsi-*

stente, distinguitur *realiter* ab earum natura individua, 219.
— Error L. Valla et Protestantium circa divinas Personas, 222.
— Ratio *Personae* invenitur *realiter* et *proprie* in Divinis, 222-224.
— *Persona* est *realiter identica* cum *hypostasi* naturae intellectualis ; item cum *re* naturae intellectualis ; item cum *subsistente* in natura intellectuali, 214-217.
— Ratio Personae *excellentiori modo* convenit Deo prae creaturis, 225.
— Quid sit *Persona divina*, 226-228.
— Exponitur et reiicitur opinio Durandi circa notionem Personae, 230, *A*.
— Declaratur a refellitur opinio Scoti circa notionem Personae divinae, 230, *B*.
— Sententia Petri Lombardi circa notionem Personae divinae expungitur, 230, *C*.
— Nec *Persona*, nec *Persona divina*, ex indole proprii nominis, significat aliquid **pure** *relativum*, 230, *D*.
— Nomen Personae in divinis non significat divinam substantiam *in recto*, 230, *E*.
— Nomen *Personae* in divinis non significat relationem *formaliter* ut est *relatio* et *in recto*, 230, *F*.
— Persona divina significat *relationem divinam subsistentem* et *ad modum hypostasis*, 230, *G* ; — 233 ; et 265.
— In divinis exsistunt realiter plures Personae, 236-241.
— Pluralitas divinarum Personarum in Deo non destruit Eius *unitatem*, nec in Eo *ullam* inducit *compositionem*, 240.
— Secundum positionem haereticorum, Arii, Sabellii, Gnosticocorum, etc. *nullo modo* potest admitti *certus numerus Personarum* in divinis, 243, *A* — *E*.
— Necesse est ponere *tres* **tantum** Personas in divinis, 244-245.
— Differentia inter *Relationem*, *Relationem Personalem* et *Proprietatem Personalem*, 246, α-γ.
— In divinis nomen «*Persona*» non est *commune* communitate *rei* ; nec communitate *rationis* fundata in *negatione* ; nec **sola** communitate *intentionis logicae* ; nec communitate *rationis* fundata in *re* quae sit *universalis in essendo*, 272-275.
— In divinis nomen «*Persona*» est *commune* secundum communitatem *individui vagi* naturae intellectivae, 270 et 276.

— In divinis *una* Persona est **propria** alicuius vel per *identitatem* cum ea, vel per *originem* ab ea, 580, § *Dico 3.°*.
— **Quaelibet** *Persona divina* potest *se,* non vero, **quamlibet aliam** *Personam divinam* donare creaturae intellectuali, 580-581; 583.
— Qualiter *divina Persona* cadere possit **sub dominio** *creaturae intellectualis,* cui fuerit donata, 582.
— Persona divina considerari potest α) in semetipsa; β) *per ordinem ad aliam divinam Personam;* γ) et per *ordinem ad creaturam intellectualem* ad quam aliquando mittitur, 589.
— *Personae divinae,* spectatae quoad *notionem* IN, **identificantur,** cum *divina essentia;* consideratae autem quoad *notionem* AD, **distinguuntur** invicem **realiter,** 597, *a;* 599; 600, 2.°.
— Anomalia resolvitur secundum quam, dum in creaturis pluralitas numerica Personarum inducit *pluralitatem numericam* **substantiarum;** in divinis *plures* **numero** *Personae* habent *unam numero* **naturam,** 599.
— Persona divina se habet ad substantiam divinam **tamquam** *particulare* ad *universale,* vel sicut *inferius* ad *superius,* 600, 1.°.
— Loquendo de *Personis divinis* in ordine ad *essentiam,* attendendum est, ne violetur unitas essentiae aut Trinitas Personarum, 601.
— Recte dicitur «Tres Personas divinas esse *unius* essentiae et *unam* essentiam esse trium divinarum Personarum, 607-609.
— An dici possit «Tres divinas Personas esse *unius* definitionis», 610.
— Non potest *proprie* dici «Tres Personas divinas esse *ex* vel *de* **eadem** aut **una** essentia», 611-612.
— Dici nequit «Tres divinas Personas esse tres Deos», 623.
— An hoc nomen «*Persona*» debeat pluraliter dici de *tribus divinis Personis,* 632.
— Datur *de facto* aliquid *quo* **constituuntur** et invicem distinguuntur Personae divinae, 698-699.
— Criterium pro dignoscendo *vero* principio **constitutivo** divinarum Personarum, 700.
— Quid est *principium* constitutivum divinarum Personarum, 701.
— Doctorum quorumdam opiniones de constitutivo divinarum Personarum exponuntur et refutantur, 702-707.

— *Principium,* formaliter distinguens divinas Personas, sunt *relationes Personales,* 708-711.

— Origines *activae* et *passivae* sunt aliquo modo *principium* formaliter distinguens *Personas,* 709, *A.*

— Personae divinae distinguuntur inter se **prius** et **principalius** per *relationes personales,* **quam** per *origines activas et passivas,* 709, *B.*

— *Principium* formaliter distinguens divinas Personas est *relatio personalis* considerata α) non sub *notione* IN, β) nec sub *notione* AD *ut* AD, γ) sed sub *notione* AD *ut* IN, 716-717.

— Unaquaeque divina Persona est vere hypostasis, 719-720.

— Personae divinae non sunt invicem aequales aequalitate geometrica, 826.

— habent autem invicem aequalitatem perfectionis, 827-828.

— sunt proinde invicem aequaliter consubstantiales, infinitae, coaeternae, etc., 829.

— Vide : *Natura, Relatio, Trinitas,* etc.

Personalitas — seu **forma Personalitatis,** non est *principium quo* Pater generat Filium, 800, α, *A.* — Cfr. *Generatio.*

— Est autem **conditio necessaria** ad hoc ut natura, quae est in Patre, sit *principium quo* Pater generat Filium, 800, *B.*

Philosophi — Etnici, lumine revelationis *totaliter* forte orbati, cognoverunt *de facto* attributa quaedam **appropriata** Trinitatis, 332.

— Huiusmodi Philosophi tamen non cognoverunt illa attributa *reduplicative* secundum quod specialiter solent **appropriari** *uni* tantum Personae S.mae Trinitatis, 333.

— Memorati Philosophi non cognoverunt *de facto* mysterium Trinitatis per attributa *propria* **unicuique Personae,** 334-335.

Pistoriensis — Pseudo synodi assertio erronea refellitur, 343.

Pluralitas — *Omnis* oritur ex divisione alicuius totius, 258.

— Pluralitas alia est *materialis,* alia *formalis,* 258, α, β.

— Vide : *Multitudo ; Totum ; Numerus ;* etc.

Porretanus — Opinio Gilberti Porretani circa *Relationes,* 169-170.

— Gilberti positio de distinctione essentiae a divinis Personis refutatur, 596.

— Porretanus negavit hanc : « *Deus* est *Trinitas,* seu *Tres Personae* », 661, α, γ.

— Gilb. Porretani assertio, quod scilicet relationes, seu proprie-

tates personales, non sint divinae Personae, neque in *divinis Personis,* refellitur, 689, *A,* α; 690.

Possessivum — Si aliquod *Dei nomen* exprimat Deum in ratione causae *efficientis,* aut *finalis* aut *exemplaris,* tale nomen vere potest construi cum pronomine possessivo, *Meum, Tuum, Nostrum,* etc., 587, 2.° et 3.°.

— Si aliquod nomen Dei significet *Deum* absque *relatione ad creaturas,* tale nomen non potest construi cum pronomine possessivo *Meum, Tuum,* etc., 587, 4.°.

Possibile — Tò *possibile esse* significat quandoque τὸ *esse contingenter,* quandoque vero *habere in se vim essendi ab alio,* 792, α et β.

— Qualiter Filio et Spiritui Sancto conveniat τὸ *possibile esse,* 792.

Potentia — Alia est *logica,* alia *realis,* 784.

— Necesse est ponere in divinis Personis veram atque *realem* potentiam relate ad *actus notionales,* 789-792.

— Potentia *realis activa,* quae adscribitur divinis Personis relate ad *actus notionales,* non debet intelligi de his actibus, acceptis cum praecisione a *propriis terminis,* sed debet intelligi cum *inclusione horum terminorum,* 790.

— De *Potentia Spirativa* Spiritus Sancti, quae in Deo adest, idem cogita ac de *potentia Generativa* quae Deo Patri convenit, 795.

— In divinis *potentia operativa* non distinguitur *realiter,* sed solum *virtualiter,* ab operatione, considerata *praecisive a suo termino,* 796; Cfr. 787.

— *Potentia Generativa* in divinis non est *Relatio Paternitatis* prouti *virtualiter* distinguitur a natura divina, 802, α; 803.

— Potentia Generativa in divinis non est divina essentia prout est aliquid *absolutum,* 804, *b.*

— In Deo *potentia Generativa* non significat *aequaliter essentiam* et *Paternitatem* quatenus est forma hypostatica, 806, *c.*

— In Deo *potentia Generativa* non significat *principalius* Relationem Paternitatis, et *minus principaliter* essentiam divinam, 808, *d.*

— In Deo *potentia Generandi* significat *principaliter* divinam essentiam, *secundario* vero et *connotative* Relationem Paternitatis, 809.

— Qualiter *potentia Generandi* competat Dei Filio et Spiritui Sancto, 821.

— *Potentia generandi* potest sumi tripliciter, 821, *B.*

— Vide : *Generatio ; Spiratio ; Actus Notionalis,* etc.

Praepositivus — Eius opinio circa exsistentiam divinarum notionum refutatur, 352, *A,* α.

— Refutatur itidem eius assertio, *Proprietates* scilicet, *Personales non esse* **in** *Personis divinis,* 691-693.

Praxeas — Eius error de Trinitate, 236.

Principium — Operationis est *radicale* vel remotum, et *proximum* seu immediatam, 60, *B,* α, β. — Cfr. 529.

— *Quod* operationis et principium *quo* operationis, 60, *B,* γ, δ.

— *quo proximum* et *immediatum* processionum realium, Deo immanentium quodnam sit, 63, *a* et *b ;* 65.

— Quid significat principium, 379.

— Differentia inter *principium* et *causam,* 380.

— Principium, aliud nominatur *primum,* aliud *secundum,* 381.

— In divinis sumitur *essentialiter* aut *personaliter,* 382 ; *Essentialiter* acceptum, convenit *singulis divinis Personis,* 383 ; *personaliter* ver acceptum, convenit *Deo Patri,* ut *Pater est ;* et etiam *Dei Filio ;* non autem Spiritui Sancto, 384.

— *Solitarie* dictum, non est *notio* aliqua divina, 385.

— Principium *sine principio* (ἀνάρχον) est notio *Dei Patris ;* Principium *de principio,* notio Filii ; Principium **de utroque,** notio Spiritus Sancti, 385.

— Vide : *Causa, Origo, Spiritus Sanctus ;* etc.

Prioritas — Naturae quid sit, 402.

Priscillianistae — Eorum error de Trinitate, 236.

Priscillianus — Priscilliani grammatici explicatio de nomine « *Verbum* », 430, *A.*

Processio — Quid et quotuplex sit, 24.

— Multi haeretici a voce *processionis* abstinebant, 25.

— Non est *proprie* actio, *supponit* tamen actionem et hanc indissolubiliter *comitatur,* 26.

— Elementa quae in omni processione inveniuntur, 27.

— Processio *proprie* dicta, quemadmodum et processio *minus proprie* accepta, non invenitur intra Deum, 28.

— Processio, *latissime* dicta, distinguitur in *realem, logicam* et *mixtam,* 30.
— Intime intra Deum **nec** processio *logica,* **nec** processio *mixta,* potest realiter formaliter exsistere, 31.
— **Conditiones** ut processio aliqua sit *vere realis,* 32.
— Processio **realis** subdividitur in processionem realem per *modum operationis,* et processionem realem per *modum operati,* 33.
— Processio realis potest esse vel *immanens,* seu ad intra, vel *transiens,* seu ad extra, 34-35.
— Processio *realis immanens* est perfectio *operantis,* dum processio *realis transiens* est **potius** perfectio quaedam *subiecti* in quod agens operatur, 36.
— In Deo exsistunt formaliter quaedam processiones *latissime* dictae, 37.
— Processio, in Deo formaliter exsistens, est *realis,* 38.
— Aliqua processio realis **transiens** convenit formaliter Deo, 39.
— Arii expositio de divinis Processionibus est reiicienda, 40-45. Vide *Generatio.*
— Sabellii expositio de divinis Processionibus est etiam reiicienda, 46-50.
— Processiones, in Deo formaliter exsistentes, contingunt secundum operationes Deo immanentes, 51-57.
— Exponitur principium : «*quicumque intelligit ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid* (verbum) *intra ipsum*», 58.
— Quid sint processio realis per modum *operationis,* et processio realis per modum *operati,* 60, *A.*
— Persona divina est *principium quod* processionum realium Deo immanentium, 61.
— Deitas est *principium radicale* seu remotum processionum realium Deo immanentium, 62.
— Principium *quo proximum* et immediatum divinarum processionum non est *Deitas,* neque perfectio aliqua Dei absoluta, neque Dei intellectus Deique voluntas *absolute* considerata, 63, *a.*
— Proprietates Dei *relativae,* uti *Paternitas, Filiatio,* etc. non sunt principium *quo proximum* et *immediatum* processionum realium, Deo immanentium, 63, *b.*
— Principium *quo proximum* et *immediatum* processionum rea-

lium, Deo immanentium, est divinus intellectus et divina voluntas non quidem *absolute* consideratae sed uti connotantes aliquas ex tribus proprietatibus S.mae Trinitatis, 64-65.
— Quomodo Gnostici, Arius et Sabellius intellexerunt Processionem Verbi in divinis, 78. — Vide *Generatio.*
— Nulla Processionum realium, Deo formaliter immanentium, potest habere rationem Generationis *communiter* dictae, 79.
— Processio *Verbi,* quae attenditur ex parte divini intellectus, habet indolem Generationis *propriae* viventium, 80-83.
— Processio ex parte voiuntatis, sive *Processio Amoris,* rite exponitur, 88.
— Processio *Verbi* ex parte intellectus est prior *prioritate ordinis* quam processio Amoris ex parte voluntatis, 91, *A.*
— In Deo formaliter exsistunt duae processiones *reales* et *immanentes,* videlicet: processio *Verbi intelligibilis,* et processio *Amoris Dei,* seu *Spiritus Sancti,* 93-97.
— Terminus *qui,* intime in Deo procedens per processionem *Amoris,* est aliquid reale, non creatura aliqua sed essentialiter Deus; distinguitur vero realiter tam a Deo Patre, quam a Dei Filio, 98-100.
— Processio Verbi in Deo distinguitur *realiter* a processione Spiritus Sancti, 101-102.
— Realis processio, in Deo exsistens ex parte divinae voluntatis, non est Generatio *proprie* dicta, 109-111.
— Processio, quae contingit per modum *Amoris,* non habet nomen sibi proprium, 111.
— Argumentis philosophiae *pure* naturalis non potest in hac vita a nobis *demonstrari* processionem ex qua oritur Spiritus Sanctus, non esse Generationem *proprie* dictam viventium, 112-114.
— Tentamina Ss. Patrum et Scholasticorum ad declarandum Processionem Spiritus Sancti non esse Generationem *proprie* dictam viventis, 116-122.
— Demonstratur *rigorose* etiam ex fontibus theologiae naturalis *vera* causa *proxima* cur **sola** Processio Verbi Dei, non autem Processio divinae voluntatis, sit Generatio *proprie* dicta viventis, 123-125.
— Assignatur causa *remota,* ob quam Processio Spiritus Sancti non possit dici Generatio *propria* viventium, 126.

— Assignantur aliae differentiae inter Processionem Verbi et Processionem Spiritus Sancti, 127.
— Duae solae Processiones reales et immanentes, videlicet Processio Filii et Processio Spiritus Sancti, exsistunt de facto in Deo, 130.
— Impossibile omnino est ut in Deo sint processiones reales et immanentes plures numero quam *duae,* videlicet *Generatio Filii* et *Processio* seu *Spiratio Spiritus Sancti,* 131-134.
— Dotes praecipuae Processionum Divinarum, 135.
— Processiones reales, Deo immanentes, sunt *fundamentum proximum* Relationum realium quae in Deo exsistunt, 156, 1.°.
— In divinis *Processio,* seu Spiratio Passiva, est simul *Relatio Personalis* et *Proprietas Personalis,* 246, δ.
— Processio Spiritus Sancti est *coaeterna* Deo Patri, ac Dei Filio, 527.
— *Processio,* exsistens in Spiritu Sancto, est omnino *unica* et numero immultiplicabilis, 819, 1.°.
— **Tota** Deo possibilis Paternitas, est Paternitas in Deo Patre exsistens ; et similiter **tota** Deo possibilis Filiatio, est Filiatio in Dei Filio exsistens; ac tandem **tota** Deo possibilis Processio, est Processio quae in Spiritu Sancto exsistit, 819, 3.°.
— Vide : *Actus Notionalis, Amor, Generatio, Origo,* etc.

Pronomen — Vide : *Nomen ; Possessivum,* etc.

Propositio — Quaenam dicitur propositio *exclusivi subiecti,* 317.

Proprietas — Personalis in divinis quid significet, 246, γ.

Proprius — Res est *propria* alterius, α) vel per *identitatem,* β) vel *per subiectionem ad eum,* γ) vel *per originem ab eo,* 580, § *Dico 3.°.*
— Vide : *Appropriatum.*

Qualificatio — Pro diversa *qualificatione propositionum* vide 369.

Quantitas — *Molis* et quantitas *virtutis* quid sint, 825, *A.*

Qui — Tò *qui est,* quod ponitur Ex. III, 14, appropriatur *Dei Filio,* melius quam *Deo Patri* aut *Spiritui Sancto,* 680, *C, c.*

Quicumque — Principium : « *Quicumque intelligit, ex hoc ipso quod intelligit, procedit aliquid intra ipsum* », etc. exponitur, 58.

Ratio — *Naturalis* quid significet, 329-331.

Rationalismus — Circa modum cognoscendi S.mam Trinitatem potest esse *rigidus* vel *moderatus,* 16.

Rationalistae — Eorum error circa Trinitatem, 236.
Relatio — Quid sit, 139.
— Ex propria indole est *ordo* seu perfectio, 140, 1.°.
— In omni relatione adsunt *Subiectum, Terminus,* et *Fundamentum,* 140, 2.°.
— Relatio alia est *creata,* alia *increata,* 141, *A.*
— Item alia *transcendentalis,* alia *praedicamentalis,* 141, *B.*
— Relatio praedicamentalis continet *notionem* IN et *notionem* AD, 142, 597, *A ;* 744-715.
— Conditiones ut relatio aliqua sit *praedicamentalis,* 143.
— Relatio *realis, logica* et *mixta* quae sint, 144.
— Conditiones ut *relatio* aliqua sit *realis,* 146.
— Conditiones ut *relatio* aliqua sit *logica,* 147.
— Conditiones ut *relatio* aliqua sit *mixta,* 148.
— Relatio *realis* distinguitur in *mutuam* et *non mutuam,* 149.
— Conditiones ut *relatio realis* sit *mutua* vel *non mutua,* 150.
— Relatio alia est per modum *actualis referentiae,* alia per modum *habitualis referentiae,* 456.
— *Relatio* **disparata** quaenam sit, 509, *D,* β.
— Relatio *realis mutua* alia est *aequiparantiae,* alia *disquiparantiae,* 151.
— Extrema relationis sunt in *eodem ordine,* quando inter illa adest relatio *realis* aut *logica,* non autem quando adest relatio *mixta,* 145, 1.°.
— Inter divinas Personas non repugnat, ut sit *relatio realis,* 145, 2.°.
— Inter Deum et creaturas nequit esse *relatio utrinque realis,* 145, 3.°.
— *Novae relationes mixtae* possunt innasci inter Deum et creaturas, 145, 4.°.
— Praesupposita exsistentia processionum realium in Deo, necesse est fateri quasdam relationes exsistere formaliter **intra** Deum, 152.
— Relationes aliquae reales exsistunt formaliter in creaturis, 154.
— Relationes aliquae *reales* exsistunt formaliter *in Deo,* 155 ; 157-159.
— Processiones sunt *fundamentum* relationum *realium* in Deo exsistentium, 156, 1.°.

— Relationes *reales, prout* IN *Deo exsistunt,* identificantur cum *Dei substantia,* 156, 3.°; 170.
— Relationum *realium,* in Deo exsistentium, **subiectum proximum** sunt *divinae Personae,* 160.
— Notio *relationis realis* in Deo exsistentis, 161.
— In relationibus *notio* IN est eius elementum **quasi genericum,** et *notio* AD se habet tamquam elementum *quasi* **differentiale** seu **specificum,** 166-167.
— *Notio* AD et *notio* IN, quae **constituunt** *relationem,* **sola** *ratione ratiocinata,* seu virtualiter, inter se distinguuntur, 167.
— In relationibus *notio* AD est permissive entitas *realis* aut *rationis,* 168.
— In relationibus *notio* AD est permissive realitas inhaerens uni extremo relationis, vel *assistens* ad ipsum, 169 — Cfr. 597, *A.*
— Relationes natae sunt exprimere *minimam* distinctionem, 708, 1.° ζ
— *Realis* relatio in Deo exsistens, α) est identica *realiter* cum *divina substantia,* β) et **solum** *ratione* differt ab ea, 170; 173-175.
— Relatio in Deo realiter exsistens, distinguitur *ratione ratiocinata,* non autem *ratione ratiocinante,* a divina substantia, 171, 1.°, 2.°.
— Opinio Durandi circa distinctionem inter divinam essentiam et relationes exponitur ac refellitur, 172, *A.*
— Opinio Scoti circa distinctionem inter *relationes* et *divinam essentiam* exponitur et refellitur, 172, *B;* 175.
— Relationes *reates,* in Deo exsistentes, sunt aliquid *per se subsistens,* 176.
— Quid est relatio *realis* prout *a parte rei* exsistit in Deo, 177.
— Sabellianorum et Unitariorum error circa distinctionem inter relationes reales in Deo exsistentes, 181, *A.*
— Undenam sumitur *distinctio specifica* relationum, 182-183.
— Undenam accipitur *unitas numerica* relationum, 184-185.
— Relationes reales, in Deo exsistentes, distinguuntur invicem *realiter,* 186-187.
— Quando relationes reales distinguuntur *realiter* et quando *logice* inter se?, 188.
— Relationes *reales,* in Deo exsistentes, non sunt *nisi quatuor,* 190; videlicet, *Paternitas, Filiatio, Spirativ* et *Processio,* 191.

— Distinctio *realis* adest inter *Paternitatem, Filiationem* et *Processionem ;* item inter *Spirationem* et *Processionem ;* non autem inter *Spirationem* et *Filiationem,* 192-194.

— Relatio inter *intellectum divinum* et *veritatem,* item inter *divinam voluntatem* et *bonitatem,* est relatio *logica* et non *realis,* 195-196.

— *Relatio personalis* quid significet in divinis, 246, β.

— Relatio ex vi *notionis* IN respicit *subiectum,* cuius est ; ex vi autem *notionis* AD respicit *terminum relative* oppositum, 597.

— In Deo *relatio Personalis* est *realiter* ipsa *Persona,* et est *in Persona,* 694.

— Relatio *Personalis* distinguitur *virtualiter* a *divina Persona,* 695, *A.*

— Non *omne* quod praedicatur in Deo de *Persona,* potest praedicari de *relatione personali,* 695, *B.*

— An dici possit : «Relatio divina est *in* essentia divina», 696.

— In *divinis relationibus* possumus considerare α) *notionem* IN ; β) notionem AD ; γ) notionem AD *ut connotat* IN ; δ) et notionem AD *ut* AD, 714-715.

— Relatio divina, spectata quantum ad *notionem* IN, comprehendit **omnia** Dei attributa *absoluta ;* spectata vero quantum ad notionem AD, comprehendit **omnia** Dei attributa *relativa,* 713.

— Vide : *Actus Notionalis ; Origo, Paternitas, Filiatio ; Verbum, Imago ; Processio ;* etc.

Relativus — Quinam terminus dicitur *relativus,* 229, 1.° — Cfr. *Absolutus ; Notionalis ;* etc.

Res — Debetne *singulariter* an *pluraliter* de divinis Personis praedicari, 626.

— Quid est abstracte considerata, 721, β.

— Formaliter **abstracta,** nonnisi nomine *abstracto* potest exprimi ; dum totaliter abstracta, potest exprimi nomine *abstracto* aut *concreto,* 723, *C.*

Revelatio — Veritas *revelata* potest ab homine cognosci, vel *modo supernaturali,* i. e. per lumen Fidei, vel *modo naturali* et **pure** *historico,* 328.

Richardus — a S. Victore errasse videtur quoad cognitionem Trinitatis, 336, *C.*

Roscellini — Positio Tritheismo favet, 14, *B,* β.

Rosmini — Videtur Sabellianis favere, 13, *B*, ι; item 16, *B*, ε.
— Eius opinio circa demonstrabilitatem exsistentiae S.mae Trinitatis in Deo, 112-113; 336, *H*, 337.
— Eius expositio de *Verbo Dei*, et eius refutatio, 432, *B*.
— Rosminii positio de identitate essentiae divinae cum Personis, 595.
— Vide : *Persona*, *Verbum*, etc.

Sabellius — Quomodo dogma Trinitatis exposuit, 13, *B*, β, γ.
— Eius error de Trinitate, 93-94, ad quatuor suprema capita reducitur, 301, *B*.
— Ipsius positio de identitate divinae essentiae cum divinis Personis, 595, *C*.
— Eius sophisma pro identitate divinarum Personarum refutatur, 598.
— Vide : *Processio ; Generatio ; Ingenitum ; Relatio*, etc.

S. Scriptura — **Quidquid** in divina Scriptura dicitur de *Deo Patre*, debet etiam attribui Dei Filio, exceptis illis in quibus Pater *relative* opponitur *Filio*, 504, 1.°, a.

Scotus — Opinio ipsius de *Inspirabilitate*, 355.
— Eius doctrina circa *possibilitatem* processionis Sp.s Sancti a *solo* Deo Patre, 509 ; 511-515.
— Docuit «Patrem et Filium per actum **liberum** voluntatis spirare Spiritum Sanctum», 772.
— Vide : *Persona*, *Relatio*, etc.

Separatio — Vide : *Divisio*.

Sermo — An Dei Filius recte dici possit *Sermo Dei*, 445.

Servetus — Error Mich. Serveti de Trinitate, 13, *A*, η.

Singularis — Vide : *Deus*, *Terminus*, etc.

Singularitas — *Rei* quid sit, 819, 1.°.
— *Singularitas rei* **cuiusvis** est **omnino** *unica* et *immultiplicabilis* **numero,** 819, 1.°.

Sociniani — Error ipsorum circa *processionem* Sp.s Sancti, 93.
— Eorum dubitatatio circa *numerum* processionum realium in Deo formaliter existentium, 129, *B*.

Solitarius — Deus dici non debet 301, *B ;* 307.

Solitudo — Excludit *consortium societatis Amoris*, 301, *B*.
— In divinis debemus evitare nomina *solitudinem* importantia, 301, *B*.

Solus — Quid significet, 307.
— Tò *Solus*, **categorematice** acceptum, quid significat, 309, α.
— Tò *Solus*, **syncategorematice** acceptum, quid sibi vult, 309, β.
— Particula «*Solus*» nequit adiungi tamquam dictio *categorematica* alicui termino *essentiali* in divinis, 310.
— Particula «Solus» potest adiungi tamquam dictio *syncategorematica* alicui termino *essentiali* in divinis, 311-312.
— Regulae practicae ad discernendum, num propositio continens particulam «*Solus*» sit vera an falsa, 312.
— Quo sensu haec: «Solus Pater est Deus» est vera, 319-320.
— Loquendo de divinis Personis, dictio exclusiva non debet addi terminis Personalibus, nisi cum magna cautela, 321.
— Vide: *Filius*.

Spiratio — In divinis, licet sit *Relatio Realis*, non est tamen *Relatio Personalis* nec *Proprietas Personalis*, 246; 360, *B*.
— In Deo Patre *Paternitas* et *Communis Spiratio* (et similiter in Dei Filio *Filiatio* et *Communis Spiratio*) non distinguuntur invicem *realiter* sed solum *virtualiter*, 362.
— Vide: *Actus Notionalis*, *Generatio*, *Relatio*, etc,

Spiritus Sanctus — Distinguitur realiter tam a Deo Patre, quam a Deo Filio, 103.
— Argumentis philosophiae *pure* naturalis non potest in hac vita demonstrari processionem, ex qua oritur Spiritus Sanctus, non esse Generationem proprie dictam viventium, 113. — Cfr. 116-122.
— Analogice demonstrari potest processionem Spiritus Sancti non esse generationem *proprie* dictam viventium, 115.
— Vox «*Spiritus*» potest tripliciter sumi, 492.
— Utrum τὸ *Spiritus* sit nomen personale in divinis, 494.
— Quinam haeretici impugnaverint divinitatem Sp. Sancti, 496.
— Spiritus Sanctus potestne dici *principiatus* vel *causatus* a Patre, aut a Filio?, 388, γ.
— Sp.s Sanctus non potest dici *proprie* **Verbum Filii Dei,** 442.
— Qualiter Deus Pater, cognoscendo Verbum, cognoscit etiam *Spiritum Sanctum*, 450.
— An Sp.s Sanctus possit dici *imago* Patris et Filii, 475-479.
— Cur Spiritus Sanctus nequeat dici proprie *imago Dei*, 480.
— Nomina, quibus designari solet tertia Persona S.mae Trinitatis, 484; Cfr. 485-489.

— Tò *Spiritus Sanctus* potest accipi vel in vi *duarum* dictionum, vel in vi unius dictionis, 493.
— Utrum Tò «*Sp.s Sanctus*» in vi *duarum* dictionum acceptum, sit nomen *personale* in divinis, 495.
— Utrum τὸ «*Sp.s Sanctus*» acceptum in vi *unius* dictionis, sit nomen *personale* in divinis, 496.
— Tertia Persona Trinitatis non habet nomen sibi *stricte* proprium, 497.
— Tertia Persona Trinitatis convenienter appellatur *Spiritus Sanctus*, 498-499.
— Quinam impugnaverint processionem *Spiritus Sancti a Dei Filio*, 503.
— *Spiritus Sanctus* procedit non solum a Patre, sed etiam a Filio, 504.
— Si *Spiritus Sanctus* a Filio non procederet, ab Eo nullo modo posset distingui realiter, 509-515; 544.
— Si *S.s Spiritus* procederet a *solo* Dei Filio, non distingueretur *realiter* a Deo Patre, 514, 1.°; Cfr. 544.
— Quo sensu *Spiritus S.s* quiescit in Christo? 506.
— An Spiritus S.s possit dici *nepos* Dei Patris? 507.
— Doctores Graeci et Latini affirmant «Spiritum Sanctum a Patre *per* Filium procedere», 517.
— Determinatur sensus catholicus huius propositionis: «Pater *per* Filium spirat *Spiritum Sanctum*», 523-527.
— Haereticorum est dicere: «Filius *per* Patrem spirat *Spiritum S.m*», 524.
— Dici nequit, quod «Pater vel Filius **mediate** *mediatione virtutis* spirat *Spiritum S.m*», 525, β; 526, α.
— Pater **immediate** immediatione *proprii suppositi* spirat *Spiritum S.m*, 525, γ.
— Pater **mediate** mediatione suppositi *proprii Filii* spirat *Spiritum S.m*, 525, γ.
— Dici non potest cum *rigore theologico*, quod Spiritus S.s **principalius** procedat aut **melius,** aut **plenius** a Patre **quam** a Filio, 526, 2.°.
— Pater et Filius in divinis sunt *unum principium* Spiritus Sancti, 537-538; 540-541.

— Quo sensu «Pater et Filius sint *unum principium* Spiritus Sancti», 539-541.

— Pater et Filius sunt *duo spirantes* Spiritum Sanctum, et *unus spirator* Spiritus Sancti, 542.

— Non est dicendum: «Pater et Filius sunt *unum principians* Spiritum Sanctum», 543.

— Spiritus S.^{s} *per se* et *necessario* requirit, ut procedat **a Patre et Filio,** 544-546.

— Ex *quarum rerum amore* procedit Spiritus Sanctus?, 547.

— Causa redditur «cur Spiritus Sanctus *non possit* spirare *alium* Spiritum Sanctum», 559.

— Opiniones Doctorum circa sensum propositionum: «Pater diligit Filium (*aut* Filius Patrem) Spiritu Sancto», 561, *A-F*; Cfr. 563-564.

— Spiritus Sanctus *potest donari* vel a Patre, vel a Filio, vel ab utroque, 581, 3.ª.

— Spiritus Sanctus, *ex vi suae proprietatis personalis,* habet, ut sit *primum* **Dei Donum** creaturis intellectualibus collatum, 585, 4.°; Cfr. 586.

— Spiritus Sanctus potest dici *Donum Nostrum,* non semper, sed **postquam** est nobis a Deo donatus, 587, *A.*

— Spiritus Sanctus procedit a Patre et Filio, non *voluntate libera,* sed *voluntate notionali* aut *essentiali* Patris et Filii, 772.

— Spiritus Sanctus non est factus *de nihilo* neque *de substantia aliena a Deo,* sed *de substantia* Patris et Filii *omnino indivisa* procedit, 779.

— In divinis non potest esse nisi *unus* **numero** *Spiritus Sanctus,* 820.

— Vide: *Pater, Filius; Amor, Donum,* etc.

Subiectum — In propositionibus *subiectum* in *rigore* **logico** sumitur *materialiter;* **minus proprie** autem accipitur *formaliter,* 318.

Subsistentia — Subsistentia quandoque *rem subsistentem,* quandoque *modum* seu *perfectionem* essendi designat, 213.

— In Deo sunt *tres* subsistentiae *relativae,* seu personales, 247.

— Utrum Deus, consideratus in linea entitatis *absolutae,* habeat subsistentiam aliquam absolutam, 248-250; 735.

— Subsistentia *absoluta* et subsistentia *relativa* in Deo differunt virtualiter, 251.

— In divinis subsistentia potest sumi *adaequate,* vel *inadaequate,* 705.

— Vide : *Persona, Hypostasis ; Deus,* etc.

Substantia — Haec vox accipitur *large, minus large* et *strictissime,* 212, *A.*

— *Substantia individualis* tripliciter potest considerari, 212, *B.*

— Differentia inter *substantias* expressas nomine *Generico,* aut *Specifico,* aut *Particulari,* aut *Singulari,* aut per nomen *Persona* vel *Suppositum,* 266.

— Realitas substantiae, *constituens Personam,* potest exprimi duobus modis, 267.

— Conditio ut *substantia* sit **numero** *pluralis,* 620, 2.° ; 621, α.

— *Substantia divina* se habet ad *divinas Personas,* juxta nostrum modum concipiendi, *quasi totum* ad *partes,* sive **tamquam** *universale* ad *particularia* sub eo *contenta,* 600, 1.°.

— Vide : *Essentia ; Persona ; Deus ;* etc.

Substantivus — Nomina *substantiva* qualiter differunt ab *adiectivis,* 229, 3.° ; 533.

— Terminus *substantivus* accipitur quandoque *formaliter* et quandoque *materialiter,* 229, 4.°.

— Vide : *Nomen ; Adtectivus ; Terminus.*

Suppositio — Quid est *suppositio formalis,* 636.

— Suppositio duobus modis potest esse *confusa,* 536.

Temeraria — Propositio *temeraria* in Fide quaenam dicitur, 370, ζ.

Terminus — Alius est *absolutus,* alius *relativus,* 229, 1.°.

— Terminus *in recto* qualiter differt a termino *in obliquo,* 229, 2.°.

— Terminus *substantivus* qualiter differat ab *adiectivo,* 229, 3.°.

— Quinam in divinis dicitur terminus *essentialis,* 304 ; 426, 310.

— Qualiter terminus *essentialis* potest considerari, 305.

— Quando unus terminus adiungitur *categorematice* ad alium, et quando *syncategorematice,* 308.

— Terminus *Personalis* quinam dicitur in divinis, 313 ; 426.

— Quinam dicitur terminus *notionalis* in divinis, 634.

— Explicatur regula : « Terminus singularis idem significat et supponit », 642.

Theologia — Christiana quo sensu dici possit media inter ethnicam superstitionem et Iudaeorum perfidiam, 2.

Theologus — Quaenam debet esse theologi industria circa Fidei mysteria, 343, 2.°.

— Per divinam revelationem theologus potest cognoscere Mysterium Trinitatis per formalitates *proprias* divinarum Personarum, 346.

Totum — Et *pars* quomodo invicem affirmentur per verbum *Sum, es, est,* 606, 1.°.

— Qualiter esse potest in divinis *totum* et *pars,* 241.

Trias — Origo huius vocis in Ecclesia Catholica, 282, α.

Trinitas — Recta fides docet «Deum unum trinumque in semetipso esse» 1.

— Ordo et nomina Personarum S.mae Trinitatis, 3.

— Dogma S.mae Trinitatis est veritas omnino *singularis,* 5; et *vertex* omnium mysteriorum Fidei, 6.

— Dogma S.mae Trinitatis non potest, per argumenta pure **philosophica,** neque rigorose **demonstrari** neque rigorose **impugnari,** 7.

— Dogma S.mae Trinitatis *analogice* tantum potest per argumenta philosophica declarari, 9-11.

— Errores tum antiquorum tum Modernistarum contra Trinitatis mysterium exponuntur, 12-16.

— Ad rectam S.mae Trinitatis expositionem Catholica Fides quatuor nobis credenda proponit, 17.

— S.mae Trinitatis mysterium Angelicus exponit plenius ac melius quam nonnulli moderni theologi, 18-19.

— Mysterium S.mae Trinitatis convenienter fuit nobis a Deo revelatum, 345.

— Quando voces *Unitas* et *Trinitas* invectae fuerint in usu Ecclesiae, 282-283.

— Error Protestantium quantum ad vocem *Trinitas,* 283.

— Etymologia vocis «*Trinitas*», 284, α.

— Definitio realis «*Trinitatis*», 284, β-285.

— Nomen «*Trinitas*» in divinis significatne essentiam, an vero relationem?, 285.

— In divinis utimur convenienter nomine «*Trinitatis*», 286.

— «*Pater* est *Trinitas*» vel «*Verbum* est *Trinitas*» etc., dici nequit, 287, 1.°.

— «*Deus* est *Trinitas*» dici potest, 287, 2.°.

— Quo sensu dicitur *Trinitas in Unitate,* 290.

— Dici nequit «*Trinitas est Trina*», 291, α.

— *Trinitas divinarum* Personarum potest cognosci vel per *propria* vel per *appropriata*, 326.

— *Cognoscere Trinitatem* Personarum *per appropriata* contingit dupliciter : videlicet vel inquantum ea attributa conveniunt *specialiter* uni Personae Trinitatis, vel *in communi* in quantum conveniunt Personae divinae, 327.

— **Impossibile omnino** est humanam rationem *in praesenti vita*, argumentis *pure* philosophicis demonstrare *directe* aut *indirecte* **exsistentiam** Trinitatis secundum formalitates *proprias* uniuscuiusque earum, 337.

— **Impossibile omnino** est per philosophiam *pure* naturalem demonstrare *directe* vel *indirecte* **quidditatem** S.mae Trinitatis, 338, 1.°.

— **Impossibile** est per philosophiam naturalem certo demonstrare *directe* aut *indirecte* «*Deum non esse trinum in Personis*», 338, 2.°.

— **Impossibile** est per philosophiam *pure* naturalem demonstrare *directe*, aut *indirecte Mysterium Trinitatis esse possibile*, 339.

— **Impossibile** est per philosophiam pure naturalem demonstrare *directe* vel *indirecte Mysterium Trinitatis non esse impossibile*, 340 ; 341.

— **Praesupposito** Fidei lumine, theologus potest *probabiliter* per argumenta philosophica suadere Mysterium Trinitatis, 342, 1.°.

— **Non praesupposita** ulla de *Mysterio Trinitatis* revelatione, homo per argumenta *pure* philosophica, **credo,** nec suspicari posset de *exsistentia Trinitatis* in Deo, 342, 2.°.

— Qui probare nititur *Trinitatem* Personarum naturali ratione, Fidei dupliciter derogat, 343, 1.°.

— Etiam secundum Dei potentiam extraordinariam, videtur impossibile quod homo viator, extra visionem beatificam cognoscat evidenter mysterium S.mae Trinitatis, 344, *c*.

— Vide : *Deitas, Deus,* etc.

Tritheismus — Quid et quotuplex sit, 14, *A-C*.

Tritheitae — Quinam sint, 12, β ; 14.

Tuum — Vide *Possessivum.*

Unicus — Quandoque sumitur *improprie* pro **uno,** 302, 2.°.

— *Rigorose loquendo,* nequit dici *Deum unicum;* bene tamen *unicum Dei Filium,* 301, *B;* 302, 2.°.

Unio — Quid sit, 557.

Unitarii — Seu *Deistae* quinan sunt, sive *rigidi* sive *moderati,* 12, α, 13.

Unitas — *Transcendentalis* et unitas *quantitativa* quid sunt, 259, α, β.

— *Unitas transcendentalis* convenit **omni** enti, 259.

— *Unitas geometrica* convenit **solum** rei praeditae extensione, 259.

— Quid ponit in obiecto de quo dicitur, *unitas transcendentalis;* quid vero *unitas geometrica,* 261, 1.°-3.°.

— Quo sensu dicitur *Unitas in Trinitate?*, 290.

— Undenam accipit unitatem *numericam,* tum nomen *substantivum,* tum nomen *adiectivum,* 534-535.

Unum — *Unum transcendentale,* et *unum quantitativum* quid sunt 259, α, β.

— In divinis τὸ «*unum*» potest supponere pro *Substantia* et pro *Relatione,* 263.

— *Pater* et *Filius* in divinis sunt *unum,* non autem *unus,* 299, *Reg.a 1.a*.

— *Multa* possunt esse *unum* aut *natura,* aut *Persona,* vel quantum ad *virtutem agendi,* vel quantum ad *proprietatem,* 531.

— Tὸ *unum* debetne *singulariter* an *pluraliter* dici de *divinis Personis?*, 627.

Valla — Vide *Persona.*

Verbum — Processio Verbi ex parte divini intellectus habet indolem Generationis *propriae* viventium, 80.

— Dei est Deo Patri *consubstantiale* et *coaeternum,* 84, 1.°-2.°.

— Dei est *verus* Dei Filius, 84, 3.°-4.°.

— *Verbum* et *Res intellecta* quomodo differunt?, 196.

— *Verbum Dei* aliquatenus nobis innotescit ex verbo humani intellectus, 429.

— *Verbi* etymologia, 430, *A.*

— *Verbum* dicitur quandoque *proprie,* quandoque *metaphorice,* 430, *A,* α, β.

— *Verbum* etiam accipitur *propriissime, minus proprie,* et *improprie,* 430, *B*

— *Verbum improprie,* aut *minus proprie,* acceptum non exsistit nisi *metaphorice* in Deo, 431.
— Non datur Verbum *metaphorice* aut *minus proprie* dictum, nisi praesupposito Verbo *propriissime* dicto, 432, § *Concl.* 3.°.
— Verbum *propriissime* dictum, in divinis, *soli* Dei Filio convenit, 441-442.
— Verbum mentale, *propriissime* dictum, non est *operatio intellectus,* nec ipsa *res cognita,* sed *terminus qui* **producitur** *ab intellectu cognoscente rem,* 433.
— *Verbum mentale* distinguitur tum ab operatione intellectus intelligentis, *tum ab ipsa re cognita* per talem operationem, 434, 1.° et 2.°.
— Notio *verbi mentalis,* 434, 3.°; 447.
— In divinis *Verbum propriissime* acceptum, est nomen *personale,* 435-436.
— Secunda Persona Trinitatis non dicitur *exactius Dei Verbum quam Dei Filius,* 443.
— Secunda Persona Trinitatis *perfectius* **significatur** *per* Dei Verbum *quam per* Dei Filium, 444.
— Dei Filius *magis rectę* nominatur *Verbum quam Sermo,* 445.
— In *quolibet* verbo mentali *duae relationes* inveniuntur, 447.
— *Dei Verbum,* **qua tale,** importat **relationem** ad *Deum Patrem* qui illud eructat, 447.
— Quaenam res *manifestantur intelligibiliter* in *Dei Verbo,* 449-450.
— *Dei Verbum,* nonnisi *secundario,* repraesentat intelligibiliter creaturas, 451.
— *Dei Verbum* importat *secundario relationem* ad omnes creaturas tam *actuales* quam *possibiles,* 452.
— Dei Verbum per *formalitatem divinae essentiae* quam possidet, dicit *ordinem* ad **omnia** quae ab Ipso **manifestantur,** 453, 2.°.
— Relatio inter *Dei Verbum* et *ea* quae intelligibiliter ab Eo **repraesentantur,** est *rationis* tantum, 454.
— Relatio inter creaturas *idealiter* in Dei Verbo *repraesentatas,* atque creaturas *actualiter* exsistentes, est aeterna, 455.
— An *relatio,* quam Dei Verbum habet ad omnia ea quae intelligibiliter **in Eo** repraesentantur, sit ad modum *actualis,* vel *habitualis,* referentiae, 456.

— *Relatio* inter Dei Verbum et ea, quae *realiter* exsistunt **in Deo** atque repraesentantur intelligibiliter in **Verbo,** est relatio *Imaginis;* relatio autem inter *Verbum* ipsum et *creaturas* est relatio *Exemplaris,* 457.

— In quo *Dei Verbum* differt *ab idea creaturae in Deo exsistente,* 458.

— An *Dei Verbum* importet *respectum* ad *non-entia?*, 459.

— An in visione beatifica adsit processio *Verbi mentalis* in mente ejusdem beati, 504, 4.°, *a.*

Veritas — Hoc nomen **appropriatur** Dei Filio, 680, *A, a.*

— Qualiter *Veritas* praedicetur de divinis Personis, 630, α.

Verum — Debetne *singulariter,* an *pluraliter* dici de *divinis Personis?*, 629.

Virtus — In divinis quid significat virtus spirativa, 538.

— Tò *Dei Virtus* appropriatur quandoque Dei Filio, quandoque autem Spiritui Sancto, 676.

Volitio — Vide *Amor.*

— Terminus realis volitionis quid sit, 88, 2.° β.

Voluntarium — *Voluntarium* aliud appellatur **voluntate** *antecedenti,* et aliud **voluntate** *consequenti,* 766, 3.°.

— Voluntarium aliud est **voluntate** *antecedente operante ut natura,* et aliud voluntate *antecedente* et *libera,* 766, 4.°.

— Loquendo de **voluntario** *voluntate concomitante,* potest dici: «Deus Pater *voluntarie* genuit Filium», 767.

— Loquendo de **voluntate** *antecedente* et prout est **facultas libera,** dici nequit: «Deus Pater *voluntarie* genuit Filium», 768.

Voluntas — *Dei* ad *bonum,* quod vult, dicit **solam** relationem *logicam,* 195; 196.

— *Voluntas* et *natura* differunt **in causando,** 766, 1.°.

— In Deo distinguitur **voluntas** *essentialis,* et *voluntas notionalis,* 769, α-β.

— *Deus Pater* genuit *Filium* voluntate *concomitante essentiali,* an voluntate *concomitante notionali?*, 769, Q. I.

— Voluntas **concomitans** in Deo *Generationem Verbi* non est, *juxta nostrum modum concipiendi,* **prior** *ipsa Generatione,* sed hanc **concomitatur,** 770, *b.*

— Vide: *Generatio; Paternitas; Filius; Intellectus,* etc.

Zoroaster — Non cognovit Trinitatem divinarum Personarum, 335.

CORRIGENDA

Página	Linea	Dice	Debe decir
3	2	XXII	XXVII
7	29	Virginem	Virgine
13	1	est	et
16	19	Cogitum	Cogito
23	27	revelatio	revelato
29	29	Corporis terminus	Corporis tanquam terminus
87	12	pertinet	pertinent
87	16	formalites	formalitates
88	26	sin	sint
98	19	infime	intime
99	19	Patris	Patres
102	37	*gene*	*genere*
111	4	*credenti*	*credendi*
113	23	*terminus*	terminos.
114	11	varie	variae
123	17	tum...	tum actio, tum
128	16	infinite	infinita

Eiusdem Auctoris Opera

DE DEO UNO, Vol. unic., pagg. XVI-976 .... L. 10,00

DE SACRAMENTIS IN GENERE, Vol. unic., pagg. XVI-500 *(sub praelo)*..... L. 7,50

DE QUIBUSDAM SACRAMENTIS IN SPECIE, Vol. unic. *(epuisé)*, pagg. XVI-880.

DESCLÉE & C.
PIAZZA GRAZIOLI N.
ROMA

231.3
B 889

26299

BUONPENSIERE, H., O. P.

AUTHOR Commentaria in I. P. Summae S. Thomae Aquinatis, O. P.

TITLE De Deo Trino

DATE DUE | BORROWER'S NAME

2-6 Aug 1944-47

[redacted]

SEP 26 1986

De Aug 1944-47

26299